CHRESTOMATHIA QVINCTILIANA.

SCHOLAE SVAE ACCOMMODAVIT,
NOTASQVE VARIORVM ET SVAS ANIMADVERSIONES ADIECIT

BONAVENTVRA ANDRES
IN ACADEMIA IVLIA WIRCEBVRGENSI LITERARVM HVMANIORVM PROFESSOR.



WIRCEBVRGI
APVD TOBIAM GOEBHARDT.
1782.

ILLVSTRISSIMO VIRO

IN REPVBLICA LITERARIA

CELEBERRIMO

CAROLO

THEODORO

BARONI

DE DALBERG

PROPRINCIPI

ERFORDIENSI

DE SVA AC MEA PATRIA

MERITISSIMO

SACRVM.

PRAEFATIO.

M. Fabii Qvinctiliani oratorias inſtitutiones in hanc Chreſtomathiae formam cum redegi; eo feci conſilio, vt, quibus de ratione dicendi praecepta traditurus eſſem, facili explanataque via ducerem, et omnibus vna humanitatis ſtudiis initiarem. Ex quo enim tempore ſeſe bonae artes erexere, et ſummorum virorum praeſidiis nixae, effloruere laetius; easdem ipſas omnium ſcientiarum comites, vitaeque ſocialis miniſtras eſſe, adeo conuenit inter omnes; vt, qui veterem in ludos noſtros reuocare barbariem in animo haberet; deridendus non minus eſſet, quam qui vineas noſtras hortosque in triſtes patriae antiquae ſaltus vellet commutare.

Prima aetas musicae, et, quae figuras describere lineis docet, artis perita, correcto iam venustatis sensu gaudere, itaque rerum naturali pulchritudine adfici, vt celebratum Graecis prouerbium, *Indoctos a Musis et Gratiis abesse*, apud nos quotidie magis eualescat. Antiquum horridumque patriae sermonem non ferunt porro, etiam in familiari congressu, delicatae plurimorum aures; et doctissime quidem disputantium tenue omnino praemium est; nisi eloquentiam doctrinae iungant, et ornate simul copioseque dicere possint, quid? quod facete. Sic videlicet Veritas vincit! Sentiunt philobarbari suo se fato saeuire; et experiuntur quotidie euenire sibi, quod elegantissimi vir ingenii CICERO ad commendandas ingenuas artes in suo de oratore dialogo protulit; *Quemadmodum, qui aliquod fingunt, etsi tum pictura non vtuntur, tamen vtrum sciant pingere, non obscurum est; sic in negotiis ciuilibus etiamsi proprie ceterae non adhibentur artes, tamen facile declaratur, vtrum is, qui dicat, tantum forensi sit opere iactatus, an omnibus ingenuis artibus instructus.* Fugiat sane politorum congressus hominum, vmbrisque abditus quouis vitae solatio careat, qui oblectamentis

hisce

hisce deſtitutus, pallendum ſemper, horridosque inter labores ſibi conſeneſcendum putauit. Atque vt alia omittam in hanc rem ſatis iam diſputata; eo ſolo effici arbitror, literarum humaniorum elegantiam a quauis doctrina ſeiungi haud poſſe; quod multi ſint, qui, cum rerum periti prodeſſe in publicum ſcribendo egregie poſſent, vel ſileant plane, vel ſine gloria ac fructu in republica literaria nomen profiteantur propterea, quod vrbanitatis inexpertes eruditorum facile aures offendant: quo fit, vt, quae docent, nec placeant, nec in animos hominum recipiantur.

Iuuentuti vero, cuius rationem haberi potiſſimum volo, et cui prodeſſe quouis modo cupio, quibus rebus melius, quam excitando artium honeſto amore, conſulere poſſimus? Quid eſt, quo agilitas volubilitasque mentis, quae vnum eundemque ſtudendi laborem reformidat, occupetur melius, quam praeter eloquentiam, muſicae, picturae aliarumque artium adquirenda ſcientia? qua qui carent, otio fluentes ſolutique ineruditis voluptatibus auſſeruntur; vnde alearum, vini, libidinum,

et omnium denique flagitiorum turpiſſimae cauſſae exiſtunt. Adde, quod ad excitandum non ſolum ſed etiam promouendum honeſtatis amorem, cuſtodiendamque, quae adoleſcentiam maxime ornat, verecundiam mirum, quantum conferant ſtudia humanitatis. Inſurgit cum eruditione tenera mens, vt humilia ſordidaque mature reſpuat; emollitur, vt manſuetam ac flexibilem rectoribus ſuis ſe praebeat; cum rudes contra horridique more ferarum non, niſi plagis, ad labores concitentur, nec, niſi ſeruili metu a turpitudine vitae arceantur.

Quod, ne ſuſcepti operis amore captus, dicere forſitan, quam veritas patiatur, aſſeuerantius videar; Inſignis paedagogi teſtimonium profero, viri honeſti, ſinceri, recti bonique amantiſſimi aeque ac iuuentutis amici, qui primam ſuam aetatem, huius ſtudii amore, contra iuuentutis pericula fuiſſe cuſtoditam, publice ad ipſam iuuentutem voluit confiteri. * Ex quo patere arbitror, quid de illis laſciuientium ingeniorum deliciis ſentiam, quorum eheu aetas noſtra tam ferax eſt, vt plurimi oſten-

* *Sattlers Briefe eines Lehrers an ſeine jungen Freunde II. B. 16ter Brief p. 222.*

ostentatione magis quam veritate ducti, belli homines videri affectent; in florilegiis dulciculisque versibus fabellas et amores sectentur, et male vtendo natura pulcherrimas res turpiter dehonestent. Grassantem hanc latius in dies pestem quo facilius modo extinquamus, quam eas ipsas artes, quae voluptatibus inhonestis denobilitatae euiluerunt, ad natiuum suum splendorem dignitatemque erigendo? vt ad grauitatem, magnitudinemque animi valeant, ad fidem, probitatem, aliasque omnes in quouis genere excellentes virtutes instillandas. Quare iuuenilem aetatem minime siccis aridisque regulis infringendam, sed natiuo potius succo alendam censeo, et praeter eloquentiae, vitae quoque egregiis exemplis instruendam: quibus imbibitis (penetrant enim altius, quae primo animo adfiguntur, ne summa quidem aetate euellenda) non, nisi perfectissimus quisque placiturus est: haud secus, ac formato robustioribus cibis palato cupediae ac dulciaria fastidiuntur.

Hoc videbam, hoc spectabam, in hoc omni studio elaborandum putabam, cum iuuentutis eru-

diendae munus mihi demandatum ſuſcepi, cui vt pro viribus reſponderem, exquiſitioris doctrinae initia tradituro mihi FABII artem praeprimis vtilem putaui. Ille enim eſt FABIVS, qui, cum oratorem effingendum haberet, virum efficere voluit, cum ingenio praeſtantem, tum artes pulcherrimas mente complexum, perfectum vndique, et optime dicentem, optimaque ſentientem. Quo praeclariſſimo fine virum optimum haud excidiſſe, efficiunt duo celeberrimi viri ROLLINVS atque BVRMANNVS: quorum alter Academiae Pariſinae lux quadraginta continuos annos FABII inſtitutiones praelegit, ſuasque delicias vocauit: alter in ſua ad ſplendidam editionem praefatione affirmare non dubitauit, per tot ſeculorum decurſum ſolum fuiſſe, qui omnium ſuffragia tulerit, et qui, quamdiu eloquentiae et literis honos habendus ſit, vt conſummatus facundiae Magiſter iuuenibus eſſet commendandus. Et merito quidem: Acre iudicium, ſanae diiudicandi regulae, accurata animi humani ſcientia, et philoſophia tum ex ARISTOTELIS et TVLLII indefeſſo ſtudio, cum ex quotidiano vitae vſu hauſta, non poſſunt non in toto ſuo opere

vide-

videri. Accedit ingenium ſagax, felix explorationis ſpiritus, et viginti annorum docendi experientia. Simplici ad haec et inaffectato orationis colore gaudet, qui doctis probabilis, et planus imperitis eſſet, quo SENECAE floſculis corrupta eloquentia ad TVLLIANAE dignitatis faſtigium reueheretur. Feliciter non minus aperuit, quam indagauit, ad animum hominis veniendi meatus, et quas perſuaſuris regulas ſuggeſſit, ex certis adeo anthropologiae collegit principiis, vt ipſi nulla vtiliſſimae, quam recentior philoſophia ſummo dignam cultu putauit, ſcientiae veritas illibata fuiſſet. Quas qui rite meditatus, animoque complexus fuerit ſuo; quod literis impendit, temporis inſigne feciſſe pretium gaudebit olim, non ſcholae ſed vitae didiciſſe cum experietur.

Atque vt de chriſtianae religionis magiſtro et animarum paſtore primum dicam; quid magis a tanto munere alienum, quam horrere cum plebe, aut ſpecie contra et ſuperinducto fuco popularem plauſum petere? Quis eſt, qui magis ad veritatem et victoriam ſpectet; aut quis decoris, modeſtiae, graui-

grauitatis, manſuetudinisque virtutes oratione, vultu, geſtuque magis fateatur, quam ſacer orator? Ex quo vero id melius, quam FABII regulis, dum rite applicentur, diſcet? Ad quas, ſi clariſſimi GISBERTI, qui egregium in ſacram eloquentiam opus confecit, praecepta examines, facile deprehendere licebit, ſagaciſſimum virum a CICERONE et FABIO nec latum vnguem diſceſſiſſe. De ciuili autem viro quid dicam? Cum gentium mores et hominum ſtudia orator ex FABII praeſcripto debeat noſſe; aetatis, conditionis, ordinumque vbique habere rationem, vbique prudentiae leges obſeruare; praeter ea cum tot argumentorum aperiantur fontes, deliberandique rectiſſimus modus oſtendatur; nonne ex Fabiana ſchola virum politicum exſpectemus proditurum, qui conſiliis ſenatus regat, et populares errores ad meliora reducat? Atque vt omnia dicam: ſi adeo diſpliceat noſtra aetate ſcholaſticus ille rigor, quem multi docti viri, imprudentes etiam, contrahunt, a conuerſatione hominum abhorrentes; Fabiana ſane lectione hoc vitium cauebitur optime, cum auctor placidus vbiuis et humanus iucundo ingenia

ſucco

ſucco alat, iuuentutis amicus manſuetudinem inſtillet, et decoris ſtudioſiſſimus ipſe, adeo decorem et virilem cultum adhibere vbique doceat, vt, qui regulis hisce animum rite adplicarit, non intra parietes ſcholae, ſed in ipſa vitae luce didiciſſe videatur. His ſumma morum ſolicitudo cum accedat, cum in omni prope pagella bonitatem commendet, eoque ars tota intendat ac ſpectet; dignus merito aureus ſcriptor videtur, quem illuſtrent et perficiant viri docti; diſcentes vero, vt vitae magiſtrum, ament, nec, donec viuunt, deponant.

Quae omnia licet veriſſima eſſe multa lectione, meditatione, factisque per continuos ſex annos experimentis cognouerim; tam immodico tamen ſummi viri amore non laboro, quo minus videre velim, faterique, retruſas aliquo modo has virtutes eſſe, abditasque, ab ipſis docentibus, vt nihil de iuuentute dicam, ſaepe non ſatis intellectas. Suis temporibus, ſuae genti FABIVS ſcripſit: alia tum erat iudiciorum forma, alia respublica: huius notitia qui caret, aut eo non reflectit; neceſſe eſt, quaſi in alienas terras translatus hoſpes vbique et peregrinus

circum-

circumerret. In intima rerum penetrandum est, ipsa humanae mentis aperienda penetralia, et veritates anthropologicae foro romano adplicatae, ad generales regulas reuocandae. Liceat vnico hic mihi exemplo vti; Quis est inter nos vir doctus, aut quo loco viuit, quodue negotium gerit, quo non debeat agere apte? Cur tot ingeniorum partus, tot publici sermones, negotiaue fine excidant suo, saepe non ex rebus ipsis, sed ex custodito minus decore est. In ipso munere professorio alius alio melius placet, alius auditorum frequentia gaudet, alius deseritur, pari, imo maiore non raro doctrina praeditus: sed alius alio dicit aptius decentiusque. Vox ipsa dici non potest, quid ad haec faciat? Vultus quoties gestusue solus aut conciliat animos aut abalienat? Vsus his omni modo FABIVS, cum de exordiis praecipiens, et sententiarum et compositionis et vocis et vultus modestiam Actoribus suasit, iudicum mobiles animos et arrogantiam sui temporis non ignorans. Videant haec, qui docent hodie, philosophia facem praeferente; quae suo populo, publicoque mori FABIVS accommodauit, ad se referant; et nostrae vitae negotiis vt conueniant, ex com-

muni

muni prudentia tradant. Multo fateor ad haec labore opus, multa patientia; durandum diu, noctesque vigilandae, donec ad eam, quam quaerit, veritatem penetret mentis acies, inuentam digerat, communesque in vſus conuertat. Latuerit, credo, in hoc cauſſa, cur ſcholis exulare plurimis hactenus bonus FABIVS iuſſus: damnant multi, quem non ſatis cognouerunt, ſua praeferentes vtiliora, quod ſolam facilitatem ſequuntur.

Auget difficultatem ordo ipſe, qui ſcholarum noſtrarum rationibus minus videtur accommodatus. Adoleſcentes noſtri, Grammatices periti, literis humanioribus adplicantur, vt guſtum inde formare literarium, et, de qua re inciderit, appoſite et loqui et ſcribere doceantur; hinc ſedula exercentur Auctorum veterum lectione, poſt ſeuerioribus diſciplinis applicandi. Iam vero haec aetas a primae educationis regulis diſcere quomodo incipiat, quae aliorum plane ductu regenda eſt? niſi forſitan eo, vt primam ſibi curam defuiſſe plurimi cito debeant deplorare. Quantum obſit, auidam iuuentutem praeliminaribus diu quaeſtionibus detineri, cum ad

ipſas

ipſas res videndas adulti vſque adeo feſtinent, experti perſpicient. Non falſo has querelas iactari me quoque vſus docuit; quid enim perfectum eſt ſtatim, quid vſu et obſeruatione augeri non debet? In prima explicatione (et quid principio facerem melius?) ordinem libri ſecutus ſum totum: Angebar ſtatim, cum viderem, iuuenum attentionem prolegomenis conſumtam eſſe, et ad vtiliora cum ventum eſſet, nec tempus nec voluntatem ſuperfuiſſe. Aliam rurſus tentaui viam: Ab ipſa artis finitione initium ſumens, ordinem quinque Rhetorices partium ita ſum perſecutus, vt iis, quae vtilia minus viderentur, omiſſis neceſſarias percurrerem: vbi et maiorem attentionem et ſufficiens tempus inueni, et amoenis in fine, quem alias non attigeram, materiis recreati iuuenes totam lubenti me cum animo artem euoluerunt.

Primis obſtaculis tali modo remotis ad reliqua ſuperanda maiore animo acceſſi. Velut in aliam gentem iuuentus formanda eſt; ſi Fabii praecepta, prout ipſe docuit, explicentur. Vnica obſeruatio, praeuia rerum multarum indiget expoſi-

tione,

tione: et veritas tanto labore temporisque impendio constans qui placeat valeatque, vt docentium, vt discipulorum feruor durare possit? His quoque anxius curis eo tandem deueni, vt tentarem, quae sine multa circumlocutione vix comprehenderentur, an salua ipsa veritate abesse non possent? successit res, et diu ante quasi tenebris inuolutae veritates, variis rebus resectis, velut excusso inuolucro, sponte inlucebant, non sine magna iuuenum meorum voluptate: quos ab hoc ipso tempore magis erga FABIVM affici, magis attendere animaduerti. Sic generaliora quidem, sed eo clariora etiam praecepta, forensium obseruationum aut explicationum loco, iam vitae communi, nostroque mori poterant applicari; vt liber tali modo explicatus generalis artium theoriae formam indueret. Sed ne turbato iam capitum et materiarum ordine liber continuo et voluendus reuoluendusque esset, quo et confusio oriri in iuuenum frequentia, et memoria localis, maximum retinendae rei praesidium, perire deberet; cum praeclarissimorum ad haec virorum ROLLINI et HARLESII exempla praeiuissent, et amicorum meorum hortatus accederent,

 derent,

derent; in animum tandem induxi, horas meas ſubſiciuas, vtut paucae a longo ſcholaſtico labore ſupereſſent, eo impendere, vt, adornata talis formae Chreſtomathia, ars euaderet, quae noſtris regionibus noſtrarumque ſcholarum rationi ita conueniret, vt in iuſto maius volumen non excreſcens, commode intra annum poſſet explicari; et alter, qui iisdem artibus apud nos datur, annus enarrandis exemplis ſupereſſet totus, tandem artis paedagogicae explicatione finiendus; quod tum adoleſcentes, iam maturiores et ad hosce labores aſpiraturi, magis attenti eſſent. Vnde ſimul tomuli ſecundi materiam ſumam.

Oecumenica hac Fabianae artis diſpoſitione iuuenilis aetatis infirmitati aliquo modo cum conſuluiſſem; altera reſtabat cura, vt has inſtitutiones tali modo digeſtas vitae quoque, et, ſi fieri poſſet, patriae accommodarem: quo aequis partiumque ſtudio vacuis viris ſimul declararem, quid apud me diſcerent iuuenes: quos eruditionis cupidos, artiumque amantes, bonos praeterea ac manſuetos, minime vmbratiles, ſed ſocietati humanae profuturos

ros viros si effinxero, eosdem inuidiae et contentionum vindices exspectans, famam in tuto collocaui. Eloquentiam traditurus sum non circumforaneam, et inanium verborum turba lasciuientem, sed, quae viribus ac sanguine niteat, sanam et virilem: quam cum pendere ab animi humani scientia maxime sciam; popularem philosophiam ducem sequi, obseruationes ex vita communi instituere, omnia ad opera vitae referre, et pro futura vita reflexiones adiicere volui, quibus iuuentus ad ea, quibus circumdatur, melius attendere disceret, et sensu communi perfecto vtilissimum hominis studium adamaret. Quas FABIVS non ignorauit quidem, sed nostri philosophi melius illustrarunt materias, subinde notaui, et vbi docentes discentesque plura inuenirent, ostendi. CICERONEM, a quo FABIVS raro deflexit, citaui potissimum, quin recentiora ingenia, HOMIVM, SVLZERVM, MENDELSOHNIVM, MEINERSIVM aliosque de Aesthetica optime meritos silerem. Longum subinde tempus FABII locum nequidquam explicari aduertens, legi aliqua in praesentem materiam ex HOMIO; si hic fefellisset, ex SVLZERO, et sic

deinceps, donec veritas non intelligi non posset. Haec confirmata vsu ad discentium docentiumque commoditatem variis locis adiicere malui, quam eadem, quae prior dixisset, aliis, sed forsan obscurioribus verbis, indicare: cum reperto, vt ipse testatur FABIVS, quod est optimum, qui quaerit aliud, peius velit.

Multos nostrae aetatis Scriptores nominaui, vt iuuentuti digito monstrarem, quae sibi adquirenda esset literaturae nostrae notitia, vtque auida legendi facta, quibus e fontibus hauriendum sibi esset, sciret; ne carens rectore caeco quodam impetu pro se ipsa rueret, et praeteritis puris fontibus, paludibus ac coeno immergeretur. De antiquis Scriptoribus ea subieci Auctoris iudicio, quae hanc aetatem voluptate quadam imbuerent, ipsa haec omnis elegantiae monumenta perscrutandi: eas vero plerumque editiones indicavi, quae ad manus essent, ipsisque exhiberi oculis possent. Bonus praeceptor pro sua supellectile et eruditione, quae meam ingenii mediocritatem effugere, addet et emendabit.

Textum excudi feci ad exemplar Gesnerianum: subinde deflexi, non quasi quid melius inuenis-

ueniſſem, ſed vbi melius a meis intelligebar. Lectionum varietati, donec ingenia fingenda alendaque ſunt, inhaerere, a tempore et ſcopo alienum putaui. Robuſtioribus haec annis reſeruemus. Iam vero falcem mittere nolui in alienam meſſem. Floreant ad immortale patriae noſtrae decus inſtituta, in quibus, virorum praeclariſſimorum ſtudiis, veterum Scriptorum libri caſtigati, illuſtrati, omnique ſplendore ornati, et iuſto pretio parabiles prodeunt. Sit his dignus in Bibliothecis locus; haec Chreſtomathia quotidianis adoleſcentum manibus verſetur atteraturque; vt quaſi ſacris Muſarum initiati, graecos romanosque Scriptores et ament, et legant, et complectantur.

Hisce paucis edendi in publicum libelli rationem reddere volui. Vobis, Iuuenes optimi! ceu amoris erga vos ſignum in manus trado. Agite, Auctorem veſtris quaſi vſibus renatum complectimini, legite, ediſcite, in carnem et ſanguinem conuertite, praeter inſignes eloquentiae fructus, vtilem rerum multarum cognitionem lucrifacturi. Bene valete.

Scripſi Wirceburgi Menſe Iunio
A. M. D. CC. L. XXX. II.

CONSPECTVS OPERIS.

VITA AVCTORIS.

DIVISIO RHETORICES.

SECTIO I.

Quae de ipsa Rhetorices substantia quaeruntur.

SECTIO II.

De Inuentione.

C. VIII.

SECTIO III.

De Diſpoſitione.

SECTIO IV.

De Elocutione.

C. XII.

SECTIO V.

De Memoria.

SECTIO VI.

De Pronuntiatione.

SECTIO VII.

Quae oratorem perficiant.

SECTIO VIII.

De Genere dicendi.

AVCTO-

AVCTORIS VITA.

Marcus Fabius Quinctilianus Romae natus eſt: quibus Conſulibus, aut quo imperante Caeſare, non legi. Veriſſima coniectura adducor, vt fidem libris temporum non habeam, vbi legitur Quinctilianus Calagura vrbe Hiſpaniae oriundus. Nam M. Valerius Martialis Calaguritani agri alumnus, cum Iberos memoria dignos ſuis Epigrammatibus inſerat, nullam de Quinctiliano mentionem facit, ſed eum ſeparatim cum veneratione nominat,

Quinctiliane vagae moderator ſumme iuuentae,
Gloria Romanae Quinctiliane togae.

Et ipſe dicit, cum eſſet adoleſcentulus, cognouiſſe Domitium Afrum, et Senecam: qui ambo ſub Nerone periere. Seneca in libro ſexto diuiſionum, Quinctiliani declamatoris meminit, cuius adhuc extant multae declamationes acutae et breues, ſtilo aliquantulum remiſſiore. Is auus fuit M. Fabii Quinctiliani: qui Romae multis annis rhetoricen cum ſumma laude docuit. Et ipſe rurſus Quinctilianus mentionem facit patris, qui cauſſidicus fuit apud principem. Neque notitia, neque gratia caruit. Domitiani enim Caeſaris nepotum cura ei delegata fuit. Diſciplinae eius caſtigatiſſimae pleniſſimum teſtimonium Caius Caelius affert, qui ſub tali praeceptore tantum profecit, vt ſui temporis

oratores facile superauerit. Duxit vxorem ex nobili familia, ex qua liberos suscepit: quae acerbissima fatorum sorte in primo iuuentutis flore rapta fuit. Alterum ex liberis, cum librum de caussis corruptae eloquentiae edidisset, amisit: postea cum rhetorices libros scriberet, Marcellum vnicum parentis lumen ac solatium rogo dedit, testis ipse infelix senex suarum lacrimarum. Eius filiola ex alia (vt credo) vxore, Tutilii Equitis Romani filia, genita, nupsit Nouio Celeri, viro claro. Quo tempore decesserit, affirmare non audeo, quoniam is, qui tradit, fide caret.

MVRETVS L. XVIII. var. Lect. c. 20.

Me puero magna cum cura exponebantur in Scholis institutiones oratoriae M. Fabii Quinctiliani, accurati admodum et exquisiti Rhetoris; neque quisquam satis bonus dicendi magister habebatur, qui non illis vel praecipue auditores suos exercere solitus esset. Mutata postea ratio est: cumque, annosis istis et ipsa vetustate venerandis arboribus neglectis, succreuissent inutiles rami, iuuentusque laboris fugitans, insulsos quosdam libellos, et omnium prope liberalium artium, et omnium Philosophiae dispendiosa partium compendia, pro pinguibus illis veterum latifundiis adamare coepisset; ex illo vidimus omnia

In peius ruere et retro sublapsa referri.

DIVI-

DIVISIO OPERIS.

Rhetorice ſic, vt opinor, optime diuidetur, vt de arte, de artifice, de opere dicamus. Ars erit, quae diſciplina percipi debet: ea eſt bene dicendi ſcientia. Artifex eſt, qui percipit hanc artem, id eſt orator, cuius eſt ſumma bene dicere. Opus, quod efficitur ab artifice, id eſt bona oratio.

SECTIO I.

Quae de ipſa Rhetorices ſubſtantia quaeruntur.

CAPVT I.

(L. II. C. XV.)

Quid ſit Rhetorice?

Ante omnia, quid ſit Rhetorice: quae finitur quidem varie, ſed quaeſtionem habet duplicem. Aut enim de qualitate ipſius rei, aut de comprehenſione verborum diſſenſio eſt. Prima ac praecipua opinionum circa hoc differentia, quod alii malos quoque viros poſſe oratores dici putant: alii (quorum nos ſententiae accedimus) nomen hoc, artemque, de qua loquimur, bonis demum tribui volunt. Eorum autem, qui dicendi facultatem a maiore ac magis expetenda vitae laude ſecernunt, quidam Rhetoricen vim tantum, quidam ſcientiam, ſed non virtutem, quidam vſum, quidam artem

quidem, ſed a ſcientia et virtute disiunctam, quidam etiam prauitatem quandam artis, id eſt κακοτεχνιαν nominauerunt a). Hi fere, aut in perſuadendo, aut in dicendo appoſite ad perſuadendum, poſitum orandi munus ſunt arbitrati. Id enim fieri poteſt ab eo quoque, qui vir bonus non ſit. Eſt igitur frequentiſſimus finis Rhetorices, vis perſuadendi. Sed illi rationem opinionis ſuae viderint. Nos autem ingreſſi formare perfectum oratorem, quem in primis eſſe virum bonum volumus, ad eos, qui de hoc opere melius ſentiunt, reuertamur. Rhetoricen autem quidam eamdem ciuilitatem b) eſſe iudicauerunt: Cicero ſcientiae ciuilis partem vocat. Ciuilis autem ſcientia idem, quod ſapientia, eſt. Quidam etiam philoſophiae, quorum eſt Iſocrates. Huic eius ſubſtantiae maxime conuenit finitio, RHETORICEN ESSE BENE DICENDI SCIENTIAM.

Nam

a) Promiſcue ſumuntur haec vocabula: ſingula tamen propriam apud ſcriptores artium vim ac ſignificationem habent. *Vis* (δυναμις) eſt rerum agendarum facilitas partim natura conceſſa, partim diſciplina atque vſu adquiſita; *Ars* eſt praeceptio, dans viam certam, rationemque aliquid faciendi; *Scientia* certitudine ex demonſtratione nititur, et nulli praeterea opinioni adhaeret; *Virtus* (ἀρετη) pro arte ſcientiaue bona ſumitur, cuius initia quaedam et ſemina natura inſeruit; oppoſita eſt *prauitas*. (κακοτεχνια) plane ad malum comparata, qualem ſophiſticam vocarunt. *Vſus* (τριβη) facultas eſt, quam ſola experientia (ἐμπειρια) fecit.

b) *Ciuilitas* eſt regendae ſocietatis ciuilis ratio a Platone πολιτικη, a multis per excellentiam ipſa ſapientia dicta. Qui in id, quod vellent, populum dicendo perducerent, in ciuitate democratica plurimum feciſſe nemo non viderit, vnde et oratores δημαγωγοι appellati: Cicero de inuent. Rhet. L. I. c. 5. reprehendit eos, qui aut ciuilitatem plane ſepararent a Rhetorica, aut eandem ſolam in Rhetorica poſitam arbitrarentur.

Nam et orationis omnes virtutes ſimul complectitur, et protinus mores etiam oratoris, cum bene dicere non poſſit, niſi vir bonus. His approbatis, ſimul manifeſtum eſt illud quoque, quem finem, vel quid ſummum et vltimum habeat Rhetorice, quod τελος dicitur, ad quod omnis ars tendit. Nam ſi ipſa bene dicendi ſcientia; finis eius et ſummum eſt, bene dicere. c)

CAPVT II.

(L. II. C. XVI.)

De vtilitate Rhetorices.

Sequitur quaeſtio, an vtilis Rhetorice? Nam quidam vehementer in eam inuehi ſolent: et, quod ſit indigniſſimum, in accuſationem orationis vtuntur orandi viribus: d) Eloquentiam eſſe, quae poe-

c) Quos diuerſos ab aliis poſitos fines Fabius refutauit, omittendos putaui; quod ab artis pulcherrimae veſtibulo, mea quidem opinione, abeſſe debeat lis omnis; nec auctoris argumenta rem ſatis efficere videantur; vt pluribus oſtendit Voſſius de Rhet. nat. et conſt. C. VI. — Recentiores eloquentiam (*Beredſamkeit*) a vi bene dicendi (*Wohlredenheit*) diſtinquere caepere. *Eloquentiam* omnibus de rebus *commode*, *ornate*, *grauiterque* dicendi facultatem dicunt, quae peſſimo cuique, etiam citra artem, contingere poteſt. Sed *vis bene dicendi* maior quædam virtus ac ſcientia eſt, non, niſi arte multoque vſu, comparanda, qua, quo velit, ducere auditores orator poſſit. Ab hac vi bonitatem ſeiungi haud poſſe contendit Noſter, idque toto ſuo opere perſequitur; quo cum bonam valde mentem diſcentibus commendauit, nemo, qui repugnauerit, erit. Itaque in idea, quam ſibi Rhetoricae finxit, et *ſummam artis* et *honeſtum ſimul vſum* coniunxit Fabius, voculaque *bene* expreſſit.

d) Vt Plato in Gorgia, de quo Cicero de orat. L. I. c. 11. *Quo in libro in hoc maxime admirabar Platonem, quod mihi in oratoribus irridendis ipſe eſſe orator ſummus videbatur.* De vera Platonis mente inferius.

nis eripiat ſceleſtos, cuius fraude damnentur interim boni; conſilia ducantur in peius; nec ſeditiones modo turbaeque populares, ſed bella etiam inexpiabilia excitentur; cuius denique tum maxime ſit vſus, cum pro falſis contra veritatem valet. Nam et Socrati obiiciunt comici, docere eum, quo modo peiorem cauſſam meliorem faciat: e) Et contra f) Tiſiam et Gorgiam ſimilia dicit polliceri Plato. Et his adiiciunt exempla Graecorum Romanorumque, et enumerant, qui pernicioſa, non ſingulis tantum, ſed rebus etiam publicis, vſi eloquentia, turbauerint ciuitatium ſtatus, vel euerterint: eoque et Lacedaemoniorum ciuitate expulſam; g) Et Athenis quo-

e) Hoc illud eſt, τον ἡττω λογον κρειττω ποιειν, ab Ariſtophane frequenter in nubibus poſitum: a qua peruerſitate quantum abfuerit Socrates, vel Gorgias Platonis ſolus oſtendit. Speciem autem calumnia inde nanciſcebatur, quod in familiari congreſſu et *interrogationibus* ſuis inuicta quadam facultate eſſet euertendi atque conuellendi, quae quis Sophiſtarum cauillationibus certiſſima feciſſet. Quare hoc genus hominum ſubiraſcens, ſuam in bonum Socratem culpam reiecit. *Mendelſohn von dem Character des Socrates im Phædon p.22. ſeqq.*

f) At *contra* hic aduerbialiter poſitum, idemque ac *contra ea*, vel *ex altera parte*, valet. — Sophiſtae docebant artem, *qua omnibus diſputando aduerſari, et, quibus vellent, adulari diſcerent homines.* Ex quo Plato in Gorgia totam Rhetorum oratorumque ridebat profeſſionem, negabatque eſſe aut fuiſſe Athenis, qui arte ſua quid boni effeciſſent. Verae autem oratoriae ſuam nullo modo laudem ademit: cuius teſtis eſt Geſnerus, Gorgiae libro in hoc diligentér lecto. Quae Plato durius in Rhetoricen dixiſſe videbatur, refutauit Ariſtides in oratione προς Πλατωνα περι ρητορικης. In edit. Cant. Ima Tom. 3tii.

g) Praeter ſophiſticam, exaggerationes pariter et fuſum dicendi genus, reſpuebant Lacones breuitatis non minus, quam veritatis amantes. Ageſilaus Lacedaemoniorum Rex nonnullis oratorem commendantibus, quod res exiguas mirifice extolleret; *at ego*, inquit, *peſſimum eum ſutorem arbitror, qui paruis pedibus magnos induerat calceos.*

quoque, vbi actor mouere affectus vetabatur, velut recisam orandi potestatem. h)

Quo quidem modo nec duces erunt vtiles, nec magistratus, nec medicina, nec ipsa denique sapientia. Nam et dux Flaminius, et Gracchi, Saturnini, Glauciae, magistratus, i) et in medicis venena, et in iis, qui philosophorum nomine male vtuntur, grauissima non numquam flagitia deprehensa sunt. Cibos aspernemur; attulerunt saepe valetudinis caussas: numquam tecta subeamus; super habitantes aliquando procumbunt: non fabricetur militi gladius; potest vti eodem ferro Latro. Quis nescit ignes, aquas, sine quibus nulla sit vita; et (ne terrenis immorer) Solem Lunamque praecipua siderum, aliquando etiam nocere?

Num igitur negabitur deformem Pyrrhi pacem caecus ille Appius dicendi viribus diremisse? l)

 aut

ceos. Ctesiphon eiectus Lacedaemone fuit, quod se de qualibet re totum diem dicere posse iactaret. Bonum enim oratorem, afferebant, oportet parem rebus habere orationem. *Plut. in apopht. lacon.* Cum vero maxima Rhetorum vis esset in amplificatione, quid mirum, si Lacedaemone omnis exulare eloquentia dicebatur? quam tamen, dum honestam et breuem, Spartanos doceri pueros Lycurgus voluit.

h) Phrynem Thespiensem capitis ream ab Eurhyna factam defendit Hyperides; qui, cum sensisset non permoueri oratione sua iudices, in medium produxit, et omni oratione ad miserationem conuersa iudicibus absolutionem extorsit. Quam ob rem lege cautum fuit, ne quis pro reo dicens miserationibus vteretur, neue reus in iudicio adspiceretur. Athen. L. 13. c. 6.

i) De Flaminio Liu. L. XXII. c. 3. De Gracchorum item Saturnini Glauciaeque seditionibus Cicero in Bruto c. 62.

l) Appii historiam annotauit Florus L. I. C 18. n. 20. Silius Ital. L. XIII. v. 725. Ouid. L. VI. Fast. v. 203. Cicero in Bruto C. 14. Orationem retulit Liu. L. XIII. c. 32.

aut non diuina M. Tullii eloquentia et contra leges Agrarias popularis fuit? m) et Catilinae fregit audaciam? et ſupplicationes, n) qui maximus honor victoribus bello ducibus datur, in toga meruit? Nonne perterritos militum animos frequenter a metu reuocat oratio? et tot pugnandi pericula ineuntibus, laudem vita potiorem eſſe perſuadet? Neque vero me Lacedaemonii atque Athenienſes magis mouerint, quam populus Romanus, apud quem ſumma ſemper oratoribus dignitas fuit. Equidem nec vrbium conditores reor aliter effecturos fuiſſe, vt vaga illa multitudo coiret in populos, niſi docta voce commota: nec legum repertores ſine ſumma vi orandi conſecutos, vt ſe ipſi homines ad ſeruitutem iuris adſtringerent. Quin ipſa vitae praecepta, etiam ſi natura ſunt honeſta, plus tamen ad formandas mentes valent, quoties pulchritudinem rerum claritas orationis illuminat. Quare etiam ſi in vtramque partem valent arma facundiae, non tamen eſt aequum id haberi malum, quo bene vti licet. Verum haec apud eos fortaſſe quaerantur, qui ſummam Rhetorices ad perſuadendi vim retulerunt.

m) Hoc illud Plinii, Hiſt. nat. L. VII. c. 30. *Te dicente legem agrariam, hoc eſt, alimenta ſua abdicauerunt tribus.* De *Centuriis* minus fuerat mirum; in his enim valebant locupletes: cum vero *Tribus* antiquarunt eas leges, maior vis debuit interceſſiſſe.

n) Supplicationis honor, vt praerogatiua quaedam triumphi, ſolis datus imperatoribus, qui exteris in bellis viciſſent, quos Senatus reipublicae hoſtes dixit. Cic. Philipp. 14. c. 8. Vni poſtea, nullis ſumtis armis, ob ciues ſeruatos Ciceroni conceſſus eſt. *Alex. ab Alexandro gen. dierum* L. V. c. 27.

runt. Si vero eſt bene dicendi ſcientia, quem nos finem ſequimur, vt ſit orator in primis vir bonus: vtilem certe eam eſſe confitendum eſt. Et hercle Deus ille princeps, parens rerum, fabricatorque mundi, nullo magis hominem ſeparauit a ceteris, quae quidem mortalia eſſent, animalibus, quam dicendi facultate. o) Nam corpora quidem magnitudine, viribus, firmitate, patientia, velocitate, praeſtantiora in illis mutis videmus: eadem minus egere acquiſitae extrinſecus opis. Nam et ingredi citius, et paſci, et tranare aquas, citra docentem, natura ipſa ſciunt. Et pleraque contra frigus ex ſuo corpore veſtiuntur, et arma his ingenita quaedam, et ex obuio fero victus: p) circa quae omnia multus hominibus labor eſt. Rationem igitur nobis praecipuam dedit, eiusque nos ſocios eſſe cum Diis immortalibus voluit. Sed ipſa ratio neque tam nos iuuaret, neque tam eſſet in nobis manifeſta, niſi, quae concepiſſemus mente, promere etiam loquendo poſſemus: quod magis deeſſe ceteris animalibus, quam intellectum et cogitationem quamdam videmus. Nam et moliri cubilia, et nidos texere,

o) Apuleius de dogmate Platonis ita: *Lingua et dentium vallum, et ipſius oſculi venuſtas acceſſit, quod quidem aliis animantibus ad explendam victus neceſſitatem, inferendasque ventri copias comparatum eſt; ſed hominis promtuarium potius rectae rationis et ſuauiſſimae orationis hoc datum eſt, vt, quae prudentia corde conceperit; eo ſenſa promat oratio.* Herder vom Ursprunge der Sprache. Sulzers philosophis. Abhandl. die 2te über den gegenseitigen Einfluss der Sprache in die Vernunft und der Vernunft in die Sprache.

p) De his fuſius Plinius in Procemio L. VII. Hiſt. nat.

xere, et educare foetus, et excludere, quin etiam reponere in hiemem alimenta, opera quaedam nobis inimitabilia, qualia ſunt cerarum et mellis, efficere, non nullius fortaſſe rationis eſt. Sed quia carent ſermone quae id faciunt, muta q) atque irrationabilia vocantur. Denique homines, quibus negata vox eſt, quantulum adiuuat animus ille caeleſtis? r) Quare ſi nihil a Diis oratione melius accepimus; quid tam dignum cultu ac labore ducamus, aut in quo malimus praeſtare hominibus, quam quo ipſi homines ceteris animalibus praeſtant? Eo quidem magis, quod nulla in parte plenius labor gratiam refert. Id adeo manifeſtum erit, ſi cogitauerimus, vnde, et quouſque iam prouecta ſit orandi facultas: et adhuc augeri poteſt. Nam vt omittam, defendere amicos, regere conſiliis ſenatum, populum, exercitum in quae velit ducere, quam ſit vtile, conueniatque bono viro: nonne pulchrum vel hoc ipſum eſt, ex communi intellectu, verbisque,

q) Argumentum potentiſſimum contra animalium ceterorum rationem inde petunt recentiores; quod, cum non careant, omnia loquendi, inſtrumento, quaedam etiam ſermonem humanum imitentur, loqui tamen et miſcere nobiscum ſermones haud diſcant. Interim non male Fabius indicauerit, homini *praecipuam*, brutis aliquam ſed *inferiorem* cum dedit. Flögel *Geſchichte des menſchlichen Verſtandes S. VI. von der Sprache* §. 173.

r) Ex materia ſubtiliſſima toto corpore diffuſa animum conſtare aſſerebant veteres Stoici, et *πνευμα* dixerunt. Diogenes L. VII. 156. Varias animo aſſignarunt virtutes, inter quas nobiliſſima eſſet vis cogitandi ſiue *ratio*, cui *ηγεμονικον* nomen dabant. Hunc mentis principatum intelligebant ſemper, ſi animum caeleſtem, Dei particulam, nosque Deorum immortalium ſocios appellarunt. Meiners commentarius de animarum poſt mortem ſtatu p. 271.

que, quibus vtuntur omnes, tantum aſſequi laudis et gloriae, vt non loqui et orare, ſed, quod Pericli contigit, fulgurare ac tonare videaris? s)

CAPVT III.

(L. III. C. II.)

Quae ſit Rhetorices origo?

Nec diu nos moretur quaeſtio, quae Rhetorices origo ſit? Nam cui dubium eſt, quin ſermonem ab ipſa rerum natura geniti protinus homines acceperint, (quod certe principium eſt eius rei) huic ſtudium et incrementum dederit vtilitas, ſummam ratio et exercitatio? Nec video, quare curam dicendi putent quidam inde coepiſſe, quod ii, qui in diſcrimen aliquod vocabantur, accuratius loqui defendendi ſui gratia inſtituerint. t) Haec enim, vt honeſtior cauſſa, ita non vtique prior eſt: cum praeſertim accuſatio praecedat defenſionem: niſi quis dicit, etiam gladium, fabricatum ab eo prius, qui ferrum in tutelam ſui, quam qui in perniciem alterius compararit. Initium ergo dicendi dedit natura: initium artis, obſeruatio. Homines enim, ſicut in medicina, cum viderent alia ſalubria, alia inſa-

s) Ariſtophanes in Acharnenſibus v. 530. ἤςραπτην ἐβρόντα ξυνεκυκα την Ελλαδα. *Fulminabat, tonabat, conturbabat Graeciam.* Ad hunc locum alluſere multi veterum, quod notauit Kuſterus in Ariſtophanem.

t) Suppreſſo nomine refellitur Cicero, cui tamen, quam Fabio, hic malim accedere. Excultae gentes contra validas barbarorum manus cur arma non inuenerint? Ipſo teſte Fabio facilius eſt accuſare quam defendere; et in periculum ab accuſatoribus vocati multum, puto, intenderint animum, vt melius dicendo ſe tuerentur; in periculis ſane, ſi vnquam, ſe vires produnt.

salubria; ex obseruatione eorum effecerunt artem: ita, cum in dicendo alia vtilia, alia inutilia deprehenderent; notarunt ea ad imitandum vitandumque, et quaedam secundum rationem eorum adiecerunt ipsi quoque: haec confirmata sunt vsu: tum, quae sciebat quisque, docuit. Cicero quidem initium orandi conditoribus vrbium ac legum latoribus dedit: in quibus fuisse vim dicendi necesse est: cur tamen hanc primam originem putet, non video; cum sint adhuc quaedam vagae et sine vrbibus ac sine legibus gentes, et tamen, qui sunt in his nati, et legationibus fungantur, et accusent aliqua ac defendant, et denique alium alio melius loqui credant. u)

CA-

u) Cic. de orat. L. I. c. 8. *Quae vis alia potuit aut dispersos homines vnum in locum congregare, aut a fera agrestique vita ad hunc humanum cultum ciuilemque deducere, aut iam constitutis ciuitatibus leges, iudicia, iura describere?* De viribus, non de origine artis, licet expressis verbis hic agat Cicero; recte tamen ex his et ortum duces. Vagae plane atque syluestres gentes nec iudicia exercent, nec legatos mittunt, manibus potius, vnguibusque rem gerunt; ne nomina quidem artium cognita habent. Barbarum inter ac vagum haud satis distinxisse Fabius videtur. Erat apud barbaras gentes aliqua respublica, non apud vagas. Vide, quae Cranz de Grönlandis et Robertson de Americanis referunt. A vita agresti ad ciuilem transitus culturam gentis et cum ea varias artes inducit. Wetzelii Robinson, in quo totam humanitatis historiam iucundo admodum stilo expressit auctor, esse in exemplum potest. Vides hic hominem iam in insula solum, suisque necessitatibus studentem; iam aduenientibus aliis bella gerentem; iam ciuilem quandam societatem instituentem, vbi multae artes, inter quas et oratoria, necessariae fieri caepere. Flögel *Geschichte des menschlichen Verstandes S. VIII, vom Staate* §. 207. *seqq.*

CAPVT IV.

(L. III. C. III. IV. V.)

Partes Rhetorices. Genera caussarum. Officia oratoris.

Omnis autem orandi ratio, vt plurimi maximique auctores tradiderunt, quinque partibus constat, inuentione, dispositione, elocutione, memoria, pronuntiatione siue actione, vtroque enim modo dicitur. Omnis vero sermo, quo quidem voluntas aliqua enuntiatur, habeat necesse est et rem, et verba. Ac si est breuis, et vna conclusione finitus, nihil fortasse vltra desideret: at oratio longior plura exigit. Non enim tantum refert, quid, et quomodo dicamus, sed etiam quo loco: opus ergo est et dispositione. Sed neque omnia, quae res postulat, dicere, neque suo quaeque loco poterimus, nisi adiuuante memoria. Quapropter ea quoque pars quarta erit. Verum haec cuncta corrumpit, ac propemodum perdit indecora, vel voce, vel gestu, pronuntiatio. Huic quoque igitur tribuendus est necessario quintus locus. x)

Sed tria an plura sint genera caussarum, ambigitur. Nec dubie prope omnes, vtique summae apud

x) Cicero de orat. L. I. c. 31. *Cumque esset omnis oratoris vis ac facultas in quinque partes distributa, vt deberet primum reperire, quid diceret: deinde inuenta non solum ordine, sed etiam momento quodam atque iudicio dispensare atque componere: tum ea denique vestire atque ornare oratione: post memoria sepire: ad extremum agere cum dignitate ac venustate.*

apud antiquos auctoritatis, ſcriptores Ariſtotelem ſecuti, qui nomine tantum alio concionalem pro deliberatiua appellat, hac partitione contenti fuerunt. y) Verum et tum leuiter eſt tentatum, cum apud Graecos quosdam, tum apud Ciceronem in libris de oratore, et nunc maximo temporum noſtrorum auctore prope impulſum, z) vt non modo plura haec genera, ſed etiam pene innumerabilia videantur. Nam ſi laudandi ac vituperandi officium in parte tertia ponimus: in quo genere verſari videbimur, cum querimur, conſolamur, mitigamus, concitamus, terremus, confirmamus, praecipimus, obſcure dicta interpretamur, narramus, deprecamur, gratias agimus, gratulamur, obiurgamus, maledicimus, deſcribimus, mandamus, renuntiamus, optamus, opinamur, et plurima alia? vt mihi in illa vetere perſuaſione permanenti, velut petenda ſit venia, quaerendumque, quo moti priores, rem tam late fuſam, tam breuiter adſtrinxerint? Quos qui erraſſe

y) Ariſtoteles haec tria fecit cauſſarum genera *deliberatiuum* (συμβουλευτικον) *iudiciale* (δικανικον) *demonſtratiuum* (επιδεικτικον): deliberatiuum *concionale* quoque (εκκλησιαστικον) vocat, quod deliberationes paſſim in concione populi fiebant. Haec diuiſio (negotia enim publica conficiebant ōlim oratores) ad temporum illorum rationem omnino congruit. Hodie ſubſiſtit *laudatiuum*, *deliberatiuum* ex parte: politicam enim eloquentiam mos publicus in ſacram tranſtulit; *iudiciale* plane ceſſauit. Cum vero ars noſtra eo tendat, vt in conſuetudine vitae, de qua re inciderit, et apte et compoſite tam loqui quam ſcribere doceat; quae reciſis aliis retinui; huc mihi potiſſimum ſpectare viſa ſunt.

z) Plinius maior intelligitur, quod patet ex iunioris L. III. ep. 5. ubi ait: *tres libros ſtudioſorum ab illo ſcriptos et in ſex volumina propter amplitudinem diuiſos*, in quibus oratorem ab incunabulis inſtituit et perficit.

rasse putant, hoc secutos arbitrantur, quod in his fere versari tum oratores videbant. Nam et laudes ac vituperationes scribebantur, et επιταφιοι a) dicere erat moris, et plurimum in consiliis ac iudiciis insumebatur operae, vt scriptores Artium pro solis comprehenderint frequentissima.

Tria sunt, quae praestare debet orator, vt doceat, moueat, delectet. b) Non semper autem omnia in eam, quae tractabitur, materiam cadent. Erunt enim quaedam remotae ab affectibus: qui, vt non vbique habent locum, ita quocumque irruperint, plurimum valent.

CAPVT V.

(L. III. c. V. VI.)

Quaestio, status, amborumque diuisio.

Quaestio intelligitur omnis, de qua in vtramque partem, vel in plures dici credibiliter potest. Conuenit, quaestiones esse aut infinitas aut finitas. c) Infinitae sunt

a) Επιταφιοι appellabantur sermones funebres ad sepulcra et monumenta olim dici soliti: Athenis, Menandro Auctore, in laudem mortuorum quot annis oratio fieri consueuit, in quo excelluisse Periclem antiquitus scriptum accepimus. Thucydides L. II. c. 14. orationem Periclis refert, quam in eorum, qui bello peloponnesio ceciderant, laudes habuit. Cicero de orat. L. II. c. 84. de Graecorum, Romanorumque laudationibus agit.

b) Cicero de orat. L. II. c. 27. *Ita ratio omnis dicendi tribus ad persuadendum rebus est nixa; vt probemus vera esse ea, quae defendimus; vt conciliemus nobis eos, qui audiunt; vt animos eorum, ad quemcunque caussa postulabit, motum vocemus.* Libro eodem c. 29. adhuc fusius.

c) De orat. L. II. c. 10.

ſunt, quae remotis perſonis et temporibus et locis, ceterisque ſimilibus, in vtramque partem tractantur, quod Graeci θεσιν dicunt; Cicero propoſitum; d) alii quaeſtiones vniuerſales ciuiles; alii quaeſtiones philoſopho conuenientes. e) Hoc genus Cicero ſcientia et actione diſtinguit, f) vt ſit ſcientiae, an prouidentia mundus regatur? actionis, an accedendum ad rempublicam adminiſtrandam? Prius, trium generum, an ſit? quid ſit? quale ſit? omnia enim haec ignorari poſſunt: ſequens, duorum, quo modo adipiſcamur? quo modo vtamur? Finitae autem ſunt ex complexu rerum, perſonarum, temporum, ceterorumque. Hae ὑποθεσεισ a Graecis dicuntur, cauſſae a noſtris. In his omnis quaeſtio videtur circa res perſonasque conſiſtere.

Cum vero omnis cauſſa contineatur aliquo ſtatu, prius quam dicere aggredior, quo modo genus quodque cauſſae ſit tractandum, id quod commune eſt omnibus, quid ſit ſtatus, intuendum puto. Quod nos ſtatum, id quidam conſtitutionem vocant, alii quaeſtionem, alii, quod ex quaeſtione appareat: Theodorus generale caput, id eſt, κεφαλαιον γενικωτατον, ad quod referantur omnia. Quorum diuerſa

d) Top. c. 21. qui locus legi meretur totus.

e) De ciuilitate ſupra dictum: Frequens erat inter Philoſophos, Platonem praeſertim et Ariſtotelem, de his diſputatio.

f) Illud igitur *ſcientiae*, cum ſimpliciter, vt res cognoſcatur, quaeritur; *actionis* vero, an praeter ſcientiam illud ipſum etiam agendum et aggrediendum ſit? noſtro loquendi modo *praktiſch*, *theoretiſch*.

ſa appellatio, vis eadem eſt: nec intereſt diſcentium, quibus quidque nominibus appelletur, dum res ipſa manifeſta ſit. Statum Graeci στατιν vocant: quae appellatio dicitur ducta, vel ex eo, quod ibi ſit primus cauſſae congreſſus, vel quod in hoc cauſſa conſiſtat. Atque inde erit ſtatus, quod orator praecipue ſibi obtinendum, et auditor ſpectandum maxime intelligit: quod eſſet in cauſſa potentiſſimum, et in quo maxime res verteretur. g)

A plurimis tres ſunt facti generales ſtatus; quibus et Cicero in oratore vtitur, h) et omnia, quae in controuerſiam veniant, contineri putat, ſitne? quid ſit? quale ſit? quorum nomina apertiora ſunt, quam vt docenda ſint. Ipſa hoc nobis natura praeſcribit. Nam primum oportet ſubeſſe aliquid, de quo ambigitur: quod, quid ſit, et quale ſit, certe non poteſt aeſtimari, niſi prius eſſe conſtiterit: ideoque ea prima quaeſtio. Sed non ſtatim, quod eſſe manifeſtum eſt, etiam, quid ſit, apparet. Hoc quoque conſtituto, nouiſſima qualitas ſupereſt: nec his

g) Vocula *ſtatus* ad ſolum genus iudiciale, quo tota Fabii ars ſpectat, refertur. Aeſchines in cauſſa Cteſiphontis petiit; vt Demoſthenes eo, qui in accuſando tenebatur, ordine reſponderet, nec extra ſtatum ferretur. Orat. locum vide Edit. Oxon. 1697. pag. 122. Hic cum pugilum ſtatu (qui verus graecae vocis ςασεως intellectus eſt) ſuam accuſationis formulam comparat Aeſchines: quae vox, de Athletarum ſtatu proprie vſurpari ſolita, vocabulum poſtea *Rhetorum κατα μεταφοραν* fieri caepit. In omni autem re, quae incidet, quaeque dictione ſit explicanda, ſtatum quaeſtionis ineſſe nemo non viderit; a quo, quin vaga ac circumforeana ſit oratio tua, deflectere non licet.

h) De ſtatu triplici Cic. de orat. L. II. c. 24. 25.

his exploratis aliud est vltra; neque vlla disputatio, nisi finitione, qualitate, coniectura potest explicari. i)

Sectio II.

De Inuentione.

Capvt. I.

(L. III. C. VII.)

De laude et vituperatione.

Ac potissimum incipiam ab ea, quae constat laude ac vituperatione. Quod genus videtur Aristoteles, atque eum secutus Theophrastus, a parte negotiali, hoc est πραγματικης, remouisse, totamque ad solos auditores relegasse: l) et id eius nominis, quod ab ostentatione ducitur, proprium est. Sed mos Romanus etiam negotiis hoc munus inseruit. Nam et funebres laudationes pendent frequenter ex publico aliquo officio, atque ex senatusconsulto magistratibus saepe mandantur. m) Est autem

i) Triplicis status exempla haec habe: 1mo *coniecturalis*, vtrum Coelius Clodiae venenum parauerit? *pro Coelio.* 2do *definitiui;* An largitio pecuniae a Plancio facta ambitus sit? *pro Plancio.* 3tio *qualitatis;* iure, nec ne, Milo Clodium occiderit? *pro Milone.*

l) Est hic secutus Aristoteles, L. I. Rhet., quod fieri passim videbat. Sophistae enim genus demonstratiuum occupanerant, eoque ad solam auditorum oblectationem quaestumque proprium vtebantur.

m) Clari viri saepe post mortem laudabantur a propinquis: non raro etiam a magistratibus, vt Brutus a Publicola. Dionysius Ha-

tem varia laus hominum. Nam primum diuiditur in tempora, quodque ante eos fuit, quoque ipſi vixerunt: in iis autem, qui fato ſunt functi, etiam quod eſt inſecutum. Ante hominem patria ac parentes, maioresque erunt, quorum duplex tractatus eſt. Aut enim reſpondiſſe nobilitati, pulchrum erit; aut humilius genus illuſtraſſe factis. Illa quoque interim ex eo, quod ante ipſum fuit, tempore trahentur, quae reſponſis vel auguriis futuram claritatem promiſerint: vt cum, qui ex Thetide natus eſſet, maiorem patre ſuo futurum ceciniſſe dicuntur oracula. n)

Ipſius vero laus hominis, ex animo, et corpore et extra poſitis peti debet. Et corporis quidem fortuitorumque cum leuior, tum non vno modo tractanda eſt. Nam et pulchritudinem interim roburque proſequimur honore verborum, o) vt Homerus in Agamemnone atque Achille. Interim confert admirationi multum etiam infirmitas, vt cum idem Tydea paruum, ſed bellatorem dicit fuiſſe Fortuna vero, cum dignitatem affert, vt in regibus principibusque (namque eſt haec materia oſtenden-

 dae

Halicarn. filium Appii adiiſſe tribunos ac conſules, vt ſibi ad populum concionem habere liceret, narrat. M. Iuuentio a ſenatu et laudatio et funus publicum et ſtatua decreta erant. De ſtatua Spurinnae eiusque filio defuncto poſita Plinius L. II. ep. 7. Nos Principum virorum aliorumque, qui ſcientia et rebus geſtis inclaruere, memoriam celebramus.

n) Oraculum vide in Catulli Argonauticis ſub finem.

o) De Agamemnone Iliad. L. II. v. 462. De Achille L. II. v. 671. De Tydea L. V. v. 787.

dae virtutis vberior) tum quo minores opes fuerunt, eo maiorem benefactis gloriam parit. Sed omnia, quae extra nos bona ſunt, quaeque hominibus forte obtigerunt, non ideo laudantur, quod habuerit quis ea, ſed quod his honeſte ſit vſus. Nam diuitiae, et potentia, et gratia, cum plurimum virium dent, in vtramque partem certiſſimum faciunt morum experimentum. Aut enim meliores propter haec, aut peiores ſumus. Animi ſemper vera laus: ſed non vna per hoc opus via ducitur. Namque alias aetatis gradus, geſtarumque rerum ordinem ſequi ſpecioſius fuit, vt in primis annis laudaretur indoles, tum diſciplinae, poſt hoc operum, id eſt, factorum dictorumque contextus: alias in ſpecies virtutem diuidere laudem, fortitudinis, iuſtitiae, continentiae, ceterarumque, ac ſingulis aſſignare, quae ſecundum quamque earum geſta erunt. Vtra ſit autem harum via vtilior, cum materia deliberabimus: dum ſciamus gratiora eſſe audientibus, quae ſolus quis, aut primus, aut certe cum paucis feciſſe dicetur: ſi quid praeterea ſupra ſpem aut exſpectationem, praecipue quod aliena potius cauſſa, quam ſua. *

Tem-

* Liquidas ſane, multoque indicio excogitatas Fabius pro vera laude regulas tradit, iis plane conformes, quae Abt de merito et Thomas in claſſico ſuo opere *Eſſay ſur les eloges* propoſuere. Exempla ſunto: *Plinii Panegyricus. Des Herrn Thomas Lobrede auf den Renatus des Cartes. Die Leichenrede des Herrn Biſchofs von Senes auf Ludwig den XVten. Heynes Rede auf Winkelmann. Schröcks Biographien.*

Tempus, quod finem hominis insequitur, non semper tractare contingit: non solum, quod viuentes aliquando laudamus, sed quod rara haec occasio est, vt referri possint diuini honores, p) et decreta, vt publice statuae constitutae. Inter quae numerauerim ingeniorum monumenta, quae seculis probarentur. Nam quidam, sicut Menander, q) iustiora posterorum, quam suae aetatis, iudicia sunt consecuti. Afferunt laudem liberi parentibus, vrbes conditoribus, leges latoribus, artes inuentoribus, nec non instituta quoque auctoribus, vt a Numa traditum deos colere, et a Publicola fasces populo submittere. r)

Qui omnis etiam in vituperatione ordo constabit tantum in diuersum. Nam et turpitudo generis opprobrio multis fuit; et quosdam claritas ipsa notiores circa vitia, et inuisos magis fecit; et in quibusdam, vt in Paride traditum est, praedicta pernicies; s) et corporis ac fortunae quibusdam mala contemtum, vt Thersitae t) atque Iro; quibusdam

 bona

p) Vide, quae Herodianus in apotheosi Seueri.

q) Menander in comicis certaminibus a Philemone multum quidem inferiore, gratia tamen et fortuna valente, saepe est victus; ipsi vero postea praelatus Aristophani a Plutarcho, cui tamen contradicit Frischlinus. De ingenii sui monumento Horat. Od. L. III. 30. *Exegi monumentum aere perennius, Regalique situ pyramidum altius.*

r) Publicola vocato ad concilium populo submissis fascibus in concionem ascendit, quod gratum multitudini spectaculum erat. Liu. L., II. c. 7.

s) Hecuba parituram se facem somniauit, qua Ilium conflagraret.

t) De Thersita Iliad. L. II. v. 212.

bona vitiis corrupta odium attulerunt; vt Nirea imbellem, Clisthenem u) impudicum, a poetis accepimus. Et animi totidem vitia, quot virtutes sunt; nec minus, quam in laudibus, duplici ratione tractantur. Et post mortem adiecta quibusdam ignominia est, vt Melio, x) cuius domus solo aequata; Marcoque Manlio, cuius praenomen e familia in posterum exemtum est. y) Et parentes malorum odimus. Et est conditoribus vrbium infamiae, contraxisse aliquam perniciosam ceteris gentem, vt Gracchorum leges inuisae. Sed in viuentibus quoque iudicia hominum, velut argumenta sunt morum; et honos aut ignominia veram esse laudem vel vituperationem probat. z)

Interesse tamen Aristoteles putat, vbi quidque laudetur, aut vituperetur. Nam plurimum refert, qui sint audientium mores, quae publice recepta persuasio: vt illa maxime, quae probant, esse in eo, qui laudabitur, credant; aut in eo, contra quem dicemus, ea, quae oderint. Ita non dubium erit iudicium, quod orationem praecesserit. Ipsorum

u) Clisthenes homo fuit impudicus saepius ab Aristophane et bis quidem in ranis v. 25. et 57. notatus. Vulgo Plisthenem legitur. Sed quia nullibi huius mentio facta, et Fabius tamen exemplis vti notissimis consueuit, in textum recipere non dubitaui.

x) De Melio Liu. L. IV. c. 16. De Manlio L. VI. c. 20.

y) De Praenominibus in certa familia damnatis Spanhemius Diss. X. de praestantia et vsu Numismatum.

z) Ex communi prudentia haec depromsit Fabius morum, eorumque, quae in rebus humanis quotidie fiunt, explorator et iudex sagacissimus.

rum etiam permiſcenda laus ſemper: a) nam id beneuolos facit: quoties autem fieri poterit, cum materiae vtilitate iungenda. Minus Lacedaemone ſtudia literarum, quam Athenis, honoris merebuntur: plus patientia, fortitudo. Rapto viuere b) quibusdam honeſtum, aliis cura legum. Frugalitas apud Sybaritas c) forſitan odio foret, veteribus Romanis ſummum luxuria crimen. d)

Laudantur autem vrbes ſimiliter atque homines. Nam pro parente eſt conditor; et multum auctoritatis affert vetuſtas, vt iis, qui terra dicuntur orti; et virtutes ac vitia circa res geſtas, eadem quae in ſingulis: illa propria, quae ex loci poſitione aut munitione ſunt. Ciues illis, vt hominibus liberi, decori. Eſt laus et operum, in quibus honor, vtilitas, pulchritudo, auctor ſpectari ſolet. Honor, vt in templis; vtilitas, vt in muris; pulchritu-

a) Id eſt: auditorum mores ſi rite cognoueris; eorum quoque laudem ita admiſcebis, vt materiae conueniat, tuisque argumentis fidem faciat. Sic laudaturus Diogenem apud Lacedaemonios dices: quantum frugalitate Lacedaemonii ſuperarent alias gentes; tantum Ariſtippi aliorumque a Diogene delicias vinci.

b) De hoc more Xenophon de republica et legibus Lacedaemoniorum.

c) De Sybaritis Eraſmus in adagio *menſae Sybariticae.*

d) Nihil in vita iucundius, viroque ciuili vtilius, quam multos videre homines, gentiumque ac populorum mores obſeruare. Ne pagum praetereas aut villam, quo non obſeruationis ſolertiam referas. Bene notat in itineris ſui ephemeridibus Sulzerus, in quouis vico linguam, veſtes, victum, tecta, agriculturam, eiusque inſtrumenta inter ſe differre. — Cui alienas adire terras non datum, itineraria ſaltem et literas publicas legat: *Bibliothek der neueſten Reiſebeſchreibungen; Forſters Reiſen um die Welt. Prydones Reiſe nach Sicilien. Verſchiedene Briefe im deutſchen Muſeum.*

chritudo vel auctor, vtrobique. Eſt et locorum, qualis Siciliae apud Ciceronem. In quibus ſimiliter ſpeciem et vtilitatem intuemur: ſpeciem, maritimis, planis, amoenis; vtilitatem, ſalubribus. Erit etiam dictorum factorumque laus generalis. Erit et rerum omnis modi. e)

CAPVT II.

(L. III. C. VIII.)

De Deliberatione.

Deliberatiuas f) quoque miror a quibusdam ſola vtilitate finitas. Ac, ſi quid in his vnum ſequi oporteret, potior fuiſſet apud me Ciceronis ſententia, qui hoc materiae genus dignitate maxime contineri putat. g) Nec dubito, quin hi, qui ſunt in

e) Hegeſias laudauit mortem; cuius lecta oratione multi ſibi manus intulerunt, mortem eſſe rerum omnium optimam perſuaſi. Lege poſtea cautum fuit; ne quis hanc orationem legeret. *Val. Max. L. VIII. c.* 9. *Sextus Empir. Pyrrh. hypoth.* 3. 24. *ſ.* 232. ſententias eorum refert, qui mortem vita potiorem duxerint. Cato et Chryſippus *braſſicae* integros libros dicarunt. Plin. L. XX. c. 9.

f) Apte hic obelum fixit Helmſtadienſis interpres: non hic tam artis praecepta, quam communem vitae philoſophiam tradi, qua rite percepta et tuus et aliorum Dux ſapiens eris. Cur tot conſilia, pulcherrimaque inſtituta plerumque vergant in peius, vnica forſan cauſſa eſt, quod in commune concipiantur, minus habita locorum, temporum et perſonarum ratione. Quae Fabius ab antiquitate exempla ſumſit, quotidianis et domeſticis illuſtrabit praeceptor rerum peritus. Ad res vero apte diiudicandas plurimum confert humanitatis hiſtoria, quam Iſelinus, Ferguſonius, Homius maxime excoluere. Ephemerides humanitatis; Möſers *patriotiſche Phantaſien* virum politicum minime fugiant. Nec legere ſolum ſufficit; hominum multorum mores oportet videre. Aliter plane res, ſi procul, aliter, ſi ex propinquo cognoſcas, apparent: minuitque ſaepe praeſentia famam.

g) Manauit hoc a Socrate, vtilitatem ab honeſtate ſeiungi poſſe qui negauit. Fuſius de hoc Cicero L. I. de officiis.

in illa priore ſententia, ſecundum opinionem pulcherrimam, ne vtile quidem, niſi quod honeſtum eſſet, exiſtimarint. Et eſt haec ratio veriſſima, ſi conſilium contingat ſemper bonorum atque ſapientum. Verum apud imperitos, apud quos frequenter dicenda ſententia eſt, populumque praecipue, qui ex pluribus conſtat indoctis, diſcernenda ſunt haec, et ſecundum communes magis intellectus loquendum. Sunt enim multi, qui etiam, quae credunt honeſta, non tamen ſatis eadem vtilia quoque exiſtiment; quae turpia eſſe dubitare non poſſunt, vtilitatis ſpecie ducti probent, vt foedus Numantinum h) iugumque Caudinum.

Pars deliberatiua (quae eadem ſuaſoria dicitur) officiis conſtat duobus, ſuadendi, ac diſſuadendi. Valet autem in Conſiliis auctoritas plurimum. Nam et prudentiſſimus eſſe haberique et optimus is debet, qui ſententiae ſuae de vtilibus atque honeſtis credere omnes velit. Conſilia enim, nemo eſt, qui neget, ſecundum mores dari. Cicero in hac maxime parte verſatur. Ideoque ſuaſuris de pace, bello, copiis, operibus, vectigalibus, haec duo praecipue nota eſſe voluit, vires ciuitatis et mores: i) vt ex natura cum ipſarum rerum, tum audientium ratio ſua-

h) Hoſtilius Mancinus a Numantinis victus turpem cum illis pacem fecit, vt relictis armis et impedimentis exercitum reduceret. Cic. L. III. de officiis c. 30. Plutarchus in vita T. et C. Gracchorum. De iugo Caudino Liu. L. IX. c. 1.

i) Pulcherrimus eſt Ciceronis locus de orat. L. II. c. 16.

ſuadendi duceretur. Quare in ſuadendo et diſſuadendo tria primum ſpectanda erunt, quid ſit, de quo deliberetur, qui ſint, qui deliberent, qui ſit, qui ſuadeat.

Rem, de qua deliberatur, aut certum eſt poſſe fieri, aut incertum. Si incertum, haec erit quaeſtio ſola, aut potentiſſima. Saepe enim accidet, vt prius dicamus, ne ſi poſſit quidem fieri, eſſe faciendum: deinde, fieri non poſſe. Cum autem de hoc quaeritur, coniectura eſt, an iſthmos l) intercidi, an ſiccari palus Pomtina, m) an portus fieri Hoſtiae poſſit? n) an Alexander terras vltra Oceanum ſit inuenturus. o) Sed in iis quoque, quae conſtabit poſſe fieri, coniectura aliquando erit: vt ſi quaeratur, an vtique futurum ſit, vt Carthaginem ſuperent Romani: vt redeat Hannibal, ſi Scipio

l) Iſthmus eſt terrarum anguſtia inter Corinthiacum et Sarronicum ſinum, quem Demetrius Rex; mox Caeſar Dictator; deinde Caligula, nouiſſime Nero perfodere nequidquam tentarunt. Suet. in vita Caeſ. c. 44.

m) Palus pomtina diſtabat ab urbe viginti paſſuum millibus. Plin. Hiſt. nat. L. III. c. 5. Locum viginti quatuor vrbium fuiſſe Munatianus ter Conſul refert. Exſiccata eſt a Cethego Conſ. Liu. L. XLVI. c. 44. Caeſar iterum tentauit. Liu. L. CXVI. c. 22. Deſcriptionem, cauſſas, item quae Pontifices ad eas exſiccandas iam egerint, refert Volkmann *in den hiſtoriſch- critiſchen Nachrichten von Italien*, Tomo III. p. 7. et ſeqq. Glorioſa Pii VI. molimina nota ex literis publicis.

n) Suetonius in vita Claudii n. 20.

o) Alexander Democritum, plures eſſe mundos, aſſerentem, cum audiret, Ariſtoteli, vnicum tantum ſtatuenti fidem habere deſiit, oceanumque nauigare conſtituit alium inueſtigaturus.

pio exercitum in Africam transtulerit: p) vt seruent fidem Samnites, si Romani arma deposuerint? Quaedam et fieri posse, et futura esse, credibile est; sed aut alio tempore, aut alio loco, aut alio modo. Vbi coniecturae non erit locus, alia sunt intuenda. Et primum, aut propter ipsam rem, de qua sententiae rogantur, consultabitur: aut propter alias interuenientes extrinsecus caussas. Propter ipsam deliberant Patres Conscripti, an stipendium militi constituant? Haec materia simplex erit. Accedunt caussae aut faciendi, vt deliberant P. C. an Fabios dedant Gallis bellum minitantibus? aut non faciendi, vt deliberat C. Caesar, an perseueret in Germaniam ire, cum milites passim testamenta facerent? Hae suasoriae duplices sunt. Nam et illic caussa deliberandi est, quod bellum Galli minitentur: esse tamen quaestio potest, dedendine fuerint, etiam citra hanc denunciationem, qui contra fas, cum legati missi essent, praelium inierint, regemque, ad quem mandata acceperant, trucidarint? q) Et hic nihil Caesar sine dubio deliberet, nisi propter hanc militum perturbationem. Est tamen locus quaerendi, an citra hunc quoque casum penetrandum in Germaniam fuerit? Semper autem de eo prius loquemur,

 de

p) Scipionis, qui haec promittit, oratio est apud Liuium L. XXVIII. c. 43. De Samnitibus apud eundem L. IX. c. 45. De stipendiis L. IV. c. 59. De Fabiis L. V. c. 35. De Caesaris deliberatione vide eiusdem historiam de bello gallico L. I. c. 39. Oratio prae reliquis lecta digna.

q) Ex iure gentium nec violare legatos licebat, nec vim inferre ipsi poterant.

de quo deliberari, etiam detractis ſequentibus, poſſet. Partes ſuadendi quidam putauerunt honeſtum, vtile, neceſſarium. r) Ego non inuenio huic tertiae locum. Quanta libet enim vis ingruat, aliquid fortaſſe pati neceſſe ſit, nihil facere: de faciendo autem deliberatur. Quod ſi hanc vocant neceſſitatem, in quam homines grauiorum metu coguntur, vtilitatis erit quaeſtio: vt ſi obſeſſi, et impares, et aqua ciboque defecti, de facienda ad hoſtem deditione deliberent, et dicatur, neceſſe eſt: nempe ſequitur, vt hoc ſubiiciatur, alioqui pereundum eſt. Ita propter id ipſum non eſt neceſſe, quia perire potius licet. Denique non fecerunt Saguntini, nec in rate Opitergina s) circumuenti. Igitur in his quoque cauſſis aut de ſola vtilitate ambigetur, aut quaeſtio inter vtile atque honeſtum conſiſtet. Itaque mihi ne conſilium quidem videtur, vbi neceſſitas eſt: non magis, quam vbi conſtat, quid fieri omnino non poſſe. Omnis enim deliberatio de dubiis eſt. Melius igitur, qui tertiam partem dixerunt δυνατον, quod noſtri poſſibile nominant, quae vt dura videatur appellatio, tamen ſola eſt.

Quas partes non omnes in omnem cadere ſuaſoriam manifeſtius eſt, quam vt docendum ſit. Tamen

r) Neceſſitas *phyſica* et *moralis* hic exponenda eſt; priorem cum excludat Fabius a deliberatione, nemo facile repugnauerit.

s) De Sagunto ab Annibale expugnato Liu. L. XXI. c. 14. In rate opitergina erant vectores mille iuuenes, qui mutuis ictibus ſe concidere, quam hoſtibus Pompeianis dare maluerunt. Florus L. IV. c. 2. n. 33.

men apud plerosque earum numerus augetur. Nam fas, iuſtum, pium, aequum, manſuetum quoque (ſic enim ſunt interpretati το ἥμερον) et ſi qua adhuc adiicere quis eiusdem generis velit, ſubiici poſſunt honeſtati. An ſit autem facile, magnum, iucundum, ſine periculo? ad quaeſtionem pertinet vtilitatis. Qui loci oriuntur ex contradictione, t) eſt quidem vtile, ſed difficile, paruum, iniucundum, periculoſum.

Tamen quibusdam videtur eſſe nonnumquam de iucunditate ſola conſultatio, vt ſi de aedificando theatro, inſtituendis ludis, deliberetur. Sed neminem adeo ſolutum luxu puto, vt nihil in cauſſa ſuadendi ſequatur praeter voluptatem. Praecedat enim ſemper aliquid neceſſe eſt, vt in ludis, honor Deorum; in theatro, non inutilis laborum remiſſio, deformis et incommoda turbae, ſi id non ſit, conflictatio.

Saepe vero et vtilitatem deſpiciendam eſſe dicimus, vt honeſta faciamus: vt cum illis Opiterginis damus conſilium, ne ſe hoſtibus dedant, quamquam perituri ſint, niſi fecerint. Et vtilia honeſtis praeferimus: vt cum ſuademus, vt bello Punico ſer-

ui

t) Hae, quae partibus ſubiiciuntur, ſpecies inde ſolent naſci, quod plerumque obiiciuntur ab iis, qui contradicunt. Suades e. g. aliquid, quia eſt vtile; opponent, qui diſſentiunt, difficultatem, pericula cet. quare ſuaſurus ea ipſa tanquam vtilia, facilia quoque ac minus periculoſa proponas.

ui armentur. u) Sed tamen neque hic plane concedendum eſt, eſſe id inhoneſtum; liberos enim natura omnes, et eisdem conſtare elementis, et fortaſſe aliquos antiquis etiam nobilibus ortos dici poteſt. x) et illic, vbi manifeſtum periculum eſt, opponenda alia, vt crudelius etiam perituros affirmemus, ſi ſe dediderint, ſiue hoſtis non ſeruauerit fidem, ſiue Caeſar vicerit, quod eſt vero ſimilius. Haec autem, quae tantum inter ſe pugnant, plerumque nominibus deflecti ſolent. y) Nam et vtilitas ipſa expugnatur ab iis, qui dicunt, non ſolum potiora eſſe honeſta, quam vtilia, ſed ne vtilia quidem eſſe, quae non ſint honeſta: et contra, quod nos honeſtum, illi vanum, ambitioſum, ſtolidum, verbis, quam re, probabilius vocant. Nec tantum inutilibus comparantur vtilia, ſed inter ſe quoque ipſa: vt ſi ex duobus eligamus, in altero, quid ſit magis, in altero, quid ſit minus. Creſcit hoc adhuc. Nam interim triplices etiam ſuaſoriae incidunt: vt cum Pompeius z) deliberauit, Parthos an Afri-

u) Ex lege ſerui non poterant militare: poſt cannenſem pugnam armabantur ii, qui vltro ſe militaturos promiſerant, vnde *volones* dicti. Florus L. II. c. 6. n. 23. Liu. L. XXII. c. 57.

x) Seruos et ancillas Romanorum ex nobiliſſimo ſaepe genere ortos fuiſſe conſtat ex Aete illa ab Nerone amata, quam regio ſanguine ortam ſubmiſſi conſulares peierando affirmabant. *Suetonius in Nerone n.* 28. Eo non adegiſſet conſulares Nero, niſi id fieri conſueſſet.

y) Deriuatio verborum, de qua ſaepe Fabius, eſt ὑποκορισμὸς ille, qui vicinarum virtutum nomina vitiis tribuit; vt, ſi temerarium, fortem; prodigum, liberalem dicas, vel contra.

z) Pompeii poſt aciem pharſalicam deliberatio eſt apud Lucanum L. VIII. v. 276. item apud Plutarchum in Pompeio.

Africam, an Aegyptum peteret. Ita non tantum, vtrum ſit melius, ſed quid ſit optimum, quaeritur. Itemque contra.

Fere omnis ſuaſoria nihil eſt aliud, quam comparatio: videndumque, quid conſecuturi ſimus, et per quid? vt aeſtimari poſſit, plus in eo, quod petimus, ſit commodi, an vero in eo, per quod petimus, incommodi? a) Eſt vtilitatis et in tempore quaeſtio, expedit, ſed non nunc; et in loco, non hic; et in perſona, non nobis, non contra hos; et in genere agendi, non ſic; et in modo, non in tantum.

Sed perſonam ſaepius decoris gratia intuemur, quae et in nobis, et in iis, qui deliberant, ſpectanda eſt. Itaque quamuis exempla plurimum in conſiliis poſſunt, quia facillime ad conſentiendum homines ducuntur experimentis: refert tamen, quorum auctoritas, et quibus adhibeatur. Diuerſi ſunt enim deliberantium animi, duplex conditio. Nam conſultant aut plures, aut ſinguli: ſed in vtrisque differentia: quia et in pluribus multum intereſt, Senatus ſit, an populus; Romani, an Fidenates; Graeci, an Barbari: et in ſingulis, Catoni petendos honores ſuadeamus, an C. Mario; de ratione belli

Sci-

a) Recte de his Seneca: *Quidquid inter vicina eminet, magnum eſt illic, vbi eminet: num magnitudo non habet certum modum; comparatio eam aut tollit aut deprimit.* Omnia, quae nos hic circumdant, relatiue bona vel mala ſunt. Ab hac ergo comparatione omnis pendet conſultatio.

Scipio prior, an Fabius deliberet. Proinde intuenda ſexus, dignitas, aetas. Sed mores praecipue diſcrimen dabunt. b)

Et honeſta quidem honeſtis ſuadere facillimum eſt: ſi vero apud turpes recta obtinere conabimur, ne videamur exprobrare diuerſam vitae ſectam, cauendum eſt. Et animus deliberantis, non ipſa honeſti natura, quam ille non reſpicit, permouendus; ſed laude, vulgi opinione, et, ſi parum proficiet haec vanitas, ſecutura ex his vtilitate; aliquanto vero magis obiiciendo aliquos, ſi diuerſa fecerint, metus. Nam praeter id, quod his leuiſſimi cuiusque animus facillime terretur, neſcio an etiam naturaliter apud plurimos plus valeat malorum timor, quam ſpes bonorum: ſicut facilior eisdem turpium, quam honeſtorum, intellectus eſt. c)

Multum refert etiam, quae ſit perſona ſuadentis: quia ante acta vita, ſi illuſtris fuit, aut clarius

b) Naturam praecipue illius, cui ſuades, temperamentum, praedominantes opiniones ac ſtudia oportet noſſe. Nationis vſque adeo, hominumque, inter quos viuitur, et climatis habenda eſt ratio. Munus ipſum, quod quis gerit, in mores influit. Ita Plinius L. II. ep. 3. *Nos enim, qui in foro verisque litibus terimur, multum malitiae, quamuis nolimus, addiſcimus.* Haec aut perſequi, ſi proſint, aut, ſi obſint, corrigere decet. Ita Caeſar apud Salluſtium plurimum in euellendis Patrum praeiudiciis haeret. Bello Catilin. c. 51.

c) In his plurimum valet educatio cum publica, tum priuata. Deformiter et inter plagas, ſeruosque inhoneſtos educatus honeſtis plerumque aures occludit, nec niſi metu concitatur. Liberalem mentem et laudis ab adoleſcentia auidam imperia frangent, et ad peſſima quaeque metus durabit. Ex hoc non raro gentis vniuerſae mores pendent. Qui praeſunt, quique auctoritate aut conſiliis alios regunt, eo ſemper reſpiciant.

rius genus, aut aetas, aut fortuna, affert exſpectationem, prouidendumque eſt, ne, quae dicuntur, ab eo, qui dicit, diſſentiant. At his contraria ſubmiſſiorem quemdam modum poſtulant. Nam quae in aliis libertas eſt, in aliis licentia vocatur. Et quibusdam ſufficit authoritas; quosdam ratio ipſa aegre tuetur.

Ideoque longe mihi difficillimae videntur proſopopociae, d) in quibus ad reliquum ſuaſoriae laborem, accedit etiam perſonae difficultas. Namque idem illud aliter Caeſar, aliter Cicero, aliter Cato ſuadere debebit. Vtiliſſima vero haec exercitatio, vel quod duplicis eſt operis, vel quod poetis quoque, aut hiſtoriarum futuris ſcriptoribus plurimum confert, verum et oratoribus neceſſaria. Nam ſunt multae a Graecis Latinisque compoſitae orationes, quibus alii vterentur, ad quorum conditionem vitamque aptanda, quae dicebantur, fuerunt. e)

An

d) Proſopopoeiae ſunt fictae alienarum perſonarum orationes; quarum vſus quidem apud nos ceſſauit; Hiſtorico tamen et Poetae, quae Fabius hic tradit, ignorare non licet. Lege, quae Horatius arte poetica a verſu 156. Quibus adiecit quaedam Marmontel artis ſuae pag. 215. Multa de his quoque Ariſtoteles in ſua de moribus et affectibus doctrina, quam interpres Marmontelii in vernaculam vertit, artique ſuae ſubiecit. p. 24. et ſeqq. Vtile et non iniucundum eſſet, illuſtrium virorum, quorum hic auctor meminit, aliorumque ex hiſtoria mores cognoſcere, quo plurimum Plutarchi vitae paralellae faciunt; nec non illorum effigies in gemmis aut ſtilo Bauſiano et Verhelſiano expreſſas inter ſe comparare.

e) Sic Lyſias orationem Socrati attulit, quam ſi videretur ediſceret, et pro ſua in iudicio vteretur. Reſpuit autem Socrates, quia legi, quae, vt ſuam quisque cauſſam diceret, fraus adhibebatur.

An eodem modo cogitauit, aut eamdem perſonam induit Cicero, cum ſcriberet Cn. Pompeio, et cum C. Appio, ceterisue; ac non vniuscuiusque eorum fortunam, dignitatem, res geſtas intuitus, omnium, quibus vocem dabat, etiam imaginem expreſſit? vt melius quidem, ſed tamen ipſi dicere viderentur. Neque enim minus vitioſa eſt oratio, ſi ab homine, quam ſi a re, cui accommodari debuit, diſſidet: ideoque Lyſias optime videtur in iis, quae ſcribebat indoctis, ſeruaſſe veritatis fidem. f) Dicit Cicero de ſuaſoria, hoc modo, tota autem oratio, ſimplex et grauis, et ſententiis debet ornatior eſſe, quam verbis. Vſum exemplorum nulli materiae magis conuenire merito fere omnes conſentiunt, cum plerumque videantur reſpondere futura praeteritis, habeaturque experimentum velut quoddam rationis teſtimonium. g) Breuitas quoque aut Copia non genere materiae, ſed modo, conſtant.

Quae omnia vera eſſe ſciet, ſi quis non orationes modo, ſed hiſtorias etiam (namque in his conciones atque ſententiae plerumque ſuadendi ac diſſuadendi

dendi

f) Quae vitio Lyſiae ſiccitas atque humilitas datur, a variis perſonis eſt, quibus orationem accommodauit.

g) Haec eo dicuntur, vt in adhibendis exemplis ſimilitudo conſilii coniungatur cum ſimilitudine exempli. Maxime hic cuſtodienda eſt analogia, cuius leges, et ab inductione differentiam erudite dedit Bergſtraeſſer *im Realwörterbuch* Art. *Analogia*.

dendi funguntur officio) legere maluerit, quam in commentariis rhetorum consenescere. h)

CAPVT III.

(L. III. c. IX.)

De Partibus orationis.

Orationis partes quinque sunt, prooemium, narratio, probatio, refutatio, peroratio. i) His adiecerunt quidam partitionem, propositionem, quae probationi succedunt. Egressio vero, vel (quod vsitatius esse coepit) excessus, siue est extra caussam, non potest esse pars caussae: siue est in caussa, adiutorium vel ornamentum partium est earum, ex quibus egreditur. l)

C Ve-

h) In hunc finem ii maxime legendi historici, qui ingenio praediti philosophico ad scribendum accessere, ac maiorum praecipue euentuum caussas in remotissimis saepe temporibus plane retrusas viderunt. Tales sunt Polybius (vide *Casauboni praefationem*) Sallustius (*Brieglеb de lectione Sallustiana*) Tacitus (*Melanges de Poesie, d'eloquence et erudition. Tacite avec des notes historiques et politques par Amelot de la Houssaye. Item Gordoni animaduersiones*) Robertson *Geschichte von America*, Schmidt *Geschichte der Deutschen.*

i) Hae maioris orationis partes sunt. In qualibet vero materia pro re saltem inuenies. Quid scribes, vbi non sit quid naturaliter primum, secundum et sic deinceps; vbi non aliqua exponenda confirmandaque fuerint. Epistola quaeque Ciceroniana aut Pliniana rem declarabunt.

l) *Egressio* veteribus duplex erat: altera *delectationis* caussa, cum facta narratione in plausibilem quendam locum excurrebant; altera *pro ipsius materiae ratione* in omnibus paene partibus fieri consueuit. Vt in Verrem laus Siciliae, raptus Proserpinae, et pro Cornelio Cn Pompeii virtutum commemoratio.— Maximum vero poëmatis ornamentum est; vt in Homero, Virgilio, Horatio passim exempla suppeditant. Musica vsque adeo et pictura egressione non carent. Generalis regula est, vt, quoties a scopo diuertit artifex, id eo faciat, vt commodius et melius, licet per anfractus, ad eundem redeat.

Verum ex his, quas conſtitui, partibus, non vt quidque primum dicendum, ita primum cogitandum eſt: ſed ante omnia intueri oportet, quod ſit genus cauſſae? quid in ea quaeratur? quae proſint? quae noceant? deinde, quid confirmandum ſit, ac refellendum? tum, quo modo narrandum? Expoſitio enim probationum eſt praeparatio: nec eſſe vtilis poteſt, niſi prius conſtiterit, quid debeat de probatione promittere. Poſtremo intuendum, quemadmodum auditor ſit conciliandus. Neque enim, niſi totis cauſſae partibus diligenter inſpectis, ſcire poſſumus, qualem nobis facere animum cognoſcentis expediat. m) Neque ideo tamen eos probauerim, qui ſcribendum quoque prooemium nouiſſime putant. Nam vt conferri materiam omnem oportet, et, quid quoque loco ſit opus, conſtare debet, antequam dicere aut ſcribere ordiamur: ita incipiendum ab iis, quae prima ſunt. Nam nec pingere quisquam aut fingere coepit a pedibus: nec denique ars vlla conſummatur ibi, vnde ordiendum eſt. Quid fiet alioqui, ſi ſpatium componendi orationem ſtilo non fuerit? Nonne nos haec inuerſa conſuetudo deceperit? Inſpicienda igitur materia eſt, quo praecipimus ordine; ſcribenda, quo dicimus.

CA-

redeat. Quo ſpectauit Fabius, cum alio loco παρέκβασιν ita deſcripſit: *Eſt alienae rei, ſed ad vtilitatem cauſſae pertinentis, extra ordinem excurrens tractatio.* Sulzerus Art. *Epiſode.*

m) Optimum iis, qui nimis in ſtilum pruriunt, fraenum eſt praeuia meditatio, cui quo magis quis ſe dederit, eo longius temere ſcribendi periculum a ſe remouebit.

CAPVT IV.

(L. IV. c. I.)

De Exordio.

Quod principium latine vel exordium dicitur, maiore quadam ratione Graeci videntur προοίμιον nominasse: quia a nostris initium modo significatur, illi satis clare partem hanc esse ante ingressum rei, de qua dicendum sit, ostendunt. Nam siue propterea, quod οἴμη cantus est, et citharoedi pauca illa, quae, antequam legitimum certamen inchoent, emerendi fauoris gratia canunt, prooemium cognominâuerunt: oratores quoque ea, quae, priusquam caussam exordiantur, ad conciliandos sibi iudicum animos praeloquuntur, eadem appellatione signarunt: siue quod οἶμον iidem Graeci viam appellant, id, quod ante ingressum rei ponitur, sic vocare est institutum: certe prooemium est, quod apud auditorem, priusquam caussam cognouerit, prosit. n)

n) Certamen, ἀγῶνα, dicebant veteres, quando de fama artis inter peritos certatum est. De certaminibns musicis Neronianis Suetonius in Nerone, ad quem vide Torrentii notas. — Varii sunt plerumque animorum habitus, quando ad audiendum aliquid vel agendum homines conueniunt. Hic ab epulis, ille ab negotiis iam gratis, iam iniucundis; commotus alius, alius curis domesticis districtus minus apertum ad ea, quae audit, percipienda, animum afferunt. Hinc drama aut quoduis certamen musicum praecedit symphonia, qua varii quasi in vnum formantur colorem animi. Hoc ipsum est, quod cum audientes praeparet, intueatur orator. — Praeter ea sympathiam, quae est in mutuo quodam animorum cum dicente consensu, omnino promoueat; nedum, si adsit, turbet aut impediat. Cui faueмus, facile credimus; et sicut cito offenduntur, ita tarde nimis

Cauſſa vero principii nulla eſt alia, quam vt auditorem, quo ſit nobis in ceteris partibus accommodatior, praeparemus. Id fieri tribus maxime rebus, inter auctores plurimos conſtat, ſi beneuolum, attentum, docilem fecerimus: non quia iſta non per totam actionem ſint cuſtodienda, ſed quia initiis praecipue neceſſaria, per quae in animum auditoris, vt procedere vltra poſſimus, admittimur.

Beneuolentiam aut a perſonis ducimus, aut a cauſſis accipimus. Quamquam pauciora de ſe ipſo dicit orator, et parcius, plurimum tamen ad omnia momenti eſt in hoc poſitum, ſi vir bonus creditur. Sic enim continget, vt in primis exiſtimetur ad agendum magna atque honeſta ratione, aut etiam neceſſitate acceſſiſſe. Sed vt praecipua in hoc dicentis auctoritas ſit, omnis in ſubeundo negotio ſuſpicio ſordium, o) aut odiorum, aut ambitionis abſuerit. Vitandum etiam, ne contumelioſi, maligni, ſuperbi, maledici in quemquam hominem ordinemue videamur, praecipueque eorum, qui laedi, niſi auerſa auditorum voluntate, non poſſunt. Nam in auditorem ne quid dicatur, non modo palam, ſed quod

omni-

mis conciliantur animi. Ad hos motus ſympatheticos partim excitandos, partim non impediendos reſpexit Fabius, cum pro initiis regulas ſcripſit.

o) Per ſordes intelligitur auaritiae vitium, quod in accipiendis erogandisque pecuniis indecore verſatur; eo humilius, quo minus dignitas perſonae id patitur. Quam humile hoc vitium veteribus videretur, ipſa *ſordium* appellatio declarat.

omnino intelligi possit, stultum erat monere, nisi fieret. p)

Mores quoque (si fieri potest) auditoris velim nosse. Si caussa conciliandi nobis auditoris materiam dabit, ex hac potissimum aliqua in vsum principii, quae maxime fauorabilia videbuntur, decerpi oportebit. Quae sint porro in caussis fauorabilia, enumerare non est necesse, quoniam et manifesta erunt, cognita cuiusque controuersiae conditione, et omnia colligi in tanta litium varietate non possunt.

Audientem attentum facit, si res agi videtur noua, magna, atrox, pertinens ad exemplum: praecipue tamen, si auditor, aut sua vice, aut Reipublicae commouetur, cuius animus spe, metu, admonitione, precibus, vanitate q) denique, si id pro-

p) Nil magis, quam iactantia et maledicendi libido, animos abalienat. Habet mens, vt Fabius alio loco ait, sublime quiddam et erectum et impatiens superioris. Hinc minime, per quos deprimi videmur, patimur. — Quantum vero repugnent alienati a se animi, animaduertere in se ipso quisque potest. Verissima dicentibus contradicimus, et optima suadentibus agentibusque reluctamur. Quae in iis probamus, quibus fauemus, in aliis, quos odimus, vituperamus; et cur alio atque alio dicente eadem saepe placeant, offendantque, nulla alia quam diuersus animorum habitus ratio reddi potest. Ita Plin. L. I. ep. 20. n. 12. *Adiiciam, quod me docuit vsus, magister egregius; frequenter egi, frequenter iudicaui, frequenter in consilio fui. Aliud alios mouet, ac plerumque paruae res maximas trahunt. Varia sunt hominum iudicia, variae voluntates: inde qui eandem caussam simul audierunt, saepe diuersum, interdum idem, sed ex diuersis animi motibus sentiunt.*

q) Id est, suum agi honorem auditor putet, si fidem adhibeat, ducique se ab oratore sine

profuturum credemus, agitandus eſt. Sunt et illa excitandis ad audiendum non inutilia, ſi nos neque diu moraturos, neque extra cauſſam dicturos exiſtiment.

Docilem ſine dubio et haec ipſa praeſtat attentio: ſed et illud, ſi breuiter et dilucide ſummam rei indicauerimus: quod Homerus atque Virgilius operum ſuorum principiis faciunt. Nam iſtius rei modus eſt, vt propoſitioni ſimilior ſit, quam expoſitioni: nec quomodo quidque ſit actum, ſed de quibus dicturus ſit orator, oſtendat. Non inutilis etiam eſt ratio occupandi, quae videntur obſtare: vt Cicero dicit, ſcire ſe mirari quosdam, quod is, qui per tot annos defenderit multos, laeſerit neminem, ad accuſandum Verrem deſcenderit: deinde oſtendit hanc ipſam ſociorum defenſionem.

Verum quoniam non eſt ſatis demonſtrare diſcentibus, quae ſint in ratione prooemii, ſed dicendum etiam, quo modo perfici facillime poſſint: hoc adiicio, vt dicturus intueatur, quid, apud quem, pro quo, contra quem, quo tempore, quo loco, quo rerum ſtatu, qua vulgi fama dicendum ſit? quid

nat. Laudis gloriaeque cupido quam ſit facinorum praeclariſſimorum foecunda, dici non poteſt, dum animum rite occupauerit. Omnes laboramus ambitione, eaque imprudentes et inuiti, tum denique, cum ipſi nobis reluctari videmur, trahimur. Altum ſemper haec propenſio latet, ſaepe virtutis ſpecie tecta; ad quam ſi meatum inueneris, omnibus nequidquam tentatis, animus feliciter ſubitur.

quid auditorem ſentire credibile ſit, ante quam incipiamus? tum, quid aut deſideremus, aut deprecemur? Ipſa illum natura eo ducet, vt ſciat, quid primum dicendum ſit. At nunc omne, quod coeperint, prooemium putant, et, vt quidque ſuccurrerit, vtique ſi aliqua ſententia blanditur, exordium. Multa autem ſine dubio ex aliis partibus ſunt, aut aliis partibus cauſſae communia: nihil tamen in quaque melius dicitur, quam quod aeque bene dici alibi non poſſit. Multum gratiae exordio eſt, quod non compoſitum domi, ſed ibi atque e re natum, et facilitate famam ingenii auget, et facie ſimplicis ſumtique e proximo ſermonis fidem quoque acquirit: adeo vt, etiam ſi reliqua ſcripta atque elaborata ſint, tamen plerumque videatur tota extemporalis oratio, cuius initium nihil praeparatum habuiſſe manifeſtum eſt. r) Frequentiſſime vero prooemium decebit et ſententiarum, et compoſitionis, et vocis, et vultus modeſtia: adeo vt in genere cauſſae, etiam indubitabili, fiducia ſe ipſa nimium exerere non debeat. s)

 Nec

r) Praeclare de exordiis Cicero L. I. de Inuent. c. 15. et ſeqq. c. 18 ita: *Exordium ſententiarum et grauitatis plurimum debet habere, et omnino omnia, quae pertinent ad dignitatem, in ſe continere, propterea quod id optime faciendum eſt, quod oratorem auditori maxime commendet: ſplendoris, et feſtiuitatis, et concinnitudinis minimum, quod ex his ſuſpicio quaedam apparitionis atque artificioſae diligentiae naſcitur, quae maxime orationi fidem, oratori adimit auctoritatem.*

s) Naturalis eſt fauor pro laborantibus, ſicut ſuperbiae et arrogantiae reſiſtimus; hoc enim facere tanquam maiores videmr.

Nec minus diligenter, ne ſuſpecti ſimus illa parte, vitandum: propter quod minime oſtentari debet in principiis cura. Illud ex praeceptis veteribus manet, ne quod inſolens verbum, ne audacius translatum, ne aut ab obſoleta vetuſtate, aut a poetica licentia ſumtum, in principio deprehendatur. Nondum enim recepti ſumus, et cuſtodit nos recens audientium intentio: magis conciliatis animis, et iam calentibus, libertas feretur, maximeque cum in locos fuerimus ingreſſi, quorum naturalis vbertas licentiam verbi notari circumfuſo nitore non patitur.

Nec argumentis autem, nec locis, nec narrationi ſimilis eſſe in prooemio debet oratio, neque tamen deducta ſemper, atque circumlata, ſed ſaepe ſimplici atque illaboratae ſimilis, nec verbis vultuque nimia promittens. t) Diſſimulata enim, et, vt Graeci dicunt, ἀνεπίφατος actio melius ſaepe ſurrepit: turbari memoria, vel continuandi verba facultate deſtitui, nusquam turpius: cum vitioſum prooemi-

mur. In familiari congreſſu vultus et ſermonis arrogantia, praecipue autem *egoiſmus* quantum irritet animos, quam vero humanitas, et viro digna verecundia ſe commendet; diſcere quotidie licet. *Magnum*, inquit Cicero, de orat. L. I. c. 25. *quoddam eſt onus atque munus ſuſcipere, atque profiteri, ſe eſſe omnibus ſilentibus unum maximis de rebus, magno in conuentu audiendum. Adeſt enim fere nemo, quin acutius atque acrius in dicente hominum vitia quam recta videat: quidquid eſt, in quo offenditur, etiam illa, quae laudanda ſunt, obruit.* Et c. 26. *Mihi etiam, quique optime dicunt, quique id facillime atque ornatiſſime facere poſſunt, tamen, niſi timide ad dicendum accedunt, paene impudentes videntur.*

t) Horat. arte poet. v. 136. ſeqq. Vide quoque Xenophontis initium memorabilium Socratis, et Taciti prooemium in vitam Agricolae.

oemium possit videri cicatricosa facies: et pessimus certe gubernator, qui nauem, dum portum egreditur, impegit.

CAPVT V.

(L. IV. C. II.)

De Narratione.

Maxime naturale est, et fieri frequentissime solet, ac debet, vt, praeparato per haec, quae supra dicta sunt, auditore, res, de qua auditurus est, indicetur. u) Ea est narratio. Quae est rei factae, aut vt factae vtilis ad persuadendum expositio; vel (vt Apollodorus finit) oratio docens auditorem, quid in controuersia sit. x) Eam plerique scriptores, maxime qui sunt ab Isocrate, volunt esse lucidam, breuem, verisimilem.

u) Narratio confirmationem in genere iudiciali praecedere omnino debuit. In iudiciis plurima erat quaestio qualitatis, quae cum ex adiunctis rerum petitur, multum sane, quo modo res exponeretur, intererat. Talis narrationis vice iam quaeuis rei obscurioris expositio fungitur. Maxime sane oratoris, sicut auctoris cuiuscunque, cura sit in eo, vt in principio intelligatur. Rerum veras notiones, verborumque veros intellectus praeberi audientibus plane oportet. Nisi amoris in patriam veram naturam eiusque gradus praeuie docueris, grauissima etiam argumenta hanc virtutem parum commendabunt. Quas vero narrationis leges hic inuenis, generales sunt, oratori et poetae communes.

x) Prima finitio narrationem cum historicam, tum fictam comprehendit. Si res, vt contigit, narratur, *historia;* si, non vt facta est, sed fieri naturaliter solet, *fictio* est. Narratio primi et secundi generis si ad delectandum adhibetur, *poetis* conuenit, et proprias denuo virtutes habet; quas poeticae artes exponunt; si ad faciendam fidem, *oratoris* est, ad quam Apollodori finitio spectat. Sulzer Art. *Erzählung*.

Erit autem aperta narratio atque dilucida, ſi fuerit primum expoſita verbis propriis et ſignificantibus, et non ſordidis quidem, non tamen exquiſitis, et ab vſu remotis; tum diſtincta rebus, perſonis, temporibus, locis, cauſſis, ipſa etiam pronuntiatione in hoc accommodata, vt auditor, quae dicuntur, quam facillime accipiat. y) Quae quidem virtus negligitur a plurimis, qui, ad clamorem diſpoſitae; z) vel etiam forte circumfuſae multitudinis compoſiti, non ferunt illud intentionis ſilentium: a) nec ſibi diſerti videntur, niſi omnia tumultu ac vociferatione concuſſerint: rem indicare, ſermonis quotidiani, et in quemcunque etiam indoctiorum cadentis eſſe, exiſtimant: cum interim, quod tamquam facile contemnunt, neſcias, praeſtare minus velint, an poſſint. Neque enim aliud in eloquentia cuncta experti, difficilius reperient, quam id, quod ſe dicturos fuiſſe omnes putant, poſt quam audierunt: quia non bona iudicant eſſe illa, ſed vera. Tum autem optime dicit orator, cum videtur

y) De perſpicuitate Cicero L. II. de orat. c. 80.

z) Clamor pro plauſu auditorum ponitur. Multitudo diſpoſita ea eſt, quae conducta erat pretio, vt applauderet. De hoc abuſu Plinius L. II. ep. 14. n. 4. Σοφως erat formula adclamationis; quorum vox non deſiderabatur in foro, iis coena poſtea non deerat. Vnde illud Martialis L. VI. in Pomponium:

Quod tam grande σοφως clamat tibi turba togata:
Non tu, Pomponi, coena diſerta tua eſt.

Plura vide in notis Geſneri ad Plinium et apud Voſſium de imitatione C. VII.

a) Intentionis ſilentium eleganter exprimit Plinius L. II. ep. 10. n. 7. *Quo ego, cum dico aut recito, non minus quam clamore delector: ſit modo ſilentium acre et intentum et cupidum recentiora audiendi.*

tur vera dicere. b) At nunc, velut campum nacti expoſitionis, hic potiſſimum et vocem flectunt, et ceruicem reponunt, et brachium in latus jactant, totoque et rerum et verborum et compoſitionis genere laſciuiunt: deinde (quod ſit monſtro ſimile) placet actio, cauſſa non intelligitur. c) Verum haec omittamus, ne minus gratiae, praecipiendo recta, quam offenſae, reprehendendo praua, mereamur.

Breuis erit narratio ante omnia, ſi inde caeperimus rem exponere, vnde ad auditorem pertinet; deinde, ſi nihil extra cauſſam dixerimus; tum etiam, ſi reciderimus omnia, quibus ſublatis, nec cognitioni quidquam, nec vtilitati detrahatur. Solet enim eſſe quaedam partium breuitas, quae longam tamen efficit ſummam. In portum veni, nauim proſpexi, quanti veheret interrogaui, de pretio conuenit, conſcendi, ſublatae ſunt ancorae, ſoluimus oram, prouecti ſumus. Nihil horum dici celerius poteſt, ſed ſufficit dicere, e portu nauigaui. Et, quoties exitus rei ſatis oſtendit priora, debemus hoc eſſe contenti, quo reliqua intelliguntur. Quare cum dicere liceat: Eſt mihi filius iuuenis, omnia illa ſuperuacua, cupidus ego liberorum vxorem duxi, natum ſuſtuli, filium educaui, in adoleſ-

b) Diu in his Fabii verbis haereant docentes. Rem indicare (*ſich beſtimmt ausdrücken*) ſumma auctoris virtus, quae corruptis partim negligitur, partim neſcitur. *Eraſmus de rerum et verborum copia.*

c) Trahunt geſticulationes ſcenicae, verborumque voluptates ineruditum quemque, vt quaſi in obtutu haereat, et declamatori adſtupeat; finito autem ſermone, quid didicerit, neſcit.

leſcentiam perduxi. Ideoque Graecorum aliqui aliud circumciſam expoſitionem, id eſt συντομον, aliud breuem putauerunt: d) quod illa ſuperuacuis careret, haec poſſet aliquid ex neceſſariis deſiderare. Nos autem breuitatem in hoc ponimus, non vt minus, ſed ne plus dicatur, quam oporteat. Nam iterationes quidem, et ταυτολογιας, et περισσολογιας, quas in narratione vitandas quidam ſcriptores Artium tradiderunt, tranſeo. Sunt enim haec vitia non tantum breuitatis gratia refugienda.

Non minus autem cauenda erit, quae nimium corripientes omnia ſequitur, obſcuritas: ſatiusque eſt aliquid narrationi ſupereſſe, quam deeſſe. Nam ſuperuacua cum toedio dicuntur, neceſſaria cum periculo ſubtrahuntur. Quare vitanda etiam illa Salluſtiana (quamquam in ipſo virtutis locum obtinet) breuitas, et abruptum ſermonis genus: e) quod otioſum fortaſſe lectorem minus fallit, audientem transuolat, nec, dum repetatur, exſpectat: cum praeſertim lector non fere ſit, niſi eruditus; vt fortaſſe vbique, in narratione tamen praecipue, media haec tenenda ſit via dicendi, quantum opus eſt, quantum ſatis eſt. Quantum opus eſt autem, non ita ſolum accipi volo, quantum ad iudicandum ſufficit: quia

d) Συντομια, conciſio, apud Graecos expoſitio erat, cui aut nihil deerat, aut ſuperabat; oppoſita μακρολογια, quae habet ſuperuacuum. Breuitas contra ita ſtrictim narrabat, vt et deſiderarentur neceſſaria. Ab hac diſtinctione diſſentit Fabius, et breuitatem in eo, vt ſuperflua omittantur, ponit.

e) Abruptus ſermo eſt, qui ſine circuitione verborum rem breuiter indicat.

quia non inornata debet esse breuitas, alioqui sit indocta. Nam et fallit voluptas, et minus longa, quae delectant, videntur: f) vt amoenum ac molle iter, etiam si est spatii amplioris, minus fatigat, quam durum arduumque compendium. Nec enim mihi vmquam tanta fuerit cura breuitatis, vt non ea, quae credibilem faciunt expositionem, inseri velim. Simplex enim et vndique praecisa, non tam narratio vocari potest, quam confusio.

Credibilis erit narratio ante omnia, si prius consuluerimus nostrum animum, nequid naturae dicamus aduersum, deinde si caussas ac rationes factis praeposuerimus, non omnibus, sed de quibus quaeritur; si personas conuenientes iis, quae facta credi volemus, constituerimus, vt furti reum, cupidum; adulterii, libidinosum; homicidii, temerarium; vel contra, si defendemus: praeter ea loca, tempora, et similia. Est autem quidam etiam ductus rei credibilis, g) qualis in comoediis, et in mimis. h) Aliqua enim naturaliter sequuntur et cohae-

f) De hac breuitate Plinius L. I. ep. 20. n. 20. — Mart. L. II. epp. 77. v. 7.
Non sunt longa, quibus nihil est, quod demere possis.

g) Ductus rei credibilis in fabulae dispositione ille rerum ordo est, qui rebus quotidianis ita respondet, vt cum ex parte nouitate delectemur, nihilominus, non fictis, sed veris interesse rebus videamur. Hoc ad illud plane pertinet, quod nostri in fabula *Illusion*, *Tauschung*, vocant; et a quo Dramatis laus et euentus pendet. Vide Marmontelium c. 8. *von der Wahrscheinlichkeit*. Si vero Poeta imitatur et perficit naturam dum fingit; qui vera narrat, sane eam non deseret.

h) Mimus poematis species erat, quoduis actionis genus imitans, vt ridiculum faceret. Sic versus Mimi-

haerent, vt, si bene priora narraueris, auditor ipse, quod postea sis narraturus, exspectet. Ne illud quidem fuerit inutile, semina quaedam probationum spargere: verum sic, vt narrationem esse meminerimus, non probationem. Nonnumquam etiam argumento aliquo confirmabimus, quod proposuerimus, sed simplici et breui: vt in veneficiis, sanus bibit, statim concidit, liuor ac tumor confestim est insecutus.

His tribus narrandi virtutibus adiiciunt quidam magnificentiam, quam μεγαλοπρεπειαν vocant. Illa quoque vt narrationi apta, ita ceteris partibus communis est virtus, quam Theodectes huic vni proprie dedit; non enim magnificam modo vult esse, verum etiam iucundam expositionem. Sunt, qui adiiciant his euidentiam, quae ἐναργεια i) Graece vocatur. Neque ego quemquam deceperim, vt dissimulem, Ciceroni quoque plures partes placere. Nam, praeter quam planam, et breuem, et credibilem, vult esse euidentem, moratam, cum dignitate. Sed in oratione morata debent esse omnia,

Mimiiambos scripsisse C. Mattium auctor Macrobius L. 1. Sat. c. 4. Harum post fabularum actores mimi quoque dicti: inter quos tandem prodiere artifices, qui gesticulationibus omnia, sicut sermone, exprimerent, παντομιμοι dicti. Qui lusus ita placuere populo romano, vt ars prope summam attigerit. Vide Lucianum de saltatione et Du Bois reflexions sur la Poesie et la peinture.

i) ἀργος lucidum et clarum significat. Hinc ἐναργια recte euidentia dicitur, quae rem non tam indicat, quam ostendit. ἐνεργια ab ἐργον opus deducitur, et virtus est, quae orationem efficacem reddit. De enargia plura inferius.

nia, cum dignitate, quae poterunt. Euidentia in narratione, quantum ego intelligo, est quidem magna virtus, cum quid veri non dicendum, sed quodammodo etiam ostendendum est: sed subiici perspicuitati potest. Ego vero (neque enim dissimulabo iudicium meum, quamquam id, quod sum dicturus, exemplis magis, quam praeceptis vllis, continetur) narrationem, vt si vllam partem orationis, omni, qua potest, gratia et venere exornandam puto. l) Sed plurimum refert, quae sit natura ejus rei, quam exponimus. In paruis ergo sit ille pressus, et velut applicitus rei cultus: in verbis summa diligentia, quae in locis impetu feruntur, et circumiectae orationis copia latent; hic expressa, et, vt vult Zeno, sensu tincta esse debebunt: m) compositio dissimulata quidem, sed tamen quam iucundissima: figurae, non illae poeticae, et contra fidem loquendi auctoritate veterum receptae, (nam debet esse quam purissimus sermo) sed quae varietate taedium effugiant, et mutationibus animum levent: ne in eundem casum, similem compositionem, pares elocutionum tractus incidamus. Caret enim ceteris lenociniis expositio, et, nisi commendetur

hac

l) Narrationis suauitatem expressit Cicero de part. orat. c. 9. *Suauis autem narratio est, quae habet admirationes, exspectationes, exitus inopinatos, interpositos motus animorum, colloquia personarum, dolores, iracundias, metus, laetitias, cupiditates.* Item de orat. l. II. c. 80.

m) Libro de interpretatione ab Aristotele scripto, calamum in mente intinxisse dictus est. Isidorus L. II. c. 27. De Zenone, huius formulae auctore, nihil certi dici potest.

hac venustate, iaceat necesse est. Nec in vlla parte intentior est auditor: eoque nihil recte dictum perit. Praeter ea, nescio quomodo etiam credit facilius, quae audienti iucunda sunt, et voluptate ad fidem ducitur.

Multum confert adiecta veris credibilis rerum imago, quae velut in rem praesentem perducere audientes videtur. Ne illud quidem praeteribo, quantam afferat fidem expositioni narrantis auctoritas: quam mereri debemus ante omnia quidem vita, sed et ipso genere orationis, quod quo fuerit grauius, sanctius, hoc plus habeat necesse est in affirmando quoque ponderis. Effugienda igitur in hac praecipue parte omnis calliditatis suspicio: (neque enim se vsquam custodit magis auditor) nihil videatur fictum, nihil sollicitum. Omnia potius a caussa, quam ab oratore profecta credantur. Sed hoc pati non possumus, et perire artem putamus, nisi appareat: cum desinat ars esse, si apparet. n)

CAPVT VI.

(L. IV. C. IV. V.)

De Propositione et Partitione.

Mihi propositio videtur omnis confirmationis initium: quod non modo in ostendenda quaestione principali, sed non nunquam etiam in singulis argumen-

n) *Si latet ars: prodest, affert deprensa pudorem.* Ouid. Exemplum iustae narrationis Actione II. in Verrem L. IV, c.27.

mentis poni ſolet, maximeque in his, quae ἐπιχειρήματα vocantur. o) Sed nunc de priore loquimur. Ea non ſemper vti neceſſe eſt. Aliquando enim ſine propoſitione quoque aliqua ſatis manifeſtum eſt, quid in quaeſtione verſetur: Sed non numquam valde vtilis eſt, praecipue in cauſſis obſcuris ac multiplicibus.

Sunt autem propoſitiones et ſimplices, et duplices vel multiplices. Quod accidit non vno modo. Nam et plura crimina iunguntur, vt, cum Socrates accuſatus eſt, quod corrumperet iuuentutem,

D et

o) Επιχειρημα ſiue ratiocinatio tribus ſane conſtat partibus: *Propoſitione*, quae breuiter exponit id, vnde omnis ratiocinationis vis naſcatur, et plerumque continet argumentum ex aliquo loco deſumtum (*Vorderſatz*). *Aſſumtione*, quae id, quod habet propoſitio valens ad demonſtrandum, adiungit ſubiecto concluſionis (*Unterſatz*). *Concluſione* denique, quae exponit id, quod ratiocinatione efficitur (*Schluſsfolgerung*). E. g. *Melius gubernantur ea, quae conſilio geruntur, quam quae ſine conſilio;* en propoſitio! — *Nihil autem melius adminiſtratur quam mundus;* aſſumtio. *Conſilio igitur adminiſtratur.* En concluſio! — Quae iam propoſitio quaeſtionem principalem oſtendit, et ad quam ceu ad fontem omnes ratiocinationes referuntur, *principalis;* quae vnamquamque ratiocinationem inchoat, *ſecundaria* eſt. Magna quaeuis oratio et principali et pluribus ſecundariis propoſitionibus conſtat. — Vt a Fabio non recedam, exemplum ſit cauſſa Socratis: Factus eſt capitis reus: Rem ita adgreſſi fuerint inimici: *Pernicioſum in republica ciuem viuere non oportet: talis cum ſit Socrates, vita priuetur.* Aſſumtio vlteriore probatione egens ita ducebatur: *qui iuuentutem corrumpit, qui nouas ſuperſtitiones inducit, pernicioſus ſane homo eſt:* quod ex factis conficiebant. — Manifeſtum eſt; primam propoſitionem: *perniciosum in republica ciuem vita priuandum*, vt omnium caput, eſſe *principalem;* duas, *qui corrumpit iuuentutem; qui nouas ſuperſtitiones inducit:* vt ſingularum ratiocinationum initia, ſecundarias, iisque cauſſam totam conſtare; Itaque ſi finito exordio dicas: *Socrates, vt qui iuuentutem corrumpit, et nouas ſuperſtitiones inducit, eſt capitis reus*, propoſitionem feciſti cum partitione.

et nouas ſuperſtitiones introduceret: et ſingula ex pluribus colliguntur, vt, cum legatio male geſta obiicitur Aeſchini, quod mentitus ſit, quod nihil ex mandatis fecerit, quod moratus ſit, quod munera acceperit. p) Hae ſi ponantur ſingulae ſubiectis probationibus, plures ſunt propoſitiones; ſi coniungantur, in partitionem cadunt.

Partitio eſt noſtrarum propoſitionum ordine collata enumeratio. Hac quidam vtendum ſemper putant, quod ea et fiat cauſſa lucidior, et auditor intentior ac docilior, ſi ſcierit, et de quo dicimus, et de quo dicturi poſtea ſumus. Rurſus quidam periculoſum id oratori arbitrantur duabus ex cauſſis: quod non numquam et excidere ſoleant, quae promiſimus, et, ſi qua in partiendo praeterierimus, occurrere. q) Quod quidem nemini accidet, niſi qui plane vel nullo fuerit ingenio, vel ad agendum nihil cogitati praemeditatique detulerit. Alioqui quae tam manifeſta et lucida eſt ratio, quam rectae partitionis? Sequitur enim naturam ducem, adeo, vt memoriae id maximum ſit auxilium, via dicendi non decedere. Quapropter ne illos quidem proba-

p) Socrates Anytum et Melitum accuſatores habuit. Aeſchinem vero ad Philippum Macedoniae Regem de percutiendo foedere miſſum, male obitae legationis accuſauit Demoſthenes.

q) Cicero de Curione in Bruto c. 60. *Memoria ita fuit nulla, vt aliquoties, tria cum propoſuiſſet, aut quartum adderet, aut tertium requirere.* Sed quam obliuioſus fuerit, ſtatim ſpecimen adfert: *Et cum pro Seruio Naeuio diceret, ſubito totam cauſſam oblitus eſt.* Item in orat. c. 37.

bauerim, qui partitionem vetant vltra tres propositiones extendere. Quae ſine dubio, ſi nimium ſit multiplex, fugiet memoriam auditoris, et turbabit intentionem: hoc tamen numero velut lege non eſt alliganda, cum poſſit cauſſa plures deſiderare.

Alia ſunt magis, propter quae partitione non ſemper ſit vtendum: primum, quia pleraque gratiora ſunt, ſi inuenta ſubito, nec domo allata, ſed inter dicendum ex re ipſa nata videantur. Propoſitis enim partibus omnis in reliquum gratia nouitatis praecerpitur. Interim vero etiam fallendus eſt auditor, et variis artibus ſubeundus, vt aliud agi, quam quod petimus, putet. Nam eſt non numquam dura propoſitio, quam auditor, ſi prouidet, non aliter reformidat, quam qui ferrum medici prius, quam curetur, aſpexit: r) at ſi, re non ante propoſita, ſecurum, ac nulla denuntiatione in ſe conuerſum intrarit oratio; efficiet, quod promittenti non crederetur.

Praeter haec in omni partitione eſt vtique aliquid potentiſſimum, quod cum audiuit auditor, cetera tamquam ſuperuacua grauari ſolet. Itaque, ſi plura vel obiicienda ſunt vel diluenda: et vtilis et iucunda partitio eſt, vt, quid quaque de re dicturi ſumus, ordine appareat: at ſi vnum crimen varie defendemus,

r) Chirurgo et medici nomen dedere veteres, Cicerone, Celſo, aliisque teſtibus. Ex Galeno quoque colligitur aut ſolo ferro, aut victus ratione curare antiquos ſolitos.

mus, superuacua. s) Vt, si ita partiamur, dicam, non talem esse hunc, quem tueor, vt in eo credibile videri possit homicidium: dicam, occidendi caussam huic non fuisse: dicam, hunc eo tempore, quo homo occisus est, trans mare fuisse: omnia, quae ante id, quod vltimum est, exsequeris, inania videri necesse est. Festinat enim auditor ad id, quod potentissimum est. t)

Sed, vt non semper necessaria, aut etiam superuacua partitio est, ita oportune adhibita plurimum orationi lucis et gratiae confert. Neque enim id solum efficit, vt clariora fiant, quae dicuntur, rebus velut ex turba extractis, et in conspectu auditorum positis: sed reficit quoque audientem certo singularum partium fine: non aliter, quam facientibus iter, multum detrahunt fatigationis notata inscriptis lapidibus spatia. u) Nam et exhausti laboris nosse mensuram voluptati est, et hortatur ad reliqua fortius exsequenda, scire, quantum supersit. Nihil enim longum videri necesse est, in quo, quid

s) Id est: *quaestiones* multiplices amant; *simplices* respuunt diuisionem.

t) Sapientius ille, qui, cum dixisset sibi viginti aliquot caussas fuisse non commodandi amico libri, quarum prima esset, quod ipse non haberet; reliquarum omnium gratia vt sibi fieret, facile impetrauit. Hanc Gesneri notam huc ponere volui; vt, quam ridicula non raro sit rerum simplicium articulata diuisio, appareat.

u) Milliaria lapidibus olim notabantur: vnde ad primum ab vrbe lapidem. Rutilius Numant. Itin. L. II.

Interualla viae fessis praestare videtur,
Qui notat inscriptus millia crebro lapis.

vbi spatia erant discriminanda, Mercurii statuas ponebant.

quid vltimum ſit, certum eſt. Nec immerito multum ex diligentia partiendi tulit laudis Q. Hortenſius: cuius tamen diuiſionem, in digitos diductam, non numquam Cicero leuiter eludit. x) Nam eſt ſuus et in geſtu modus, et euitanda maxime conciſa nimium et velut articuloſa partitio. Nam et auctoritati plurimum detrahunt minuta illa, nec iam membra, ſed fruſta: et huius gloriae cupidi, quo ſubtilius et copioſius diuiſiſſe videantur, et ſuperuacua aſſumunt, et, quae natura ſingularia ſunt, ſecant: nec tam plura faciunt, quam minora. Deinde, cum fecerunt mille particulas, in eamdem incidunt obſcuritatem, contra quam partitio inuenta eſt. y)

Diuiſa et ſimplex propoſitio, quoties vtiliter haberi poteſt, z) primum eſſe debet aperta atque lucida, (nam quid ſit turpius, quam id eſſe obſcurum ipſum, quod in eum ſolum adhibetur vſum, ne ſint cetera obſcura?) tum breuis, nec vllo ſu-

x) Cicero in Bruto c. 88. — Pro Quintio ita c. 10. *Hortenſi, totam cauſſae meae dictionem certas in partes diuidam: Tu id ſemper facis, quia ſemper potes: ego in hac cauſſa faciam, propterea quod in hac videar poſſe facere.*

y) Oratores galli diuiſionum ſubtilitate non raro peccare videntur, in luſus enim incidunt, et ad minutias rediguntur. Bourdaloue vaſtam, quam in vnica oratione ſemper complexus eſt, materiam feliciter diuidendo exhauſit, quem, cui aut mens anguſtior, aut circumſcriptior ſermo eſt, male imitatur. Giſbertus acutiſſimus auctor, tacitus diuiſionum minutias vituperat, vbi de orationis ſimplicitate agit. c. 18. Wurz, Mosheim, Spalding, Saurin, Ieruſalem maſculam et in hoc grauitatem praeſeferre videntur.

z) Senſus talis eſt: Quoties vtile eſt vel propoſitionem *ſimplicem* habere, vel *diuiſam*, quae vno nomine partitio vocatur; opera danda eſt, vt ſit *aperta*.

peruacuo onerata verbo. Non enim, de quo dicamus, ſed, de quo dicturi ſimus, oſtendimus. Obtinendum etiam, ne quid in ea deſit, ne quid ſuperſit.

CAPVT VII.

(L. V. PROOEMIVM. ET C. VIII.)

De Confirmatione.

Fuerunt, et clari quidem auctores, a) quibus ſolum videretur oratoris officium docere. Namque et affectus duplici ratione excludendos putabant, primum, quia vitium eſſet omnis animi perturbatio; deinde, quia auditorem a veritate depelli miſericordia, vel ira ſimilibusque, non oporteret: et voluptatem audientium petere, cum vincendi tantum gratia diceretur, non modo agenti ſuperuacuum, ſed vix etiam viro dignum, arbitrabantur. b) Plures vero, qui nec ab illis ſine dubio partibus rationem orandi ſubmouerent, c) hoc tamen proprium atque praecipuum crederent opus, ſua confirmare, et, quae ex aduerſo proponerentur, refutare. Vtrumcunque eſt, (nec enim hoc loco meam interpo-

a) Inter quos potiſſimum fuiſſe Ariſtotelem facile ex eius Rhetoricorum prologo perſpici poteſt, in quo demonſtrat maxime proprium eſſe oratoris, *docere.* Multi vero Stoicorum de Rhetorice ſcripſerunt, vt Zeno et Chryſippus. Qui cum affectus pro animi morbis haberent, ab oratione excluſerunt.

b) De his inferius, vbi plura de affectibus. Elegans eſt Palladae carmen Anthol. L. 1. c. 43. Carm. 1. ex verſione Laberii.

Eſſe cenſeo Philoſophumque Deumque,
Calumniis ſtatim qui non iraſcitur.

c) Scilicet vt et moueretur auditor et delectaretur.

pono ſententiam) hic erit liber illorum opinione maxime neceſſarius, quo toto haec ſola tractantur. Nam neque prooemii, neque narrationis eſt alius vſus, quam vt auditorem praeparent: et ſtatus noſſe, atque ea, de quibus ſupra ſcripſimus, intueri, ſuperuacuum foret, niſi ad hanc perueniremus. Denique ex quinque, quas fecimus, partibus, quaecunque alia poteſt aliquando neceſſaria cauſſae non eſſe, nulla eſt: cui probatione opus non ſit.

Probatio autem, quae eſt tota in arte, conſtatque rebus ad faciendam fidem appoſitis, plerumque aut omnino negligitur, aut leuiſſime attingitur ab iis, qui argumenta, velut horrida et confragoſa, vitantes, amoenioribus locis deſident: d) neque aliter quam ii, qui traduntur a poetis guſtu cuiusdam apud Lotophagos e) graminis, et ſirenum cantu deliniti, voluptatem ſaluti praetuliſſe, dum lau-

d) Argumenta, dialecticum magis acumen deſiderant. Hinc verbis laſciuientes magis locis communibus inhaeſere.

e) Lotophagi populi ſunt Africi, apud quos naſcebatur *Lotus*, cuius dulcedinem qui guſtauit, continuo illic manere voluit. Ad hos populos tempeſtate actus venit Vlyxes; multoque loti guſtu captos ſocios amiſit. — Arborisne foetum comederint, an fructum leguminis, an florem herbae, non conuenit inter auctores. Homerus L. IX. odyſſeae v. 54. vbi de lotophagis, ἄνθινον εἶδαρ *floreum cibum;* Plinius Hiſt. nat. L. XIII. c. 17. arborem vocat, quae *Celtis* latine dicitur, ſub quo nomine inuenies apud Linnaeum (*Neſſelbaum*). Item Plinius L. XXII, c. 21. herbam eſſe ſcribit his verbis: *Loton, qui arborem putant tantum eſſe, vel Homero auctore coargui poſſunt. Is enim inter herbas ſubnaſcentes Deorum voluptati Loton primam nominauit.* Vide Iliaden Lib. XIV. verſ. 348. Fabius forſan memoria lapſus herbam aegyptiacam confudit cum arbore africana Lotophagorum.

dis falſam imaginem ſequuntur, ipſa, propter quam dicitur, victoria cedunt. Atqui cetera, quae continuo magis orationis tractu decurrunt, f) in auxilium atque ornamentum argumentorum comparantur, neruisque illis, quibus cauſſa continetur, adiiciunt ſuperinducti corporis ſpeciem: vt, ſi forte quid factum ira, vel metu, vel cupiditate dicatur, latius, quae cuiusque affectus natura ſit, proſequamur. Iisdem laudamus, incuſamus, augemus, minuimus, deſcribimus, deterremus, querimur, conſolamur. Sed horum eſſe opera in rebus aut certis, aut de quibus tamquam certis loquimur, poteſt.

Nec abnuerim eſſe aliquid in delectatione, multum vero in commouendis affectibus. Sed haec ipſa plus valent, cum ſe didiciſſe auditor putat: quod conſequi niſi argumentatione, aliaque omni fide rerum, non poſſumus. g) Quorum prius quam partior ſpecies, indicandum reor, eſſe quaedam in omni probationum genere communia.

Nam nec vlla quaeſtio, quae non ſit aut in re, aut in perſona; nec eſſe argumentorum loci poſſunt, niſi in iis, quae rebus aut perſonis accidunt: eaque

aut

f) Loci ſunt communes. — A Terrae, quae tractus dicitur, planitie metaphora haec ſumta eſt. — Loci communes veſtiunt ornantque argumenta, ſicut cutis caroque neruos tegit.

g) Argumentis docentibus ita adſperſa ſit gratia et voluptas, vt lector non ſentiat quaeſitam eſſe; ſed ex ipſo potius veri ſenſu in animum cum motu illabentis excitetur.

aut per ſe inſpici ſolent, aut ad aliud referri: nec vlla confirmatio, niſi aut antecedentibus, aut ex conſequentibus, aut ex repugnantibus: et haec neceſſe eſt aut ex praeterito tempore, aut ex coniuncto, aut ex ſequenti petere: nec vlla res probari niſi ex alia poteſt: eaque ſit oportet aut maior, aut par, aut minor. Argumenta vero reperiuntur aut in quaeſtionibus, quae etiam ſeparatae a complexu rerum perſonarumque ſpectari per ſe poſſint: aut in ipſa cauſſa, cum inuenitur aliquid in ea, non ex communi ratione ductum, ſed eius rei, de qua cognoſcitur, proprium.

Probationum praeter ea omnium aliae ſunt neceſſariae, aliae credibiles, aliae non repugnantes. h) Adhuc, omnium probationum quadruplex ratio eſt, vt vel, quia aliquid eſt, aliud non ſit, vt, dies eſt, nox non eſt: vel, quia eſt aliquid, aliud ſit, vt, ſol eſt ſuper terram, dies eſt: vel, quia aliquid non eſt, aliud ſit, vt, nox non eſt, dies eſt: vel, quia aliquid non eſt, nec aliud ſit, vt, non eſt rationale, nec homo eſt. His in vniuerſum praedictis partes ſubiiciam.

CAPVT VIII.

(L. V. C. IX.)

De Signis.

Omnis igitur probatio artificialis conſtat aut ſignis, aut argumentis, aut exemplis. Diuidun-

h) *Sichere Beweiſe, glaubliche, muthmaſsliche.*

duntur autem in has primas duas ſpecies, quod eorum alia ſunt, vt dixi, quae neceſſaria, alia, quae non neceſſaria ſunt. Priora illa ſunt, quae aliter habere non poſſunt, quae Graeci τεκμηρια vocant, quae ſunt ἀλυτα σημεια, quae mihi vix pertinere ad praecepta artis videntur: nam, vbi eſt ſignum inſolubile, i) ibi ne lis quidem eſt. Id autem accidit, cum quid aut neceſſe eſt fieri, factumue eſſe; aut certe omnino non poteſt fieri, vel eſſe factum. Alia ſunt ſigna non neceſſaria, quae εικοτα Graeci vocant: quae, etiam ſi ad tollendam dubitationem ſola non ſufficiunt, tamen adiuncta ceteris, plurimum valent.

Signum vocant (vt dixi) σημειον, quamquam id quidam indicium, quidam veſtigium nominauerunt, per quod alia res intelligitur, vt per ſanguinem caedes. At, quia ſanguis vel ex hoſtia reſperſiſſe veſtem poteſt, vel e naribus profluxiſſe: non vtique, qui veſtem cruentam habuerit, homicidium fecerit. Sed, vt per ſe non ſufficit, ita ceteris adiunctum, teſtimonii loco ducitur, ſi inimicus, ſi minatus ante, ſi eodem loco fuit: quibus ſignum cum acceſſit, efficit, vt, quae ſuſpecta erant, certa videantur. Alioqui ſunt quaedam ſigna vtrique parti communia, vt liuores, tumores. Nam videri poſſunt et veneficii, et cruditatis: et vul-

nus

i) Signum inſolubile eſt, cuius vlterior ratio dari, aut quod alior-ſum trahi nequit.

nus in pectore, ſua manu, et aliena periſſe dicentibus in aequo eſt. Haec perinde firma habentur, atque extrinſecus adiuuantur. Nec mihi videntur Areopagitae, cum damnauerunt puerum coturnicum oculos eruentem, aliud iudicaſſe, quam id ſignum eſſe pernicioſiſſimae mentis, multisque malo futurae, ſi adoleuiſſet. Vnde Spurii Melii, Marcique Manlii l) popularitas, ſignum affectati regni eſt exiſtimatum. Sed vereor, ne longe nimium nos ducat haec via.

CAPVT. IX.

(L. V. C. X.)

De Argumentis.

Cum ſit argumentum, ratio probationem praeſtans, qua colligitur aliud per aliud, et quae, quod eſt dubium, per id, quod dubium non eſt, confirmat: m) neceſſe eſt eſſe aliquid in cauſſa, quod probatione non egeat. Alioqui nihil erit, quo probemus, niſi fuerit, quod aut ſit verum, aut videatur, ex quo dubiis fides fiat.

Pro

l) In annonae caritate Sp. Melius frumentum populo eſt largitus. M. Manlius obaeratos paſſim ſoluebat, et aere alieno liberabat.

m) Natura haec ratiocinationis et vis diuina eſt, vt quae cognoſcere ex ſe non licet, ex comparatione rerum inter ſe connexarum videamus. *Nauigantibus in mari primum apparent montium cacumina.* quod conſtat experientia: fieri autem non poſſet, *niſi deuexum eſſet mare*, quod rurſus liquet. Ad quae experimenta, ſi figuram terrae, de qua dubites, referas; ex comparatione indubitato colliges, *rotundam eſſe.*

Pro certis autem habemus primum, quae ſenſibus percipiuntur, vt, quae videmus, audimus, qualia ſunt ſigna: deinde ea, in quae communi opinione conſenſum eſt, Deos eſſe, praeſtandam pietatem parentibus: praeter ea, quae legibus cauta ſunt: quae perſuaſione, etiam ſi non omnium hominum, eius tamen ciuitatis aut gentis, in qua res agitur, in mores recepta ſunt: ſiquid inter vtramque partem conuenit: ſi quid probatum eſt: denique, cuicumque aduerſarius non contradicit. Sic enim fiet argumentum, cum prouidentia mundus regatur; n) adminiſtranda eſt res publica: vt adminiſtranda res publica ſit, ſi liquebit mundum prouidentia regi. Debent etiam nota eſſe recte argumenta tractaturo, vis et natura omnium rerum, et quid quaeque earum plerumque efficiat. Hinc enim ſunt, quae εικοτα dicuntur.

Credibilium autem genera ſunt tria: vnum firmiſſimum, quod fere accidit, vt, liberos a parentibus amari: alterum velut propenſius, o) eum, qui recte valeat, in craſtinum peruenturum: tertium tantum non repugnans, in domo furtum factum ab eo, qui domi fuit. Ideoque Ariſtoteles in ſecun-

n) Stoici aſſerebant, *ſapientem oportere Deum imitari*. Deum vero prouidentia ſua mundum regere inter illos conuenerat; recte igitur, *conſilio adminiſtrandam rempublicam*, inferebatur.

o) Translatio hic deſumta eſt a libra, quae iam non in aequilibrio eſt, ſed in alteram partem aliquantulum inclinat. Et ſic medius quidam gradus inter firmiſſimum et non repugnans eſt.

cundo de Arte Rhetorica libro diligentiſſime eſt exſecutus, quid cuique rei, et quid cuique homini ſoleat accidere; et quas res, quosque homines, quibus rebus, aut hominibus, vel conciliaſſet, vel alienaſſet ipſa natura: vt, diuitias quid ſequatur, aut ambitum, aut ſuperſtitionem; quid boni probent, quid mali petant, quid milites, quid ruſtici, quo quaeque modo res vitari vel appeti ſoleat. p) Verum hoc exſequi mitto: non enim longum tantum, ſed etiam impoſſibile, ac potius infinitum eſt: praeter ea poſitum in communi omnium intellectu. Si quis tamen deſiderauerit, a quo peteret, oſtendi. Omnia autem credibilia, in quibus pars maxima conſiſtit argumentationis, ex huius modi fontibus fluunt, An credibile ſit, a filio patrem occiſum, inceſtum cum filia commiſſum? et contra, veneficium in nouerca, adulterium in luxurioſo? Illa quoque, An ſcelus palam factum? an falſum dixerit propter exiguam ſummam? quia ſuos quisque horum velut mores habet: plerumque tamen, non ſemper: alioqui indubitata eſſent, non argumenta.

Ex

p) Haec omnia a vero obſeruationis ſpiritu pendent. Deſcendat homo in ſemet ipſum, ſua ſtudia, propenſiones, animique pro varietate rerum mutationes diſcat. Et quia inſtinctibus fere iisdem agimus; ſe ipſum noſcens aliorum quoque, cum minus ſe obſeruari putant, ſe minus cuſtodiunt, et ſuam rem cum quadam induſtria aut tumultu agunt, obſeruet; et, ſi quae ex quotidiano vſu ſolers obſeruator didicit, ad praeteritorum temporum hiſtoriam referat; ſcenam quidem, tempora relationesque externas, ipſos minime homines mutari, deprehendet.

Excutiamus nunc argumentorum locos. Locos appello ſedes argumentorum, in quibus latent, et ex quibus ſunt petenda. Nam, vt in terra non omni generantur omnia, nec auem aut feram reperias, vbi quaeque naſci aut morari ſoleat, ignarus; et piſcium quoque genera alia planis gaudent, alia ſaxoſis, regionibus etiam littoribusque diſcreta ſunt, nec helopem noſtro mari q) aut ſcarum ducas: ità non omne argumentum vndique venit; ideoque non paſſim quaerendum eſt. Multus alioqui error eſt, et exhauſto labore, quod non ratione, ſcrutabimur, non poterimus inuenire, niſi caſu. At, ſi ſcierimus, vbi quidque naſcatur: cum ad locum ventum erit, facile, quod in eo eſt, peruidebimus.

In primis igitur argumenta ſaepe a perſona ducenda ſunt. Cum ſit, vt dixi, diuiſio, vt omnia in haec duo partiamur, res atque perſonas: vt cauſſa, tempus, locus; occaſio, inſtrumentum, modus, et cetera, rerum ſint accidentia. Perſo-

nis

q) Columella L. VIII. c. 16. n. 19. *Helops pamphylio profundo, nec alio naſcitur. Scarus totius Aſiae Graeciaeque litoribus, Sicilia tenus, frequentiſſimus exit, nunquam in Liguſticum, nec per Gallias enauit ad Hibericum mare.* Plinius L. IX. c. 17. *Mari Carpathio maxime frequens, promontorium Troadis Lecton ſponte nunquam tranſit. Inde aduectos Tiberio Claudio Principe Optatus Elipertius praefectus claſſis inter oſtienſem et Campaniae oram ſparſos diſſeminauit. Quinquennio fere cura eſt adhibita, vt capti redderentur mari. Poſtea frequentes inveniuntur in Italiae littore, non antea ibi capti.* Poſterius ignoratum fuiſſe Columellae, indicant eiusdem verba: *Itaque, ne ſi capti quidem perferantur in noſtra viuaria, diuturni queant poſſideri.*

nis autem non, quidquid accidit, exſequendum mihi eſt, vt plerique fecerunt, ſed, vnde argumenta ſumi poſſunt. Ea porro ſunt, Genus, r) nam ſimiles parentibus ac maioribus ſuis filii plerumque creduntur; et non nunquam ad honeſte turpiterque viuendum inde cauſſae fluunt. Natio, s) nam et gentibus proprii mores ſunt, nec idem in Barbaro, Romano, Graeco, probabile eſt: Patria, quia ſimiliter etiam ciuitatum leges, inſtituta, opiniones habent differentiam. Sexus, vt latrocinium facilius in viro, veneficium in femina credas. Aetas, quia aliud aliis annis magis conuenit. Educatio et diſciplina, quoniam refert, a quibus, et quo quisqus modo ſit inſtitutus. Habitus corporis, ducitur enim frequenter in argumentum, ſpecies libidinis, robur petulantiae; his contraria in diuerſum. Fortuna, nec enim tam idem credibile eſt in diuite, ac paupere; propinquis, amicis, clientibus abundante, et in his omnibus deſtituto. Conditionis etiam diſtantia eſt, num clarus an obſcurus, magiſtratus an priuatus, pater an filius, ciuis an peregri-

r) Vox *genus* triplicem intellectum habet: 1mo comprehenditur familiae cuiusdam collectio; 2do origo aut caput; 3tio demum illud, quod de pluribus ſpeciebus dicitur. In qua ſignificatione eſt appellatio dialecticorum. De poſtrema inferius: priores acceptiones hoc loco deſignat Fabius. Exemplum eſt in orat. pro Sextio c. 3.

s) *Natio* et *patria:* Cicero pro Archia c. 3. *Sexus*, pro Sextio c. 21. *Aetas*, pro Roſcio Amer. c. 14. *Educatio* et *diſciplina*, pro Quintio c. 17. Philipp. 2. c. 7. *Habitus corporis*, pro Roſcio Am. c. 46. *Fortuna* et *conditio*, pro Quintio c. 30. pro Roſc. Am. c. 46. *Animi natura*, pro Lege Manilia c. 23. pro Caelio c. 5. et 6. *Virtus* et *ſtudia*, pro Roſcio Amerino c. 27. item Horatius L. I. ode I.

peregrinus, liber an ſeruus, maritus an caelebs, parens liberorum an orbus ſit, plurimum diſtat. Animi natura, etenim auaritia, iracundia, miſericordia, crudelitas, ſeueritas, aliaque his ſimilia afferunt fidem frequenter, aut detrahunt; ſicut victus, luxurioſus, an frugi, an ſordidus, quaeritur. Studia quoque, nam ruſticus, forenſis, negotiator, miles, nauigator, medicus, aliud efficiunt. Intuendum etiam, quid affectet quisque; locuples videri an diſertus, iuſtus an potens? Spectantur ante acta dictaque. Ex praeteritis enim aeſtimari ſolent praeſentia.

Ponunt in perſona et nomen: quod quidem ei accidere neceſſe eſt, ſed in argumentum raro cadit: niſi cum ex cauſſa datum eſt, vt, Sapiens, Magnus, Planus. t)

Nunc ad res transeo, in quibus maxime ſunt perſonis iuncta, quae agimus, ideoque prima tractanda. In omnibus porro, quae fiunt, quaeritur aut Quare? aut Vbi? aut Quando? aut Quo modo? aut per quae facta ſunt? Ducuntur igitur argumenta ex cauſſis actorum, vel futurorum, quorum materiam, quam ὕλην alii, δύναμιν alii nominaue-

t) Πλάνος impoſtor eſt; quanquam non occurrat Romanus quisque tale nomen ferens. — Huc referendum eſt illud quoque, quod Fabius ſupra iam monuit, iudicia hominum velut eſſe argumenta morum. Non, niſi ſua culpa, commune quis odium fert. Virtus hoſtes quidem, ſed et patronos ſuos habet. Exemplum cauſſa Roſcii Amer.

nauerunt, in duo genera, ſed quaternas vtriusque diuidunt ſpecies. Nam fere verſatur ratio faciendi circa bonorum adeptionem, incrementum, conſeruationem, vſum: aut malorum euitationem, liberationem, imminutionem, conuerſionem; namque et haec in deliberando plurimum valent. Sed has cauſſas habent recta: praua contra ex falſis opinionibus veniunt. Nam eſt his initium ex iis, quae creduntur bona aut mala, inde errores exiſtunt, et peſſimi affectus: in quibus ſunt ira, odium, inuidia, cupiditas, ſpes, ambitus, audacia, metus, ceteraque generis eiusdem. u) Accedunt aliquando fortuita, ebrietas, ignorantia: quae interim ad veniam valent, interim ad probationem criminis: vt, ſi quis, dum alii inſidiatur, alium dicatur interemiſſe.

Ducuntur argumenta et ex loco: ſpectatur enim ad fidem probationis, Montanus an planus, maritimus an mediterraneus, conſitus an incultus, frequens an deſertus, propinquus an remotus, opportunus conſiliis an aduerſus? quam partem videmus vehementiſſime pro Milone tractaſſe Ciceronem. Et haec quidem ac ſimilia

 milia

u) Non adpetimus niſi bonum, nec, niſi malum, auerſamur; et quoties conſilio agimus, aut bonum conſequi, aut remouere malum, volumus. Quod vero plurima bona malaue ſunt hypothetica, facile ſpecie boni aut mali apparentis decipimur; ex quo errores et peſſimi affectus: Nudam ergo veritatem docere, ignorantiam, falſasque opiniones euellere, et primam potiſſimum aetatem recta plane via ducere, ſummum de humanitate meritum eſt.

milia ad coniecturam frequentius pertinent: ſed interim ad ius quoque, priuatus an publicus, ſacer an profanus, noſter an alienus? vt in perſona, magiſtratus, pater, peregrinus. Hinc enim quaeſtiones oriuntur, Priuatam pecuniam ſuſtuliſti: verum, quia de templo, non furtum, ſed ſacrilegium eſt. Ad qualitatem quoque frequenter pertinet locus: neque enim vbique idem aut licet, aut decorum eſt. Quin etiam, in qua quidque ciuitate quaeratur, intereſt. Moribus enim et legibus diſtant. Ad commendationem quoque et inuidiam valet. Nam et Aiax apud Ouidium, ante rates, inquit, agimus cauſſam, et mecum confertur Vlixes? x) Et Miloni inter cetera obiectum eſt, quod Clodius in monumentis ab eo maiorum ſuorum y) eſſet occiſus.

Ad ſuadendi momenta idem valet, ſicut tempus. Nam et iuris quaeſtiones facit, et qualitatem diſtinquit, et ad coniecturam plurimum confert: vt, cum interim probationes inexpugnabiles afferat, quales ſunt, ſi dicatur ſignator, z) qui ante

x) Achillis occiſi arma *Aiax* petiit, frater patruelis quod eſſet; et *Vlixes*, qui ſe virtute ac conſilio potiorem iudicabat. In omnium conſpectu ſuas vterque retulit virtutes; arma Vlixi adiudicata ſunt. Aiax magno ſibi merito duxit, Graecorum naues quod ſolus, reliquis ducibus fuga dilapſis, contra incendium defenderet. Metamorph. L. XIII. v. 5.

y) In via Appia. Clodii genealogiam vide in Hederichs *Schul-Lexicon*. Locus eſt pro Milone c. 7. et 33.

z) Ante chartae vſum ſcribi ſolebat in tabulis, vnde *Syngrapha*, *Chirographa*, *Teſtamenta* aliaque omnia ſcripta *tabularum* nomine veniunt. Vt publicam fidem haberent, teſtes adhibebantur et ſignatores,

ante diem tabularum decessit: aut commisisse aliquid, vel cum infans esset, vel cum omnino natus non esset. a) Praeter id, quod omnia facile argumenta aut ex iis, quae ante rem facta sunt, aut ex coniunctis rei, aut insequentibus ducuntur. Ex antecedentibus, Mortem minatus es, noctu existi, proficiscentem antecessisti. Ex adiunctis, Sonus auditus est; clamor sublatus est. Ex insequentibus sunt illa, Latuisti, profugisti; liuores et tumores apparuerunt.

Intuendae sunt, praecipueque in coniecturis, et facultates. b) Credibilius est enim occisos a pluribus pauciores, a firmioribus imbecilliores, a vigilantibus dormientes, a praeparatis inopinantes. Quorum contraria in diuersum valent. Haec et in deliberando intuemur, et in iudiciis ad duas res solemus referre, an voluerit quis? an potuerit? nam et voluntatem spes facit. Hinc illa apud Ciceronem coniectura, insidiatus est Clodius Miloni, non Milo Clodio: ille cum seruis robustis, hic cum mulierum comitatu; ille in equo, hic in rheda; ille expeditus, hic penula irretitus. Facultati autem licet instrumentum coniungere. Sunt enim in parte facultatis et copiae. Sed ex instrumento aliquando etiam signa nascuntur, vt spiculum in corpore inuentum. His

a) Ita contra lupum se defendit agnus apud Phaedrum L. I. Fab. I.

b) Rei gerendae facultas non potestas solum, sed quaedam etiam facilitas est, Pro Rosc. Amer. c. 33.

His adiicitur modus, quem τρόπον dicunt, quo quaeritur, quem ad modum quid ſit factum? id quod tum ad qualitatem ſcriptumque pertinet, vt, ſi negemus adulterum veneno occidiſſe, cum ferro licuiſſet occidere, ſed vel oportuiſſet: c) tum ad coniecturam quoque, vt, ſi dicam, bona mente factum, ideoque palam; mala, ideoque ex inſidiis, noctu, in ſolitudine.

In rebus autem omnibus, de quarum vi aut natura quaeritur, quasque etiam citra complexum perſonarum, ceterorumque, ex quibus fit cauſſa, per ſe intueri poſſumus, tria ſine dubio rurſus ſpectanda ſunt, An ſit? Quid ſit? Quale ſit? Sed, quia ſunt quidam loci argumentorum his omnibus communes, diuidi haec tria genera non poſſunt, ideoque locis potius, vt in quosque incurrent, ſubiicienda ſunt.

Ducuntur igitur argumenta ex finitione, ſeu fine, nam vtroque modo traditur. Eius duplex ratio eſt: aut enim ſimpliciter quaeritur, ſitne hoc virtus? aut antecedente finitione, quid ſit virtus? ita aut vniuerſam vim verbi complectimur, vt, Rhetorice eſt bene dicendi ſcientia; aut per partes, vt, Rhetorice eſt recte inueniendi, et diſponendi, et eloquendi cum firma memoria, et cum dignitate actionis, ſcientia; praeter ea finimus

c) Adulterum cum adultera deprehenſum *ferro* impune licebat occidere, non *veneno*. Irae enim ſubitae conniuebant leges, non praemeditato cuicunque ſupplicio. Inde veriſimilior aliis fit Aldina lectio, quam retinui.

mus aut vi, ſicut ſuperiora, aut ετυμολογια, vt aſſiduum ab aſſe dando, et locupletem a locorum, pecunioſum a pecorum copia.

Finitioni ſubiecta maxime videntur genus, ſpecies, differens, proprium. Ex his omnibus argumenta ducuntur. Genus ad probandam ſpeciem minimum valet, plurimum ad refellendam. Itaque non, quia eſt arbor, platanus eſt; at, quod non eſt arbor, vtique platanus non eſt: Nec, quod non eſt virtus, vtique poteſt eſſe iuſtitia. Itaque a genere perueniendum eſt ad vltimam ſpeciem: vt, Homo eſt animal, non eſt ſatis: id enim genus eſt: mortale, etiam ſi eſt ſpecies, cum aliis tamen communis finitio: d) rationale, nihil ſupererit, ad demonſtrandum, quod velis. Contra, ſpecies firmam probationem habet generis, infirmam refutationem. Nam, quod iuſtitia eſt, vtique virtus eſt; quod non eſt iuſtitia, poteſt eſſe virtus, vt eſt fortitudo, continentia, conſtantia. Numquam itaque tolletur a ſpecie genus, niſi omnes ſpecies, quae ſunt generi ſubiectae, remoueantur: hoc modo, Quod neque immortale eſt, neque mortale, animal non eſt. His adiiciunt propria et differentia. Propriis confirmatur finitio, differentibus ſoluitur. e)

 Pro-

d) Ex veterum quorundam ſententia ſol, ſtellae, et quae ſunt ſupra lunam, erant animalia, ſed immortalia.

e) Finitio iuxta Fabium eſt *rei propoſitae propria et dilucida et breuiter comprehenſa verbis enuntiatio.* Conſtat autem maxime *genere, ſpecie, differentibus, propriis.* Equum ſi definias, genus eſt *animal;* ſpecies *mor-*

Proprium autem eſt, aut quod ſoli accidit, vt homini ſermo, riſus: aut quod vtique accidit, ſed non ſoli, vt igni calefacere. Et ſunt eiusdem rei plura propria, vt ipſius ignis lucere, calere. Itaque, quodcumque proprium deerit, ſoluet finitionem: non vtique, quodcumque erit, confirmabit. Saepiſſime autem, quid ſit proprium cuiusque, quaeritur: vt, ſi per ἐτυμολογίαν dicatur, tyrannicidae proprium eſt tyrannum occidere, negemus. Non enim, ſi traditum ſibi eum carnifex occiderit, tyrannicida dicatur; nec, ſi imprudens, vel inuitus. Quod autem proprium non erit, differens erit, vt, aliud eſt ſeruum eſſe, aliud ſeruire: qualis eſſe in addictis quaeſtio ſolet. f) Qui ſeruus eſt, ſi manumittatur, fit libertus, non itidem addictus. Illud quoque differens vocant, quum, genere in ſpecies diducto, ſpecies ipſa diſcernitur. Animal, genus; Mortale, ſpecies; Terrenum vel Bipes, differens: nondum enim proprium eſt, ſed iam differt a marino vel quadrupede: quod non tam ad argumentum pertinet, quam diligentem finitionis comprehenſionem.

mortale; differentia *irrationale;* proprium *hinniens.* Differens autem duobus modis ſumit: 1mo *pro eo, quod proprium non eſt, ſed diſſidet ac diſcrepat.* 2do *pro eo, quo ſpecies a ſpecie diſcernitur.* Ad vtrumque intellectum varie reſpicit.

f) Addicti erant, qui cum ſoluendo non eſſent, creditoribus addicebantur, perſoluto pretio rurſus libertate donandi. Seruorum et addictorum propria et differentia ſic notauit Noſter alio loco: Seruus cum manumittitur, fit *libertinus*, addictus recepta libertate eſt ingenuus; ſeruus *inuito* domino libertatem non conſequitur, addictus *ſoluendo* etiam citra voluntatem domini. Ad ſeruum nulla *lex* pertinebat, addictus legem habet. Plura apud Alex. ab Alexand. gen. dierum L. V. c. 4.

nem. Diuiſione autem adiuuari finitionem docet Cicero, eamque differre a partitione: quod haec ſit totius in partes, illa generis in formas. g) Partes incertas eſſe, vt, quibus conſtet respublica; formas certas, vt, quot ſpecies ſint rerum publicarum, quas tres accipimus, quae populi, quae paucorum, quae vnius poteſtate regerentur. Propria ad coniecturae quoque pertinent partem: vt proprium eſt boni, recte facere; iracundi, verbis excandeſcere. Diuiſio et ad probandum ſimili via valet, et ad refellendum. Probanti interim ſatis eſt vnum habere, hoc modo, vt ſit ciuis quis, aut natus ſit oportet, aut factus: neganti vtrumque tollendum eſt, Nec natus, nec factus eſt. Fit hoc et multiplex, idque eſt argumentorum genus ex remotione, qua modo efficitur totum falſum, modo id, quod relinquitur, verum. Totum falſum eſt hoc modo, pecuniam credidiſſe te dicis: aut habuiſti ipſe, aut ab aliquo accepiſti, aut inueniſti, aut ſurripuiſti. Si neque domi habuiſti, neque ab aliquo accepiſti, nec cetera, non credidiſti. Reliquum fit verum ſic, Hic ſeruus, quem tibi vindicas, aut verna tuus eſt, aut emtus, aut donatus, aut teſtamento relictus, aut ex hoſte captus, aut alienus. Deinde remotis prioribus; ſupererit alienus. Periculoſum, et cum cura intuendum genus: quia, ſi in proponendo vnum quodlibet omiſerimus, cum riſu quoque tota res ſoluitur. Tutius, quod Ci-

 cero

g) Quod alii ſpecies, Cicero appellat *formas*.

cero pro Cecinna h) facit, cum interrogat, ſi haec actio non ſit, quae ſit? Simul enim remouentur omnia. Vel, cum duo ponentur inter ſe contraria, quorum tenuiſſe vtrum libet ſufficiat: quale Ciceronis eſt, vnum quidem certe, nemo erit tam iniquus Cluentio, qui mihi non concedat: ſi conſtet corruptum illud eſſe iudicium, aut ab Habito, aut ab Oppianico eſſe corruptum. Si doceo non ab Habito, vinco ab Oppianico; ſi oſtendo ab Oppianico, purgo Habitum. Fit etiam ex duobus, quorum neceſſaria eſt alterum eligendi aduerſario poteſtas, efficiturque, vt, vtrum elegerit, noceat. Facit hoc Cicero pro Oppio, vtrum, cum Cottam appetiſſet, aut cum ipſe ſeſe conaretur occidere, telum ei e manibus ereptum eſt?

Eſt argumentorum locus ex ſimilibus, Si continentia virtus, vtique et abſtinentia: ſi fidem debet tutor, et procurator. Hoc eſt ex eo genere, quod ἐπαγωγην Graeci vocant, Cicero inductionem. i) Ex diſſimilibus, Non, ſi laetitia bonum, et voluptas: Non, quod mulieri, idem pupillo. Ex contrariis, Frugalitas bonum, luxuria enim malum: ſi malorum cauſſa bellum eſt, erit emendatio pax: ſi veniam meretur, qui imprudens nocuit, non meretur praemium, qui imprudens profuit. Ex pugnantibus, Qui eſt ſapiens, ſtultus non eſt.

Ex

h) Orat. pro Caecina c. 13.   i) De inductione inferius.

Ex ſequentibus, ſiue adiunctis, Si eſt bonum iuſtitia, recte iudicandum: ſi malum perfidia, non eſt fallendum. Idem retro. Nec ſunt his diſſimilia, ideoque huic loco ſubiicienda, cum et ipſa naturaliter congruant: Quod quis non habuit, non perdidit: Quem quis amat, ſciens non laedit: Quem quis haeredem ſuum eſſe voluit; carum habuit, habet, habebit. Sed, cum ſint indubitata, vim habent pene ſignorum immutabilium. Sed haec conſequentia dico, ἀκολȣθα, eſt enim conſequens ſapientiae bonitas: illa ſequentia, ἐπαγομενα, quae poſtea facta ſunt, aut futura. Nec ſum de nominibus anxius. Vocet enim, vt voluerit quisque, dum vis rerum ipſa manifeſta ſit; appareatque, hoc temporis, illud eſſe naturae. l) Itaque non dubito haec quoque conſequentia, quamuis ex prioribus dent argumentum ad ea, quae ſequuntur. Quorum quidam duas ſpecies eſſe voluerunt: Actionis, vt pro Oppio, Quos educere inuitos in prouinciam non potuit, eos inuitos retinere qui potuit? Temporis, in Verrem, ſi finem Praetoris edicto afferunt Kalendae Ianuarii, cur non initium quoque edicti naſcatur a Kalendis Ianuarii? Quod vtrumque exemplum tale eſt, vt idem in diuerſum, ſi retro agas, valeat. Conſequens enim eſt, eos, qui

 inuiti

l) *Conſequentia* ad naturalem quendam nexum atque coniunctionem rerum, vt *bonitas* reſpectu *ſapientiae*, *ſequentia* ad ordinem ſucceſſionemque pertinent. Vt inferior paulo clarior ſenſus fiat, ita expleri debebit: *Non dubito, haec quoque, quae iam proferam, eſſe dicique adeo poſſe conſequentia.*

inuiti duci non potuerint, inuitos non potuisse retineri. Illa quoque, quae ex rebus mutuam confirmationem praestantibus ducuntur, quae proprii generis videri quidam volunt, et vocant ἐκ των προς ἀλληλα, Cicero ex rebus sub eandem rationem venientibus, fortiter consequentibus iunxerim: Si portorium m) Rhodiis locare honestum est, et Hermacreonti conducere. Et, quod discere honestum, et docere. Vnde illa, non hac ratione ducta, sed efficiens idem Domitii Afri sententia est pulchra, Ego accusaui, vos damnastis. Est inuicem consequens, et, quod ex diuersis idem ostendit: vt, qui mundum nasci dicit, per hoc ipsum et deficere significet, quia deficit omne, quod nascitur. Simillima est his argumentatio, qua colligi solent ex iis, quae faciunt, ea, quae efficiuntur, aut contra: quod genus a caussis vocant. Haec interim necessario fiunt, interim plerumque, sed non necessario. Nam corpus in lumine vtique vmbram facit, et vmbra, vbicumque est, ibi esse corpus ostendit. Alia sunt, vt dixi, non necessaria, vel vtrimque, vel ex altera parte. Sol colorat: non vtique, qui est coloratus, a sole est. Iter puluerulentum facit: sed nec omne iter puluerem mouet; nec, quisquis est puluerulentus, ex itinere est. Quae vtique fiunt, talia sunt, Si sapientia bonum virum facit, bonus vir est vtique sapiens: itemque, Boni est

m) *Portoria*, pontium, portuum, aliorumque itinerum publica erant vectigalia.

eſt honeſte facere; mali, turpiter: et, qui honeſte faciunt, boni; qui turpiter, mali recte iudicantur: at hoc plerumque, Exercitatio robuſtum corpus facit; ſed non, quisquis eſt robuſtus, exercitatus; nec, quisquis exercitatus, robuſtus eſt: Nec, quia fortitudo praeſtat, ne mortem timeamus, quisquis mortem non timuerit, vir fortis erit exiſtimandus: Nec, ſi capitis dolorem facit, inutilis hominibus ſol eſt. Et haec ad hortatiuum maxime genus pertinent, Virtus facit laudem, ſequenda igitur: at voluptas infamiam, fugienda igitur.

Appoſita vel comparatiua dicuntur, quae maiora ex minoribus, minora ex maioribus, paria ex paribus probant. Confirmatur coniectura ex maiore, Si quis ſacrilegium facit, faciet et furtum: ex minore, Qui facile ac palam mentitur, peierabit: ex pari, Qui ob rem iudicandam pecuniam accepit, et ob dicendum falſum teſtimonium accipiet. Iuris n) confirmatio eſt eius modi, ex maiore, Si adulterum occidere licet, et loris caedere. ex minore, Si furem nocturnum occidere licet, quid latronem? ex pari, Quae poena aduerſus interfectorem patris iuſta eſt, eadem aduerſus matris. Illud adiiciendum videtur, duci argumenta, non a confeſſis tantum, ſed etiam a fictione, quod Graeci καθ' ὑπόθεσιν vocant. Et quidem ex omnibus iis-

n) Coniectura etiam dicitur *quaeſtio facti:* an fecerit? qualitas *iuris*, rectene an male fecerit?

iisdem locis, quibus ſuperiora, quia totidem ſpecies eſſe poſſint fictae, quot verae. Nam fingere hoc loco eſt proponere aliquid, quod, ſi verum ſit, aut ſoluat quaeſtionem, aut adiuuet: deinde id, de quo quaeritur, facere illi ſimile. Id quo facilius accipiant iuuenes non dum ſcholam egreſſi, o) primo familiaribus magis, quam vſitatis exemplis oſtendam. Lex eſt, Qui parentes non aluerit, vinciatur. p) Non alit quis, et vincula nihilo minus recuſat. Vtitur fictione, ſi miles, ſi infans ſit, ſi rei publicae cauſſa abſit. Et illa contra optionem fortium, q) ſi tyrannidem petat, ſi templorum euerſionem.

Has fere ſedes accepimus probationum in vniuerſum, quas neque generatim tradere ſat eſt, cum ex qua libet earum innumerabilis argumentorum copia oriatur; neque per ſingulas ſpecies exſequi patitur natura rerum, quod qui ſunt facere conati, duo pariter ſubierunt incommoda, vt et nimium dicerent, nec tamen totum. Vnde plurimi,

cum

o) Ad veterem declamandi morem reſpicit noſter, quo ad forenſes cauſſas praeparabantur iuuenes. Materiae vero in ſchola paſſim ſumebantur a communi vita remotae, vt *de parentibus alendis, de tyrannis, de praemiis fortium.*

p) Viguit in Graecia lex Pelargica de alendis parentibus a πελαργος *ciconia* dicta, quod ciconiae in alendis ſenio confectis parentibus valde celebris pietas erat. *Eraſmus adagio* αντιπελαργειν. Solon mitigavit hanc legem, vt, niſi eſſet a parentibus literis optime filius inſtitutus, alere parentes non teneretur.

q) Fortis hic appellatur ille, qui tyrannum occidiſſet, cui, vt optaret, quod vellet, in praemium lex permiſit.

cum in hos inexplicabiles laqueos inciderunt, omnem etiam, quem ex ingenio ſuo potuerant habere, conatum, velut adſtricti certis legum vinculis, perdiderunt: et, magiſtrum reſpicientes, naturam ducem ſequi deſierunt. Nam vt per ſe non ſufficit ſcire, omnes probationes aut a perſonis, aut a rebus peti, quia vtrumque in plura diuiditur: ita ex antecedentibus et iunctis et ſequentibus trahenda eſſe argumenta qui acceperit, protinus in hoc ſit inſtructus, vt, quid in quaque cauſſa dicendum ſit ex his, ſciat? Praeſertim, cum plurimae probationes in ipſo cauſſarum complexu reperiantur, ita vt ſint cum alia re nulla communes, eaeque ſint et potentiſſimae et minime obuiae, quia communia ex praeceptis accepimus, propria inuenienda ſunt. Hoc genus argumentorum ſane dicamus ex circumſtantia, quia περιστασιν dicere aliter non poſſumus, vel ex iis, quae cuiusque cauſſae propria ſunt.

Sit exempli gratia propoſita controuerſia, quae minime communes cum aliis quaeſtiones habet: Cum Thebas euertiſſet Alexander, inuenit tabulas, quibus centum talenta mutua Theſſalis dediſſe Thebanos continebatur. Has, quia erat vſus commilitio Theſſalorum, donauit his vltro. Poſtea reſtituti a Caſſandro Thebani repoſcunt Theſſalos. Apud Amphyctionas r) agitur. Centum talenta et credidiſſe eos

r) Amphyctiones erant totius Graeciae iudices, qui ſuum in Thermopylis tribunal habebant, et quo ab omnibus Graeciae populis conuentus fiebant. Nomen ab Amphyctione Rege huius iudicii auctore tulerunt.

eos constat, et non recepisse. Lis omnis ex eo, quod Alexander ea Thessalis donasse dicitur, pendet. Constat illud quoque, non esse his ab Alexandro pecuniam datam. Quaeritur ergo, an perinde sit, quod datum est, ac si pecuniam dederit? Quid proderunt argumentorum loci, nisi haec prius videro, nihil eum egisse donando, non potuisse donare, non donasse? Et prima quidem actio facilis ac fauorabilis repetentium iure, quod vi sit ablatum: sed hinc aspera et vehemens quaestio exoritur de iure belli, dicentibus Thessalis, hoc regna, populos, fines gentium atque vrbium contineri. Inueniendum contra est, quo distet haec caussa a ceteris, quae in potestatem victoris venirent: nec circa probationem res haeret, sed circa propositionem. Dicamus in primis, in eo, quod in iudicium deduci potest, nihil valere ius belli: nec armis erepta, nisi armis posse retineri: Itaque, vbi illa valeant, non esse iudicem: vbi iudex sit, illa nihil valere. Hoc inueniendum est, vt adhiberi possit argumentum, ideo captiuos, si in patriam suam redierint, liberos esse, quia bello parta non nisi eadem vi possideantur. Proprium est et illud caussae, quod Amphyctiones iudicant: s) (vt alia apud centumuiros, alia apud

s) Versatur in eo argumentum, quod aduersarii controuersiam non ex iure belli, sed per ordinarios Graeciae arbitros dirimi vellent. Singula vero tribunalia speciali more iura dabant: iam expressis inhaerebant iuris verbis; iam, prout Amphyctiones magis sequebantur aequitatem, quae ius non raro interpretatum mitigat; et tum pro Thebanis stabat. — Romae publicae etiam

apud priuatum iudicem in iisdem quaeſtionibus ratio).

Tum ſecundo gradu, non potuiſſe donari a victore ius, quia id demum ſit eius, quod ipſe teneat: ius, quod ſit incorporale, apprehendi manu non poſſe. Hoc reperire difficilius, quam, cum inueneris, argumentis adiuuare, vt alia ſit conditio heredis, alia victoris, quia ad illum ius, ad hunc res transeat. Proprium deinde materiae, ius publici crediti transire ad victorem non potuiſſe, quia, quod populus crediderit, omnibus debeatur: et, quamdiu quilibet vnus ſuperfuerit, eſſe eum totius ſummae creditorem: Thebanos autem non omnes in Alexandri manu fuiſſe. Hoc non extrinſecus probatur, quae vis eſt argumenti, ſed ipſum per ſe valet. Tertii loci pars prior magis vulgaris, non in tabulis eſſe ius: itaque multis argumentis defendi poteſt. Mens quoque Alexandri duci debet in dubium, honorarit eos, an deceperit. Illud iam rurſus materiae proprium, et velut nouae controuerſiae, quod reſtitutione recepiſſe ius, etiam ſi quod amiſerint, Thebani videntur. Hic et, quid Caſſander velit, quaeritur: ſed vel potentiſſima apud Amphyctionas aequi tractatio eſt.

Haec

am cauſſae aliter ac priuatae deciſae. Centumuiri, qui Ciceronis aetate tantum de priuatis, Fabii mutata iudiciorum forma de publicis quoque iudicabant.

Haec non idcirco dico, quod inutilem horum locorum, ex quibus argumenta ducuntur, cognitionem putem, alioqui nec tradidissem; sed ne, si qui cognouerint ista, si cetera negligant, perfectos se protinus atque consummatos putent: et, nisi in ceteris, quae mox praecipienda sunt, elaborauerint, mutam quamdam scientiam consecutos intelligant. Nec enim Artibus editis factum est, vt argumenta inueniremus: sed dicta sunt omnia, ante quam praeciperentur: mox ea scriptores obseruata et collecta ediderunt. Cuius rei probatio est, quod exemplis eorum veteribus vtuntur, et ab oratoribus illa repetunt, ipsi nullum nouum, et, quod dictum non sit, inueniunt. Artifices ergo illi, qui dixerunt: sed habenda iis quoque gratia est, per quos labor nobis detractus est. Nam, quae priores beneficio ingenii singula inuenerunt, nobis et non sunt requirenda et nota omnia. Sed non magis hoc sat est, quam palaestram didicisse, nisi corpus exercitatione, continentia, cibis, t) ante omnia natura iuuetur, sicut contra ne illa quidem satis sine arte profuerint. Illud quoque studiosi eloquentiae cogitent, neque omnibus in caussis ea, quae demonstrauimus, cuncta posse reperiri: neque, cum proposita fuerit materia dicendi, scrutanda singula,

t) Athletae certo vtebantur victu, ac cibis tantum valentissimis nutriebantur; vnde apud Celsum *victus athleticus*, et Iuuenalem panis *coliphium* dictus, scilicet *απο τȣ κωλȣ, και τȣ ιφι*. panis erat infermentatus.

gula, et velut oſtiatim pulſanda, vt ſciant, an ad probandum id, quod intendimus, forte reſpondeant: niſi cum diſcunt, et adhuc vſu carent. Infinitam enim faciet ipſa res dicendi tarditatem, ſi ſemper neceſſe ſit, vt, tentantes vnum quodque eorum, quod ſit aptum atque conueniens, experiendo noſcamus: neſcio, an etiam impedimento futura ſint, niſi et animi quaedam ingenita natura, et ſtudio exercitata velocitas, recta nos ad ea, quae conueniunt cauſſae, ferant. Nam, vt cantus vocis plurimum iuuat ſociata neruorum concordia, u) ſi tamen tardior manus, niſi inſpectis dimenſisque ſingulis, quibus quaeque vox fidibus iungenda ſit, dubitet, potius fuerit eſſe contentum eo, quod ſimplex canendi natura tulerit: ita huius modi praeceptis debet quidem aptata eſſe, et citharae modo intenta ratio doctrinae: ſed hoc exercitatione multa conſequendum, vt, quem ad modum illorum artificum, etiam ſi alio ſpectent, manus tamen ipſa conſuetudine ad graues, acutos mediosque horum ſonos fertur, ſic oratoris cogitationem nihil moretur haec varietas argumentorum et copia, ſed quaſi offerat ſe, et occurrat: et, vt litterae ſyllabaeque ſcribentium cogitationem non exigunt, ſic rationes ſponte quadam ſequantur.

u) Cytharoedi pulſatae accinebant cytharae, quam cythariſta ſolam ſine cantu pulſabat.

CAPVT X.
(L. V. C. XI.)
De Exemplis.

Tertium genus ex iis, quae extrinſecus adducuntur in cauſſam, Graeci vocant παραδειγμα, quo nomine et generaliter vſi ſunt in omni ſimilium appoſitione, et ſpecialiter in iis, quae rerum geſtarum auctoritate nituntur. Noſtri fere ſimilitudinem vocare maluerunt, quod ab illis παραβολη dicitur; hoc alterum, exemplum: quamquam et hoc, ſimile eſt; et illud, exemplum. Nos, quo facilius propoſitum explicemus, vtrumque παραδειγμα eſſe credamus, et ipſi appellemus exemplum. Nec vereor, ne videar repugnare Ciceroni, qui collationem ſeparat ab exemplo. x) Nam idem omnem argumentationem diuidit in duas partes, inductionem et ratiocinationem, vt plerique Graecorum in παραδειγμα et επιχειρηματα: dixeruntque παραδειγμα, ρητορικην ἐπαγωγην. Nam illa, qua plurimum Socrates eſt vſus, hanc habuit viam; cum plura interro-

x) Cicero de Inuent. L. I. c. 30. comparabilis tres facit partes, *imaginem, collationem,* et *exemplum. Imago*, inquit, *eſt oratio demonſtrans corporum, aut naturarum ſimilitudinem.* Collatio *eſt oratio rem cum re ex ſimilitudine conferens.* Exemplum *eſt, quod rem auctoritate, aut caſu alicuius hominis, aut negotii confirmat, aut infirmat.* Tum c. 31. diſtinquit inter *inductionem* et *ratiocinationem.* Inductio diſtabat ratiocinatione, quod haec ex propoſitione, aſſumtione et concluſione, illa ex ſimilium coaceruatione veritatem colligeret. Sicut vero ſyllogiſmus alius erat preſſus et dialecticus; alius oratorius et ornatior, proprie ἐπιχειρημα dictus: ita inductio alia dialectica, quae ex enumeratione ſingulorum colligebat vniuerſale; alia Socratica, quae ſimilium interrogatione rei ſimilis eliciebat confeſſionem; alia oratoria, παραδειγμα, quae plurium ſimilium appoſitione efficiebat, quod vellet.

terrogaſſet, quae fateri aduerſario neceſſe eſſet, nouiſſime id, de quo quaerebatur, inferebat, cui ſimile conceſſiſſet. Id eſt inductio. Hoc in oratione fieri non poteſt: ſed, quod illic interrogatur, hic fere ſumitur. Sit igitur illa interrogatio talis, Quod eſt pomum generoſiſſimum? nonne, quod optimum? concederetur. Quid? equus qui generoſiſſimus? nonne, qui optimus? et plura in eumdem modum. Deinde, cuius rei gratia rogatum eſt, Quid homo? nonne is generoſiſſimus, qui optimus? fatendum erit. Hoc in teſtium interrogatione valet plurimum, in oratione perpetua diſſimile eſt. Etenim ſibi ipſe reſpondet orator. Quod pomum generoſiſſimum? puto, quod optimum; et quis equus? qui velociſſimus: ita hominum, non qui claritate naſcendi, ſed qui virtute maxime excellet. Omnia igitur ex hoc genere ſumta, neceſſe eſt aut ſimilia eſſe, aut diſſimilia, aut contraria. Similitudo aſſumitur interim et ad orationis ornatum: ſed illa, cum res exiget, nunc ea, quae ad probationem pertinent, exequar. Potentiſſimum autem eſt inter ea, quae ſunt huius generis, quod proprie vocamus Exemplum, id eſt, rei geſtae, aut vt geſtae, vtilis ad perſuadendum id, quod intenderis, commemoratio. Intuendum igitur, totum ſimile ſit, an ex parte: vt aut omnia ex eo ſumamus, aut quae vtilia erunt. ſimile eſt, iure occiſus eſt Saturninus, ſicut Gracchi. Diſſimile, Brutus y) occidit liberos

 pro-

y) De Bruto Liu. L. II. c. 5. De Manlio L. VIII. c. 7.

proditionem molientes; Manlius virtutem filii morte multauit. Contrarium, Marcellus ornamenta Syracusanis hostibus restituit; Verres eadem sociis abstulit. z) Et probandorum et culpandorum ex his confirmatio eosdem gradus habet. Etiam in iis, quae futura dicemus, vtilis similium admonitio est: vt, si quis dicens, Dionysium idcirco petere custodes salutis suae, vt, eorum adiutus armis, tyrannidem occupet, hoc referat exemplum, eadem ratione Pisistratum ad dominationem peruenisse.

Sed, vt sunt exempla interim tota similia, vt hoc proximum: sic interim ex maioribus ad minora, ex minoribus ad maiora ducuntur. Si propter matrimonia violata vrbes euersae sunt, quid fieri adultero par est? Tibicines, a) cum ab vrbe discessissent, publice reuocati sunt: quanto magis principes ciuitatis viri, et bene de re publica meriti, cum inuidiae cesserint, ab exilio reducendi? Ad exhortationem vero praecipue valent imparia. Admirabilior in femina, quam in viro, virtus. Quare, si ad fortiter faciendum accendatur aliquis, non tantum afferent momenti Horatius b) et Torquatus, quantum illa mulier, cuius manu Pyrrhus c) est interfectus: et

ad

z) Cicero in Verrem Actionis II. L. IV. c. 55.

a) Liu. L. IX. c. 30, ridicula sane historiola, qua quis apte forsan, cum de reuocando Cicerone actum, vsus erat.

b) De Horatio Cocl. Liu. L. II. c. 10.

c) Pyrrhum Epirotarum Regem mulier in mediis Argis, cuius filium petebat, deiecta in caput tegula, occidit. *Plutarchus in vita sub extremum.*

ad moriendum non tam Cato d) et Scipio, e) quam Lucretia: f) quod ipsum est ex minoribus ad maiora.

Illae vero fabulae, quae, etiam si originem non ab Aesopo acceperunt, (nam videtur earum primus auctor Hesiodus) nomine tamen Aesopi maxime celebrantur, g) ducere animos solent, h) praecipue rusticorum, et imperitorum: qui et simplicius, quae ficta sunt, audiunt, et capti voluptate facile iis, quibus delectantur, consentiunt. Si quidem et Menenius Agrippa i) plebem cum patribus in gratiam traditur reduxisse nota illa de membris humanis aduersus ventrem discordantibus fabula. Et Horatius l) ne

d) De Catonis morte item Plutarchus.

e) Scipio est Q. Caecilius Metellus, de quo Florus L. IV. c. 2. n. 68.

f) Lucretiae memorabile factum Liu. L. 1. c. 58.

g) Fabricius Bibliothecae graecae L. II. c. 9. p. 390-401. De hac re disputatum inter recentiores, quibus Quintiliani auctoritas non est praetermissa. Vide Gasp. Bachet de Miziriaco vitam Aesopi, quae latine reddita est in editione Lipsiensi Hauptmaniana; et Bentlei dissertationem de epistolis Phalaridis et fabulis Aesopi. Hesiodus scilicet in operum et dierum libello de luscinia et accipitre perbelle iam fabellam narrauit. — Ex Diogene denique Laertio L. II. c. 42. colligitur Aesopum non scripsisse suas fabulas, sed tantum in familiari congressu recitasse. Quas hodie tenemus, genuinas saltem non omnes esse, sed interpolatas a Planude, cum ratione asseritur.

h) Qui commune odium tulere, mutato saepius vultu aut veste pro aliis habiti, caepti sunt amari: eandem veritas sortem experta, quae fabulae, sicut acerba medicina, sacchari dulcedine condita, in animos recepta est, diu ante repudiata. Cur autem vulgus et ineruditam iuuentutem adeo delectet, ratio latet in mirabilium amore.

i) Liu. L. II. c. 32.

l) Horat. L. I. epp. 1. v. 73.

ne in poemate quidem humilem generis huius vſum putauit, in illis verſibus,

Olim quod vulpes aegroto cauta leoni, cet.

Proximas exemplo vires habet ſimilitudo, praecipueque illa, quae ducitur citra vllam translationum mixturam ex rebus pene paribus. Vt, qui accipere in campo conſueuerunt, iis candidatis, quorum nummos ſuppreſſos m) eſſé, putant, inimiciſſimi ſolent eſſe: ſic eius modi iudices infeſti tum reo venerant. Nam παραβολη, quam Cicero collationem vocat, longius res, quae comparantur, repetere ſolet. Nec hominum modo inter ſe opera ſimilia ſpectantur, vt Cicero pro Muraena n) facit, Quod ſi e portu ſoluentibus ii, qui iam in portum ex alto inuehuntur, praedicere ſummo ſtudio ſolent et tempeſtatum rationem, et praedonum, et locorum; quod natura fert, vt iis faueamus, qui eadem pericula, quibus nos perfuncti ſumus, ingrediantur: quo me tandem animo eſſe oportet, prope iam ex magna iactatione terram videntem, in hunc, cui video maximas reip. tempeſtates eſſe ſubeundas? Sed et a mutis atque etiam inanimis interim huius modi ducitur. o) vt, ſi animum dicas excolendum, ſimi-

m) Pro Cluentio c. 27. nummos *ſuppreſſos* peculiari locutione appellat Cicero pecuniam *occultatam, aut dolo malo ſuppreſſam.*

n) Pro Muraena c. 2.

o) Horatius L. I. Epp. 14. v. 4. ad villicum: *Certemus, ſpinas animone ego fortius, an tu euellas agro.*

ſimilitudine vtaris terrae, quae neglecta ſentes atque dumos, culta fructus creat: aut, ſi ad curam reip. horteris, oſtendas apes etiam formicasque, non modo muta, ſed etiam parua animalia, in commune tamen laborare. Ex hoc genere dictum illud eſt Ciceronis, vt corpora noſtra ſine mente, ita ciuitas ſine lege, ſuis partibus, vt neruis ac ſanguine et membris, vti non poteſt. Sed, vt hac corporis humani pro Cluentio, p) ita pro Cornelio, equorum; pro Archia, ſaxorum quoque vſus eſt ſimilitudine. Illa, (vt dixi) propiora, vt remiges ſine gubernatore, ſic milites ſine imperatore nihil valere. Solent tamen fallere ſimilitudinum ſpecies: ideoque adhibendum eſt his iudicium. Neque enim, vt nauis vtilior noua, quam vetus, ſic amicitia: vel, vt laudanda, quae pecuniam ſuam pluribus largitur, ita, quae formam. Verba ſunt in his ſimilia, vetuſtatis, et largitionis: vis quidem longe diuerſa, pecuniae, et formae; nauis et amicitiae. Itaque in hoc genere maxime quaeritur, an ſimile ſit, quod infertur. Etiam in illis interrogationibus Socraticis cauendum, ne incaute reſpondeas: vt apud Aeſchinem Socraticum male reſpondit Aſpaſiae Xenophontis vxor, quod Cicero his verbis transfert, Dic mihi, quaeſo, Xenophontis vxor, ſi vicina tua melius habeat aurum, quam tu habes, vtrum illius, an tuum malis? Illius, inquit. Quid?

p) Pro Cluentio c. 53. Pro Archia c. 8.

ſi veſtem et ceterum ornatum muliebrem pretii maioris habeat, quam tu habes, tuum, an illius malis? Illius vero, reſpondit. Age, inquit, ſi virum illa meliorem habeat, quam tu habes, virumne tuum, an illius malis? Hic mulier erubuit merito. Male enim reſponderat, malle ſe alienum aurum, quam ſuum: nam eſt id improbum. At, ſi reſpondiſſet, malle ſe aurum ſuum tale eſſe, quale illud eſſet, potuiſſet pudice reſpondere, malle ſe virum ſuum talem eſſe, qualis melior eſſet.

Adhibetur extrinſecus in cauſſam et auctoritas. Haec ſecuti Graecos, a quibus κρίσεις dicuntur, iudicia aut iudicationes vocant, non, de quibus ex cauſſa dicta ſententia eſt; (nam ea quidem in exemplorum locum cedunt) ſed, ſi quid ita viſum gentibus, populis, ſapientibus viris, claris ciuibus, illuſtribus poetis, referri poteſt. Ne haec quidem vulgo dicta, et recepta perſuaſione populari, ſine vſu fuerint teſtimonia. Sunt enim quodam modo potentiora etiam, quod non cauſſis accommodata, ſed, liberis odio et gratia mentibus, ideo tantum dicta factaque, quia aut honeſtiſſima, aut veriſſima videbantur. An vero me de incommodis vitae diſſerentem, non adiuuabit earum perſuaſio nationum, quae fletibus natos, laetitia defunctos proſequuntur? q) Aut, ſi miſericordiam commendabo

bo

q) Eſt Thraciae populus, quos *Trauſos* vocat Herodotus.

bo iudici, nihil proderit, quod prudentiſſima ciuitas Athenienſium, non eam pro affectu, ſed pro numine accepit?

Iam illa ſeptem praecepta ſapientum, nonne quasdam vitae leges exiſtimamus? Si cauſſam veneficii dicat adultera, non Marci Catonis iudicio damnata videatur, qui nullam adulteram non eamdem eſſe veneficam dixit? Iam ſententiis quidem poetarum non orationes modo ſunt refertae, ſed libri etiam philoſophorum: qui quamquam inferiora omnia praeceptis ſuis ac litteris credunt, repetere tamen auctoritatem a plurimis verſibus non faſtidierunt. Neque eſt ignobile exemplum, Megareos ab Athenienſibus, cum de Salamine contenderent, victos Homeri verſu, qui tamen ipſe non in omni editione reperitur, ſignificans, Aiacem naues ſuas Athenienſibus iunxiſſe. r) Ea quoque, quae vulgo recepta ſunt, hoc ipſo, quod incertum auctorem habent, velut omnium fiunt: quale eſt, vbi amici, ibi opes: et, conſcientia mille teſtes: et apud Ciceronem, s) pares autem (vt eſt in vetere prouerbio) cum paribus facillime congregantur. Ne-

r) Homerici verſus ſunt ex Iliadis L. II. v. 558.

Αιας δ' εκ Σαλαμινος αγεν δυοκαιδεκα νηας
Στησε δ' αγων ιν' Αθηναιων ισταντο φαλαγγες.

Bis ſenis Salamine Aiax cum nauibus ibat,
Cecropidum quo caſtra loco poſuere phalanges.

Quidam apud Plutarchum et Diogenem Laertium a Solone ſuppoſitos Homero verſus putant, de quo Clarkius ad hunc locum.

s) De ſenectute c. 3.

que enim durassent haec in aeternum, nisi vera omnibus viderentur.

CAPVT. IX.

(L. V. C. XII. XIII.)

De Vsu Argumentorum.

Haec fere de probatione, vel ab aliis tradita, vel vsu percepta, in hoc tempus sciebam. Nec mihi fiducia est, vt ea sola esse contendam: quin immo hortor ad quaerendum, et inueniri posse fateor: quae tamen adiecta fuerint, non multum ab his abhorrebunt. Nunc breuiter, quem ad modum sit vtendum his, subiungam. Traditum fere est, argumentum oportere esse confessum. Dubiis enim probari dubia qui possunt? Quaedam tamen, quae in alterius rei probationem ducimus, ipsa probanda sunt. Spiculum tuum in corpore occisi inuentum est: negat suum: Vt probationi prosit, probandum est. Illud hoc loco monere inter necessaria est, nulla esse firmiora, quam quae ex dubiis facta sunt certa. Caedes a te commissa est, cruentam enim vestem habuisti. non est tam graue argumentum, si fatetur, quam si conuincitur. Nam si fatetur, multis ex caussis potuit cruenta esse vestis; Si negat, hic caussae cardinem ponit, in quo si victus fuerit, etiam in sequentibus ruit. Non enim videtur in negando mentiturus fuisse, nisi desperasset, id posse defendi, si confiteretur.

Fir-

Firmiſſimis argumentórum ſingulis inſtandum, infirmiora congreganda ſunt: quia illa per ſe fortia, non oportet circumſtantibus obſcurare, vt, qualia ſunt, appareant: haec, imbecilla natura, mutuo auxilio ſuſtinentur. Itaque, ſi non poſſunt valere, quia magna non ſunt; valebunt, quia multa ſunt, quae ad eiusdem rei probationem omnia ſpectant: vt, ſi quis hereditatis gratia hominem occidiſſe dicatur, Hereditatem ſperabas, et magnam hereditatem: et pauper eras, et tum maxime a creditoribus appellabaris: et offenderas eum, cuius heres eras, et mutaturum tabulas ſciebas. Singula leuia ſunt, et communia: vniuerſa vero nocent, etiam ſi non vt fulmine, tamen vt grandine.

Quaedam argumenta ponere ſatis non eſt, adiuuanda ſunt: vt, ſi cupiditas cauſſa ſceleris fuit; quae ſit vis eius: ira; quantum efficiat in animis hominum talis affectio. t) Ita et firmiora erunt ipſa, et plus habebunt decoris, ſi non nudos, et velut carne ſpoliatos artus oſtenderint. Multum etiam refert, ſi argumento nitemur odii, vtrum hoc ex

t) Appetituum, queis mentes incitantur, cauſſas natura hominibus inſeruit, qui affectibus, prout res extra poſitae lenius vehementiusque animum affecerint, fundamenta praebent. Amor ſui ipſius in vlciſcendae iniuriae cupiditatem verſus diſtinctos plane in alio atque alio motus producit. Iam ira ſubito excandeſcit, mox iterum deſinit, iam in furorem erumpit, iam odii plane inſanabilis cauſſa eſt. Aliter quoque agunt ad iram proni, quos ambitio, aliter, quos auaritia ſtimulat. Variis hisce morbis varie attemperanda medicina eſt, cuius ſi modum ignores, conatus eludet omnes, et luis inſtar ſerpet malum, quantum obluctari videaris. Hic aliquam fortaſſe, cur eloquentia noſtra tam parum mores corrigat, cauſſam vidi.

ex inuidia ſit, an ex iniuria, an ex ambitu? vetus, an nouum? aduerſus inferiorem, parem, an ſuperiorem? alienum, an propinquum? Suos habent ómnia iſta tractatus, et ad vtilitatem partis eius, quam tuemur, referenda ſunt. Nec tamen omnibus ſemper, quae inuenerimus, argumentis onerandus eſt auditor: quia et taedium afferunt, et fidem detrahunt. Neque enim auditor poteſt credere ſatis eſſe ea potentia, quae non putamus ipſi ſufficere, qui dicimus. In rebus vero apertis argumentari tam ſit ſtultum, quam in clariſſimum ſolem mortale lumen inferre.

His quidam probationes adiiciunt, quas παθητικασ vocant, ductas ex affectibus. u) Atque Ariſtoteles quidem potentiſſimum putat ex eo, qui dicit, ſi ſit vir optimus: quod vt optimum eſt; ita longe quidem, ſed ſequitur tamen, videri. Inde enim illa nobilis Scauri defenſio, x) Quintus Varius Sucronenſis ait, Aemilium Scaurum rempublicam populi Romani prodidiſſe; Aemilius Scaurus negat. Cui ſimile quiddam feciſſe Iphicrates y) dicitur, qui, cum Ariſtophontem, quo accuſante ſimilis criminis

nis

u) Fabius *patheticas* videtur pro *ethicis* dixiſſe. Probationes ethicas vocat Ariſtoteles, quae ab hominum moribus ducuntur. Sic cum Rhet. I. ab oratore *prudentiam*, *virtutem*, *beneuolentiam* poſtulat, non eſſe ſolum, inquit, ſed etiam videri *bonus*, qui dicit, oportet; qui vt videaris, optima quidem eſt via *eſſe*.

x) De Scauri defenſione Val. M. L. III. c. 7. n. 8.

y) Iphicratis argumenta refert Polynaeus L. III. c. 9. §. 29.

nis reus erat, interrogasset, an is accepta pecunia Rempublicam proditurus esset? isque id negasset; Quod igitur, inquit, tu non fecisses, ego feci?

Quaesitum etiam, potentissima argumenta primone ponenda sint loco, vt occupent animos? an summo, vt inde dimittant? an partita primo summoque; vt Homerica dispositione in medio sint infirma? an a minimis crescant? z) Quae, prout ratio caussae cuiusque postulabit, ordinabuntur, vno (vt ego censeo) excepto, ne a potentissimis ad leuissima decrescat oratio.

Ipsas argumentorum velut sedes, non me quidem omnes ostendisse confido, plurimas tamen. Quod eo diligentius faciendum fuit, quia declamationes, quibus ad pugnam forensem velut praepilatis a) exerceri solebamus, olim iam ab illa vera imagine orandi recesserunt, atque ad solam compositae voluptatem, neruis carent. b)

Resu-

z) Nestor apud Homerum Iliadis L. I. v. 297. fortes *prima* acie collocat, imbelles *media*, praestantes *vltima*.

a) Propilatae sunt hastae pila praefixa obtusae, vt, si ad emittenda pila exercerentur tirones, innoxiae essent, vt nostri gladii, quos *Rappir* vocant.

b) Ab hoc declamationis vitio hodie non procul absunt oratores multi, qui auribus potius, quam veritati, quid voluntati dicam, seruiunt. Ex scriptis orationibus centones consuunt, quin pes caputue toti reddatur formae. Nihil minus, quam vt auditoribus se accommodent, agunt. Quae Bourdaloue in politissima Galliae aula apte dixit, si coram vulgo declamet germanus orator, quis risum teneat? Ad communes auditorum intellectus nisi descenderis, nunquam veritati aditum facies. Gallos veneror tanquam exempla, quae nos docuere, quaeque imitari, non expilare oportet. Cur ipsi viri-

Refutatio, quae dici possunt ex diuerso, dissoluit: et haec est proprie, cui in caussis quartus adsignatur locus. Neque vero ex aliis locis ratio argumentorum in hac parte peti potest, quam in confirmatione: nec locorum, aut sententiarum, aut verborum aut figurarum alia est conditio. Porro, qui scierit, quid pars aduersa, quid nostra habeat valentissimum, facile iudicabit, quibus maxime rebus vel occurrendum sit, vel instandum. Ordo quidem in parte nulla minus affert laboris. Nam, si agimus, nostra confirmanda sunt primum: tum, quae nostris opponuntur, refutanda. Si respondemus, prius incipiendum est a refutatione. c)

CAPVT XII.

(L. VI. C. I.)

De Peroratione.

Peroratio sequebatur, quam cumulum quidam, conclusionem alii vocant. Rerum repetitio et congre-

viribus nostris diffidere? Non peregrinus liber, sed historia humanitatis fons est, ex quo dicenda haurias, et vita quotidiana domesticus liber, e quo exempla sumas. Auream tradit regulam Illustrissimus Auctor *in meditationibus Vniuersi: Blicke hin auf den Geist der Zeit, lese in den Augen deiner Zuhörer die Stimmung ihres Verstandes und Herzens, dann folge lediglich deinem Sinn und deinem Gefühl.* Adde, quae Gisbert c.6,

c) De syllogismo autem et enthymemate nihil adiicio: naturam superius indicaui: Ante logicae praecepta, quae tradit Fabius, non intelligerentur; post, essent superuacua: ipsa haec confirment Fabii verba: *Qui legem dicendi, quasi quaedam mysteria, tradiderunt, certis non inueniendorum modo argumentorum locis, sed concludendorum quoque nos praeceptis alligauerunt.*

congregatio, quae Graece dicitur ανακεφαλαιωσισ, a quibusdam Latinorum enumeratio, et memoriam auditoris reficit, et totam ſimul cauſſam ponit ante oculos, et, etiam ſi per ſingula minus moueerat, turba valet. d) In hac, quae repetemus, quam breuiſſime dicenda ſunt, et, quod Graeco verbo patet, decurrendum per capita. Nam, ſi morabimur, non iam enumeratio, ſed altera quaſi fiet oratio. Quae autem enumeranda videntur, cum pondere aliquo dicenda ſunt, et aptis excitanda ſententiis, et figuris vtique varianda: alioqui nihil eſt odioſius recta illa repetitione, velut memoriae auditorum diffidentis. Sunt autem innumerabiles: optimeque in Verrem Cicero, ſi pater ipſe iudicaret, quae diceret, cum haec probarentur? et deinde ſubiecit enumerationem.

Id vnum epilogi genus viſum eſt plerisque Atticorum, et philoſophis fere omnibus, qui de arte oratoria ſcriptum aliquid reliquerunt. e) Id ſenſiſſe Atticos

d) Natura duce, fuſius explicata, tandem in ſummam contrahimus, et oculis denuo ſubiicimus, vt ab peregrinantibus fieri amat, qui ampla locorum ſpatia itineribus confecta paruis in mappis ſaepe iterum percurrunt. Elegantis repetitionis exemplum dedit Cicero in Verrem Act. II. L. V. c. 52. et 72.

e) Areopagitae vſque adeo auerſabantur oratorum affectus, vt in tenebris, ne aſpectus rei miſerationem moueret, iudicarent. — Qui igitur peccant concionatores multi, qui veterem in ciendis affectibus morem imitantur, quem illorum prudentior quisque iam damnauerat, praecipue cum finis vtrorumque diuerſiſſimus ſit? Olim perorata cauſſa iudices ſuffragia collaturi conuenere, et ſententia ab eo potiſſimum pende-

de-

Atticos credo, quia Athenis affectus mouere etiam per praeconem prohibebatur orator. Philoſophos minus miror, apud quos vitii eſt loco, affici: nec boni mores videntur, ſic a vero auditorem auerti: nec conuenire viro bono vitiis vti. Ceterum, illud conſtitit inter omnes, etiam in aliis partibus actionis, ſi multiplex cauſſa ſit, et pluribus argumentis defenſa, vtiliter ανακεφαλαιωσιν fieri ſolere: ſicut nemo dubitauerit multas eſſe cauſſas, in quibus nullo loco ſit neceſſaria, ſi breues et ſimplices fuerint.

CAPVT XIII.

(L. VI. C. II.)

De Affectibus.

Adhuc opus ſupereſt, cum ad obtinenda, quae volumus, potentiſſimum, tum ſupra dictis multo difficilius, mouendi animos, atque in eum, quem

debat animorum habitu, quem orator feciſſet. Multum hic ſane litigatoris intererat, vehementius in fine commoueri, nedum perturbari iudices; quos etiam omnibus artis viribus huc quaſi ſeruatis actores petebant, vt miſerationem et inuitis extorquerent; parum ſolliciti, redeuntes ad ſe damnarent iudices, quae egiſſent an probarent; dum reum abſoluiſſent. — Noſtrum contra opus eſt, veritatis rudes docere, praeiudicia conuellere, quae recta honeſtaque ſunt, ſuadere, ac, vt bona durent, efficere. Non igitur grandine obruendus et confundendus animus, ſed ſtillatim veritas infundenda. Olim perturbandi non raro erant animi, quo minus veritatem viderent; iam, vt veritatem percipiant, potius componendi. Hoc impetu non obtinetur, ſed, quam veritas cum motu illabens facit, *ruhig und ſanft rührend*, i. e. perſuaſione. Violentae concuſſiones temporariae ſunt, et quid citius areſcit quam lacrymae? Tota igitur accendat oratio, pectusque ſenſim calefiat; quod niſi toto orationis tractu et rerum magnitudine effeceris, fruſtra in fine ſudabis.

quem volumus, habitum formandi, et velut transfigurandi. Cuius rei altius repetenda ratio eſt.

Per totam cauſſam locus eſt affectibus: f) et eorum non ſimplex natura, nec in tranſitu tractanda, quo nihil maius afferre vis orandi poteſt. Nam cetera forſitan tenuis quoque et anguſta ingenii vena, ſi modo vel doctrina vel vſu ſit adiuta, generare, atque ad frugem aliquam perducere queat: certe ſunt, ſemperque fuerunt non parum multi, qui ſatis perite, quae eſſent probationibus vtilia, reperirent: quos equidem non contemno, ſed hactenus vtiles credo, ne quid per eos auditori ſit ignotum. Qui vero auditorem in quem vellet habitum animi poſſet perducere, rarius fuit.

Huc igitur incumbat orator, hoc opus eius, hic labor eſt: ſine quo cetera nuda, ieiuna, infirma, ingrata ſunt. Adeo velut ſpiritus operis huius atque animus eſt in affectibus.

f) *Stupor* quidam (*Gefühlloſigkeit*) aeque animum humanum dedecet, ac perturbatio et tumultus. Appetitus rationis imperio ſubiecti, felicitatis humanae ſicut inſtrumenta fiunt; ita pariter affectus, ſi iisdem rite vtaris, media perſuaſionis erunt. Motus neutiquam excludit oratoria noſtra, ſed omni modo amplectitur; dum minus deliberationi noceant. Philoſophi eſt, affectus rationis imperio ſubiicere, quibus ſubactis orator vtitur; cum interim Poeta et compoſitos et perturbatos ſimulet, vt, quae inter homines fiant, rite pingendo delectet et proſit. Generalis haec itaque affectuum theoria eſt, e qua et orator et Poeta ſuum ſumat. In naturam rerum pro more ſuo penetrauit Fabius, cui, quae recentiores, Homius praecipue, in meliorem quidem ordinem redegere, illibata non erant. Legi et in hoc poſſunt Meiners *Abhandlung über die Apathie der Stoiker, im zweyten Theil Phil. Schriften die IIIte.*

Horum autem, ſicut antiquitus traditum accepimus, duae ſunt ſpecies: alteram Graeci παθοσ vocant, quam nos vertentes recté ac proprie affectum dicimus; alteram ἠθοσ, cuius nomine, vt ego quidem ſentio, caret ſermo Romanus; mores appellantur: atque inde pars quoque illa philoſophiae ἠθικη, moralis eſt dicta. Sed ipſam rei naturam ſpectanti mihi, non tam mores ſignificari videntur, quam morum quaedam proprietas. Nam ipſis quidem omnes habitus mentis continentur. Cautiores voluntatem complecti, quam nomina interpretari, maluerunt. Affectus igitur hos concitatos, illos mites atque compoſitos eſſe dixerunt; in altero vehementer commotos, in altero lenes; denique hos imperare, illos perſuadere; hos ad perturbationem, illos ad beneuolentiam praeualere. Adiiciunt quidam peritorum, παθοσ temporale eſſe. g) Propria tamen mihi vis nominis et exprimenda natura eſt, qua tenus appellatione ipſa non ſatis ſignificari vi-

g) Ex hac Fabii doctrina colligitur, παθος illas eſſe vehementes concitationes, quae quouis motu, praecipue vero metus, terroris, triſtitiae aut irae animum ita conturbant, vt deliberationem amittat: ἠθος econtra illas eſſe, quae ſuauiter afficiunt, et ex deliberatione oriuntur. παθος necdum eſt perturbatio, ſed ad eam excitandam maxime valet, ſicut ἠθος ad perſuaſionem. Praeter haec in ſenſu quodam improprio ſublime quoduis et erectum *patheticum* vocant, quod animo magnitudine ſua et maieſtate quendam quaſi horrorem incutit; vt *ſtatua Apollinis* in atrio Muſei Clementini (vulgo *Apollo im Belvedere*) cuius deſcriptionem dedit Winkelmann *Geſchichte der Kunſt des Alterthums P. II. p.* 392; item *pictura Mich. Angelo* aut *Stabat Mater Bergoleſianum.* De quo genere recte Longinus S. 29. *Affectus*, ait, *tantum particeps eſt ſublimitatis, ſicut morata oratio iucunditatis.* Vide etiam, quae Meiners *in der Reviſion der Philoſophie p.* 273. Mendelſohn *über das Erhabene und Naive in den ſchön. Wiſſenſchaft. Phil. Schrift. II. Th. 3te.*

videtur. ηθος, quod intelligimus, quodque a docentibus desideramus, id erit, quod ante omnia bonitate commendabitur: non solum mite ac placidum, sed plerumque blandum et humanum, et audientibus amabile atque iucundum: in quo exprimendo summa virtus ea est, vt fluere omnia ex natura rerum hominumque videantur, quo mores dicentis ex oratione pelluceant, et quodam modo agnoscantur. Diuersum est huic, quod παθος dicitur, quodque nos affectum proprie vocamus: et, vt proxime vtriusque differentiam signem, illud comoediae, hoc tragoediae simile.

Quod si tradita mihi sequi praecepta sufficeret, satis feceram huic parti, nihil eorum, quae legi, vel didici, quod modo probabile fuit, omittendo: sed mihi in animo est, quae latent penitus ipsa huius loci aperire penetralia; quae quidem non aliquo tradente, sed experimento meo, ac natura ipsa duce, accepi. h) Summa enim (quantum ego quidem sentio) circa mouendos affectus in hoc posita est, vt moueamur ipsi. Nam et luctus, et irae, et indignationis aliquando ridicula fuerit imitatio, si verba vultumque tantum, non etiam animum, accom-

h) De hoc iam Cicero L. II. de orat. c. 45. Itemque Horatius docuit in arte v. 102. *Si me vis flere, dolendum est primum ipsi tibi.* Ne vero exinde optimum Fabium ignorantiae, iactantiaeque damnes; Quae hic docuit, non tam ex libellis, sed ex animo suo sensuue interno, factis in hoc pluribus experimentis, ait se didicisse; nullo autem modo nouae se auctorem veritatis iactat.

modauerimus. Quid enim aliud eſt cauſſae, vt lugentes, vtique in recenti dolore, diſertiſſime quaedam exclamare videantur, et ira non numquam, in indoctis quoque, eloquentiam faciat, quam quod illis ineſt vis mentis, et veritas ipſa morum? Quare in iis, quae veriſimilia eſſe volemus, ſimus ipſi ſimiles eorum, qui vere patiuntur, affectibus: et a tali animo proficiſcatur oratio, qualem facere auditorem volet. An ille dolebit, qui audiet me, hoc cum dicam, non dolentem? iraſcetur, ſi nihil ipſe, qui in iram concitat, idque exigit, ſimile patietur? ſiccis agenti oculis lacrimas dabit? fieri non poteſt. Nec incendit, niſi ignis, nec madeſcimus, niſi humore: nec res vlla dat alteri colorem, quem ipſa non habet. Primum eſt igitur, vt apud nos valeant ea, quae valere apud alios volumus: afficiamurque, ante quam afficere conemur. At, quo modo fiet, vt afficiamur? neque enim ſunt motus in noſtra poteſtate. Tentabo etiam de hoc dicere. Quas φαντασιας Graeci vocant, nos ſane viſiones i) appellemus: per quas imagines rerum abſentium ita repraeſentantur animo, vt eas cernere oculis, ac praeſentes habere videamur. Has quisquis bene conceperit, is erit in affectibus potentiſſimus. Hunc quidam dicunt ἐυφαντασιωτον, qui ſibi res, voces, actus ſecundum verum optime finget: quod quidem nobis volentibus facile continget. Nam, vt inter

otia

i) De Viſionibus Long. S. 15.

otia animorum, et ſpes inanes, et velut ſomnia quaedam vigilantium; ita nos hae, de quibus loquimur, imagines proſequuntur, vt peregrinari, nauigare, praeliari, populos alloqui, diuitiarum, quas non habemus, vſum videamur diſponere, nec cogitare, ſed facere. Hoc animi vitium ad vtilitatem non transferemus? Vt hominem occiſum querar; non omnia, quae in re praeſenti accidiſſe credibile eſt, in oculis habebo? non percuſſor ille ſubitus erumpet? non expaueſcet circumuentus? exclamabit? vel rogabit? vel fugiet? non ferientem, non concidentem videbo? non animo ſanguis, et pallor, et gemitus, extremus denique exſpirantis hiatus inſidet?

Inſequetur ἐναργεια, quae a Cicerone illuſtratio et euidentia nominatur, quae non tam dicere videtur, quam oſtendere: et affectus non aliter, quam ſi rebus ipſis interſimus, ſequentur. An non ex his viſionibus illa ſunt, l)

Excuſſi manibus radii, reuolutaque penſa?
Et - - - Leuique patens in pectore vulnus?
Et equus ille in funere Pallantis,
- - - Poſitis qui inſignibus
It lacrimans, guttisque humectat grandibus ora?

G 3 Quid

l) *Excuſſi manibus radii.* Aen. L. IX. v. 476. ſcilicet de matre Euryali filii morte percullſa dicitur. *Leuique patens* L. XI. v. 40. De Pallantis funere, quo etiam illud de equo v. 89. *Dulcis moriens.* L. X. v. 782. de Antore Herculis comite dicitur.

Quid non idem poeta penitus vltimi fati cepit imaginem, vt diceret,

Et dulcis moriens reminiſcitur Argos.

Vbi vero miſeratione opus erit, nobis ea, de quibus querimur, accidiſſe credamus, atque id animo noſtro perſuadeamus. Nos illi ſimus, quos grauia, indigna, triſtia paſſos queramur: nec agamus rem, quaſi alienam, ſed aſſumamus parumper illum dolorem. Ita dicemus, quae in ſimili noſtro caſu dicturi eſſemus. Vidi ego ſaepe hiſtriones atque comoedos, cum ex aliquo grauiore actu perſonam depoſuiſſent, flentes adhuc egredi. m) Haec diſſimulanda mihi non fuerunt, quibus ipſe, quantuscumque ſum, aut fui, (nam perueniſſe me ad aliquod nomen ingenii credo) frequenter motus ſum, vt me non lacrimae ſolum deprehenderint, ſed pallor, et vero ſimilis dolor.

CAPVT XV.
(L. VI. C. III.)
De Riſu.

Diuerſa virtus, quae riſum mouendo et illos triſtes ſoluit affectus, et animum ab intentione re-

m) Cicero de oratore L. II. c. 46. *Saepe ipſe vidi, cum ex perſona* (qua illa patet, et liberum hiſtrioni proſpectum dat) *mihi ardere oculi hominis hiſtrionis viderentur.* Gellius de Pilo hiſtrione L. VII. c. 5. *Lugubri habitu Electrae Sophocleae,* quam acturus erat, *indutus, oſſa atque vrnam a ſepulchro tulit filii, et quaſi Oreſti amplexus, oppleuit omnia non ſimulacris, neque imitamentis, ſed luctu atque lamentis veris et ſpirantibus.* Quid iam illi agunt, qui, cum in oratione ſua altum ſaepe exclament, ingeminentque, remiſſa ſtatim ac leni iterum voce pergere poſſunt? Hoc cum naturae plane repugnet, cui ſimulationis ſuſpicio non veniat?

rerum frequenter auertit, et aliquando etiam reficit, et a ſatietate vel a fatigatione renouat. n)

Quanta ſit autem in ea difficultas, vel duo maximi oratores, alter Graecae, alter Latinae eloquentiae principes, docent. Nam plerique Demoſtheni facultatem huius rei defuiſſe credunt, Ciceroni modum. Nec videri poteſt noluiſſe Demoſthenes, cuius pauca admodum dicta, nec ſane ceteris eius virtutibus reſpondentia, palam oſtendunt, non diſplicuiſſe illi iocos, ſed non contigiſſe. o) Noſter vero non ſolum extra iudicia, ſed in ipſis etiam orationibus, habitus eſt nimius riſus affectator. Mihi quidem, ſiue id recte iudico, ſiue amore immodico praecipui in eloquentia viri laboro, mira quaedam videtur in eo fuiſſe vrbanitas. Nam et in ſermone quotidiano multa, et in altercationibus, et interrogandis teſtibus plura, quam quisquam, dixit facete, et illa ipſa, quae ſunt in Verrem dicta frigidius, aliis aſſignauit, et teſtimonii loco poſuit: vt, quo ſunt magis vulgaria, eo ſit credibilius, illa ab oratore

n) Ridiculi voluptatem, ſicut affectuum vehementiam, amplectuntur omnes ingenuae artes. In forenſi vſu praecipue vſurparunt veteres, ſi commotus ab aduerſario iudex ab intentione et aeſtu erat reuocandus, vt poſt in aliam partem inclinari poſſet. Ioco opportuno quemcunque animi habitum mutari, et ex perturbatiſſimo fieri compoſitum, proprio quisque experimento diſcere poteſt. In eum quidem finem hic egit Fabius, quin generalem ridiculi theoriam deſideres; quam apud Homium et Sulzerum plane inuenies conſummatam.

o) Cicero in oratore c. 26. *Demoſthenes minus habetur facetus, quo quidem mihi nihil videtur vrbanius. Sed non tam dicax fuit, quam facetus.* Plutarchus in vita varia profert eius apophtegmata.

non ficta, ſed paſſim eſſe iactata. Vtinamque libertus eius Tyro, aut alius quisquis fuit, qui tres hac de re libros p) edidit, parcius dictorum numero indulſiſſent, et plus iudicii in eligendis, quam in congerendis ſtudii adhibuiſſent: minus obiectus calumniantibus foret: qui tamen nunc quoque, vt in omni eius ingenio, facilius, quid reiici, quam quid adiici poſſit, inuenient. Affert autem ſummam rei difficultatem, primum, quod ridiculum dictum plerumque falſum eſt, q) hoc ſemper humile; ſaepe ex induſtria deprauatum; praeterea numquam honorificum: tum varia hominum iudicia in eo, quia non ratione aliqua, ſed motu animi quodam, neſcio an enarrabili, iudicatur. r) Neque hoc ab vllo ſatis expli-

p) Deſiderantur hi libri; collegit iocos Ciceronis, iisque bonam partem libri *de re ludicra* impleuit *Vauaſſor*.

q) Ridiculum conſiſtit in quadam deformitate noua et rara; cuius varii ſunt gradus: 1mo conſiſtit in lepida rerum plane inconuenientium coniunctione, vt ſi ſtupidus *ſapientem*, timidus *fortem*, ſenex *iuuenem* agat. 2do in rebus monſtroſis, ſicut in pictura illud eſt, quod *Carricatur* vocant, et in quo figurae Hogarthianae maxime excellunt. Plautus in milite glorioſo intolerabilem faſtum ita extollit, vt ridiculam huius vanitatis imaginem velut in ſpeculo expreſſam contemplari liceat. — Ex hac ridiculi natura liquet, quare ſit plerumque falſum; deformia enim non ſeria, ſed ex arte ficta riſum mouent: Plautus militi haec verba dedit, *Poſtridie natus ſum ego, quam Iupiter ex Ope natus erat:* et eius ſeruo: *Si hic pridie natus foret, quam ille, hic regnum haberet in coelo.* Act. IV. Sc. 2. Falſum dicitur: ſed quia fabula eſt, ridemus; ſerio affirmatum non ſine ſtomacho audiretur.

r) Ridiculi guſtus teſte Homio nec in ſumma gentis cultura, nec in ſumma cruditate conſiſtit, ſed medio quodam tempore locum habet, quod neque ſit incultum, nec venuſtiſſime politum. Inculti monſtroſis plerumque; cultiores inconuenientiis apte depictis delectari ſolent. Rudes enim trahuntur *nouitate*, cultiores *vanitate*, quod ingenii ſui acie turpitudines aduertant. Cum vero diuerſa ſit inge-

explicari puto, licet multi tentauerint, vnde risus; qui non solum facto aliquo dictoue, sed interdum quodam etiam corporis tactu lacessitur. praeter ea non, vt oratione moueri soleat. Neque enim acute tantum ac venuste, sed stulte, iracunde, timide dicta aut facta ridentur. Ideoque anceps eius rei ratio est, quod a derisu non procul abest risus. s) Habet enim, vt Cicero dicit, sedem in deformitate aliqua et turpitudine. Quae cum in aliis demonstrantur, vrbanitas: cum in ipsum dicentem recidunt, stultitia vocatur.

Cum videatur autem res leuis, et quae a scurris, mimis, insipientibus denique saepe moueatur; tamen habet vim nescio an imperiosissimam, et cui repugnari minime potest. Erumpit enim etiam inuitis saepe: nec vultus modo ac vocis exprimit confessionem, sed totum corpus vi sua concutit. t) Rerum autem saepe, vt dixi, maximarum momenta vertit, cum odium, iramque frequentissime frangat. Documento sunt iuuenes Tarentini, qui mul-

ingeniorum indoles, item pro diuerso animorum habitu aliter plane res nos afficiant; ille motus, quo animus in corpore risum excitat, satis enarrari non potest.

s) Exinde *risum* inter et *derisum* differentiam apte signat Homius c. 12. *Ein lächerlicher Gegenstand erregt die blosse Bewegung des Lachens: ein belachenswerther Gegenstand ist sowohl unanständig als lächerlich, und erregt eine vermischte Bewegung, die durch das Hohnlächeln oder verachtendes Lachen geäussert wird.*

t) De hoc eleganter Cicero de oratore L. II. c. 58. *Quid sit ipse risus, quo pacto concitetur, vbi sit, quomodo existat, atque ita repente erumpat, vt eum cupientes tenere nequeamus, et quo modo simul latera, os, venas, vultum, oculos occupet, viderit Democritus.*

ta de Pyrrho rege securius inter coenam locuti; cum rationem facti reposcerentur, et neque negari res, neque defendi posset, risu sunt et opportuno ioco elapsi. Namque vnus ex his: Immo, inquit, nisi lagena defecisset, occidissemus te. Eaque vrbanitate tota est inuidia criminis dissoluta. u)

Verum hoc, quidquid est, vt non ausim dicere carere omnino arte; quia non nullam obseruationem habet, suntque ad id pertinentia et a Graecis et a Latinis composita praecepta: x) ita plane affirmo, praecipue positum esse in natura et in occasione. Porro natura non tantum in hoc valet, vt acutior quis atque habilior sit ad inueniendum, nam id sane doctrina posset augeri: sed inest proprius quibusdam decor in habitu atque vultu, vt eadem illa minus, dicente alio, videantur vrbana esse. Occasioni vero et in rebus est tanta vis, vt saepe adiuti ea non indocti modo, sed etiam rustici salse dicant in eum, quisquis aliquid dixerit prior. Sunt enim longe venustiora omnia in respondendo, quam in prouocando. Accedit difficultati, quod eius rei nulla exercitatio est, nulli praeceptores. Vtique in conuiuiis et sermonibus multi dicaces, sed, quia in hoc vsu quotidiano proficimus: Oratoria vrbanitas rara, nec ex arte propria, sed ad hanc consuetudinem accommodata. Pluri-

u) Valer. Max. L. V. c. 1. n. 3. et Plutarchus in vita Pyrrhi.

x) Inter recentiores vide Sulzerum Articulis *Lächerlich*, *Satyr und Witz*. Item Beattie's *Versuch über das Lachen*. Mendelsohn *über das Naive*, *II. Th. a p.* 218.

Pluribus autem nominibus in eadem re vulgo vtimur: quae tamen ſi deducas, ſuam propriam quamdam vim oſtendent. Nam et vrbanitas dicitur: qua quidem ſignificari video ſermonem prae ſe ferentem in verbis et ſono et vſu proprium quemdam guſtum vrbis, et ſumtam ex conuerſatione doctorum tacitam eruditionem: denique, cui contraria ſit ruſticitas. Venuſtum eſſe, quod cum gratia quadam et venere dicatur, apparet.

Salſum in conſuetudine pro ridiculo tantum accipimus, natura non vtique hoc eſt: quamquam et ridicula oporteat eſſe ſalſa. Nam et Cicero, omne, quod ſalſum ſit, ait eſſe Atticorum; non, quia ſunt maxime ad riſum compoſiti: et Catullus, cum dicit,

Nulla in tam magno eſt corpore mica ſalis,

non hoc dicit, nihil in corpore eius eſſe ridiculum. Salſum igitur erit, quod non erit inſulſum, velut quoddam ſimplex orationis condimentum, quod ſentitur latente iudicio, velut palato, excitatque et a taedio defendit orationem. Sane tamen, vt ille, in cibis paullo liberalius aſperſus, ſi tamen non ſit immodicus, affert aliquid propriae voluptatis: ita hi quoque in dicendo habent quiddam, quod nobis faciat audiendi ſitim. Facetum quoque non tantum circa ridicula opinor conſiſtere. Neque enim diceret Horatius, facetum carminis genus natura conceſſum

cessum esse Virgilio. Decoris hanc magis, et excultae cuiusdam elegantiae appellationem puto. Ideoque in epistolis Cicero haec Bruti refert verba, Nae illi sunt pedes faceti, ac deliciis ingredienti molles. Quod conuenit cum illo Horatiano,

Molle atque facetum Virgilio.

Iocum vero accipimus, quod est contrarium serio. Nam et fingere, et terrere, et promittere interim iocus est. Dicacitas sine dubio a dicendo, quod est omni generi commune, ducta est: proprie tamen significat sermonem cum risu aliquos incessentem. Ideo Demosthenem vrbanum fuisse dicunt, dicacem negant.

Proprium autem materiae, de qua nunc loquimur, est ridiculum. Ideoque haec tota disputatio a Graecis περι γελοια inscribitur. Eius prima diuisio traditur eadem, quae est omnis orationis, vt sit positum in rebus, aut in verbis. Vsus autem maxime simplex. Aut enim ex aliis risum petimus, aut ex nobis, aut ex rebus mediis. Aliena aut reprehendimus, aut refutamus, aut eleuamus, aut repercutimus, aut eludimus. Nostra, ridicula indicamus, et, vt verbo Ciceronis vtar, dicimus aliqua subabsurda. Namque eadem, quae, si imprudentibus excidant, stulta sunt; si simulamus, venusta creduntur. Tertium est genus, vt idem dicit, in decipiendis exspectationibus, dictis aliter

acci-

accipiendis, ceterisque, quae neutram perſonam contingunt, ideoque a me media dicuntur. Item ridicula aut dicimus, aut facimus. Facto riſus conciliatur: vt Marcus Caelius praetor, cum ſellam eius curulem Conſul Iſauricus fregiſſet, alteram poſuit loris intentam. Dicebatur autem Coſ. a patre aliquando caeſus flagris. Idem autem, de vultu geſtuque ridiculo dictum ſit: in quibus eſt quidem ſumma gratia, ſed maior, cum captare riſum non videntur. Tamen inhumana videri ſolet fortunae inſectatio: vel quia culpa caret, vel quia recidere etiam in ipſos, qui obiecerunt, poteſt. Primum itaque conſiderandum eſt, et quis, et in qua cauſſa, et apud quem, et in quem, et quid dicat. Oratori minime conuenit diſtortus vultus, geſtusque, quae in mimis rideri ſolent. Dicacitas etiam ſcurrilis et ſcenica huic perſonae alieniſſima eſt. Obſcoenitas vero non a verbis tantum abeſſe debet, ſed etiam a ſignificatione. Nam, ſi quando obiici poteſt, non in omni loco exprobranda eſt. Oratorem praeter ea vt dicere vrbane volo, ita videri affectare id, plane nolo. Qua propter ne dicet quidem ſalſe, quoties poterit, et dictum potius aliquando perdet, quam minuet auctoritatem.

Vitandum etiam, ne petulans, ne ſuperbum, ne loco, ne tempori alienum, ne praeparatum, et domo allatum videatur, quod dicimus. Nam aduerſus miſeros, ſicut ſupra dixeram, inhumanus

eſt iocus. Sed quidam ita ſunt receptae auctoritatis, et notae verecundiae, vt nocitura ſit in eos dicendi petulantia.

Illud non ad orandi fere conſilium, ſed ad omnia pertinet, ne laceſſat hoc modo, quem laedere ſit periculoſum, ne aut inimicitiae graues inſequantur, aut turpis ſatis factio. Male etiam dicitur, quod in plures conueniet, ſi aut nationes totae inceſſantur, aut ordines, aut conditio, aut ſtudia multorum. Ea, quae dicit vir bonus, omnia ſalua dignitate ac verecundia decent. Nimium enim riſus pretium eſt, ſi probitatis impendio conſtat.

Vnde autem concilietur riſus, et quibus ex locis peti ſoleat, difficillimum eſt dicere. Nam, ſi ſpecies omnes perſequi velimus, nec modum reperiemus, et fruſtra laborabimus. Riſus igitur oriuntur, aut ex corpore eius, in quem dicimus; aut ex animo; qui factis ab eo dictisque colligitur; aut ex his, quae ſunt extra poſita. Intra haec enim eſt omnis vituperatio: quae ſi grauius poſita ſit, ſeria eſt; ſi leuius, ridicula. Haec aut oſtenduntur, aut narrantur, aut dicto notantur. Rarum eſt autem, vt oculis ſubiicere contingat, vt fecit C. Iulius, qui cum Helio Manciae ſaepius obſtrepenti ſibi diceret, iam oſtendam, qualis ſis; isque plane inſtaret interrogatione, qualem ſe tandem oſtenſurus eſſet, digito demonſtrauit imaginem Galli in ſcuto Mariano Cim-

Cimbrico pictam, cui Mancia tum ſimillimus eſt viſus. Tabernae autem erant circa forum, ac ſcutum illud ſigni gratia poſitum. y)

Narrare, quae ſalſa ſint, in primis eſt ſubtile, et oratorium: vt Cicero pro Cluentio narrat de Cepaſio atque Fabricio. z) Sed in his omnibus cum elegans et venuſta exigitur tota expoſitio, tum id eſt feſtiuiſſimum, quod adiicit orator. Nam et a Cicerone ſic eſt Fabricii fuga illa condita: Itaque cum callidiſſime ſe putaret dicere, et cum illa verba grauiſſima ex intimo artificio deprompſiſſet: Reſpicite, iudices, hominum fortunas, reſpicite varios durosque caſus, reſpicite C. Fabricii ſenectutem: cum hoc, Reſpicite, ornandae orationis cauſſa ſaepe dixiſſet, reſpexit ipſe: at Fabricius a ſubſelliis demiſſo capite diſceſſerat, et cetera, quae adiecit; nam eſt notus locus: cum in re hoc ſolum eſſet, Fabricium a iudicio receſſiſſe.

In narrando autem Cicero conſiſtere facetias putat, dicacitatem in iaciendo. a) Mire fuit in hoc genere venuſtus Afer Domitius, cuius orationibus complures huius modi narrationes inſertae reperiuntur,

y) Erat imago hominis ruditer in ſcuto Cymbri picta, quod victoria Mariana ei ablatum pro ſigno tabernae pendebat. Cic. de orat. L. II. c. 66. IAM OSTENDAM, CVIVSMODI SIS: *cum ille:* OSTENDE QVAESO; *demonſtrauit digito pictum gallum in Mariano ſcuto cimbrico, ſub Nouis, diſtortum, eiecta lingua, buccis fluentibus.*

z) Pro Cluentio c. 21.

a) In oratore c. 26.

untur: ſed dictorum quoque ab eodem vrbane ſunt editi libri. Illud quoque genus eſt poſitum non in hac veluti iaculatione verborum, et incluſa breuiter vrbanitate, ſed in quodam longiore actu, quod de Craſſo contra Brutum Cicero in ſecundo de oratore libro, et aliis quibusdam locis narrat. b) Nam cum Brutus in accuſatione Cn. Planci, ex duobus lectoribus oſtendiſſet, contraria L. Craſſum patronum eius in oratione, quam de Colonia Narbonenſi habuerat, ſuaſiſſe iis, quae de lege ſeruilia dixerat; tres excitauit et ipſe lectores, hisque patris eius dialogos dedit legendos: quorum cum in Priuernati vnus, alter in Albano, tertius in Tiburti ſermonem habitum complecteretur, requirebat, vbi eſſent eae poſſeſſiones. Omnes autem illas Brutus vendiderat: et cum paterna manciparet praedia, turpis habebatur. Similis in apologis quoque, et quibusdam etiam interim hiſtoriis exponendis gratia conſequi ſolet. c) Sed acutior eſt illa atque velocior in vrbanitate breuitas. Cuius quidem duplex eſt forma, dicendi, ac reſpondendi: ſed ratio communis in parte;

b) De oratore L. II. c. 55. et pro Cluent. c. 51. Brutus in accuſatione Planci Craſſum eius patronum ita perſtrinxit: Excitauit duos lectores, qui geminas, in quibus ſibi Craſſus plane contradiceret, orationes recitarent. In prima diſſuaſerat legem, quae ferebatur, ne Martius Narbo colonia deduceretur, in qua *multa contra Senatores dixit:* in altera legem Seruiliam ſuaſit a Seruilio Caepione latam, et *multam Senatoribus laudem impertiit.* Huic apto reſpondit lepore Craſſus, cum ex praediorum paternorum mancipatione Brutum decoctorem fecit.

c) Sic feſtina eſt Demoſthenis pro Ariſtide de Megarenſium aſino fabula, qua male affectos iudices ſibi conciliauit. Voſſ. L. III. Inſt. orat. c. 3.

te; nihil enim in laceſſendo dici poteſt, quod non etiam in repercutiendo.

Cum ſint autem loci plures, ex quibus dicta ridicula ducantur, repetendum eſt mihi, non omnes eos oratoribus conuenire. In primis autem ex amphibolia, neque illa obſcura, quae Atellanae d) more captent; nec qualia vulgo iactantur a viliſſimo quoque, conuerſa in maledictum fere ambiguitate. Ne illa quidem, quae Ciceroni aliquando, ſed non in agendo, exciderunt, vt dixi, cum is candidatus, qui coqui filius habebatur, coram eo ſuffragium ab alio peteret; Ego quoque tibi iure fauebo. Non, quia excludenda ſint omnino verba, duos ſenſus ſignificantia: ſed, quia raro belle reſpondeant, niſi cum prorſus rebus ipſis adiuuantur.

Quare non hoc modo paene et ipſum ſcurrile Ciceronis eſt in eumdem, de quo ſupra dixi, Iſauricum, Miror, quid ſit, quod pater tuus homo conſtantiſſimus te nobis varium e) reliquit: ſed illud ex eodem genere praeclarum, cum obiiceret Miloni accuſator in argumentum factarum Clodio inſidiarum,

d) Fabulas Atellanas exponit Liu. L. VII. c. 2. *Iuuentus, hiſtrionibus fabularum actu relicto, ipſa inter ſe more antiquo ridicula intertexta verſibus iactitare caepit: quae inde exodia poſtea appellata, conſertaque fabellis potiſſimum Atellanis ſunt. Quod genus ludorum ab Oſcis* (Atellae vrbs eſt in regione Oſcorum ſita) *acceptum tenuit iuuentus, nec ab hiſtrionibus pollui paſſa eſt.* Obſcuritas ex vetuſta, vt Donatus in Terentii vita teſtis, elegantia venit.

e) *Varius*, et inconſtantem notat, et eum, cuius tergum virgis caeſum, *varium*, id eſt, maculoſum erat.

quod Bouillas ante horam nonam deuertiſſet, vt exſpectaret, dum Clodius a villa ſua exiret, et identidem interrogaret, quo tempore Clodius occiſus eſſet? reſpondit: Sero. f) Quod vel ſolum ſufficit, vt hoc genus non totum repudietur. Nec plura modo ſignificari ſolent, ſed etiam diuerſa: vt Nero de ſeruo peſſimo dixit, Nulli apud ſe plus fidei haberi: nihil ei neque occluſum, neque obſignatum eſſe. g)

Frigida eſt nominum fictio, adiectis, detractis, mutatis literis: vt Aciſculum, quia eſſet pactus, Paciſculum; et Placidum nomine, quia is acerbus natura eſſet, Acidum; et Tullium, cum fur eſſet, Tollium, dictos inuenio. Sed haec eadem genera commodius in rebus, quam in nominibus reſpondent. Afer enim venuſte Manlium Suram, multum in agendo diſcurſantem, ſalientem, manus iactantem, togam deiicientem et reponentem, non agere dixit, ſed ſatagere. Eſt enim dictum per ſe vrbanum, ſatagere, h) etiam ſi nulla ſubſit alterius verbi ſimilitudo. Fiunt et detracta et adiecta aſpiratione, et binis coniunctis verbis ſimiliter ſaepius frigida, aliquando tamen recipienda. Eademque con-

f) Ex Ciceronis ſententia Clodius debuit ante perire, quam ea vulnera reipublicae infligeret.

g) Cicero de orarore L. II. c. 61. *Ridiculum eſt illud Neronianum vetus in furace ſeruo, ſolum eſſe, cui domi nihil ſit nec obſignatum, nec occluſum: quod idem in bono ſeruo dici ſolet: ſed hoc iisdem etiam verbis.* Antiqui vero cibum et potum ſignaculo a ſeruorum rapacitate vindicabant.

h) *Satagere* idem ac nimis et cum aliorum moleſtia agere. *Uebertriebene Geſchäfftigkeit.*

conditio eſt in iis, quae a nominibus trahuntur. Multa ex hoc Cicero in Verrem, i) ſed vt ab aliis dicta, modo, Futurum, vt omnia verreret, cum diceretur Verres: modo, Herculi, quem expilauerat, moleſtiorem apro Erymanthio fuiſſe: modo, Malum ſacerdotem, qui tam nequam Verrem reliquiſſet: quia Sacerdoti Verres ſucceſſerat. Praebet tamen aliquando occaſionem quaedam felicitas hoc quoque genere bene vtendi; vt pro Cecinna l) Cicero in teſtem Sex. Clodium Phormionem, Nec minus niger, inquit, nec minus confidens, quam ille Terentianus eſt Phormio.

Acriora igitur ſunt et elegantiora, quae trahuntur ex vi rerum; vt Chryſippus, cum in triumpho Caeſaris eborea oppida eſſent translata, et poſt dies paucos Fabii Maximi lignea, thecas eſſe oppidorum Caeſaris dixit. m) Et Auguſtus nuntiantibus Tar-

i) In Verrem Act. II. L. IV. c. 43. elegans et faceta narratio, quo ſcilicet modo ſignum Herculis ex Agrigentinorum templo noctu auferre voluerit. Verres etiam *aprum* ſignificat; ex quo alterum dictum intelligitur; Cereri enim porcos immolabant Siculi. In Verrem Act. II. L. I. c. 46.

l) Pro Cecinna c. 10. Niger in vultu color malae ſignificationis antiquitus habitus. Horat. Serm. L. I. Ecl. 4. v. 85.

Hic niger eſt, hunc tu Romane caueto.

Et Mart. L. XII. Ep. 54.

Crine ruber, niger ore, breuis pede, lumine laeſus,
Rem magnam praeſtas, Zoile, ſi bonus es!

Cum vero Terentianae tum fabulae vulgo actitarentur; ad Phormionis perſonam alludi commode poterat.

m) Fabius fuit legatus Caeſaris, et cum Pedio triumphauit. Dion. L. 44. p. 235. riſum hunc triumphum, propter lignea ſimulacra, refert. Chryſippus erat Vettius Cyrrhi architecti libertus.

raconenſibus, palmam in ara eius enatam, n) Apparet, inquit, quam ſaepe accendatis. Catulus dicenti Philippo, Quid latras? Furem o) video, inquit. Eſt genus decipiendi opinione, aut dicta aliter intelligendi, quae ſunt in omni hac materia vel venuſtiſſima. Inopinatum et a laceſſente poni ſolet: quale eſt, quod refert Cicero, Quid huic abeſt, niſi res et virtus? Aut illud Afri, Homo in agendis cauſſis optime veſtitus. p)

Ex Hiſtoria etiam ducere vrbanitatem, eruditum; vt Cicero fecit, cum ei teſtem in iudicio Verris roganti dixiſſet Hortenſius, Non intelligo haec aenigmata: Atqui debes, inquit, cum Sphingem domi habeas. Acceperat autem ille a Verre Sphingem aeneam, magnae pecuniae. q)

Has aut accepi ſpecies, aut inueni frequentiſſimas, ex quibus ridicula ducerentur: ſed repetam neceſſe eſt, infinitas eſſe, tam ſalſe dicendi, quam ſeue-

n) Auguſto viuo decreti ſunt honores diuini et erectae arae — nec hoc quidem ioco repreſſi Tarraconenſes ſunt, quo minus aram, palmamque in ea natam nummis impreſſerint.

o) Cicero de oratore L. II. c. 54. Furis appellatio non ad Philippum, ſed eum, quem defenderat, referri oportet.

p) *Veſtitus* eſt praeter exſpectationem dictum: dicendum enim erat exercitatus aut paratus.

q) Plutarchus *in apopht. Romanorum*, voce, *Cicero*. Ductus eſt iocus a Thebanae Sphingis fabula, quae viatoribus aenigmata propoſuit, quos, ſi expedire ſe non poſſent, lacerabat. Auſonius deſcribit monſtrum:

Sphinx volucris pennis, pedibus fera, fronte puella.

Aenigma de animali, mane quatuor, de meridie dnobus, veſperi tribus pedibus incedente, ab Oedipo ſolutum, ſatis notum eſt.

ſeuere, quas praeſtat perſona, locus, tempus, caſus denique, qui eſt maxime varius. Hic adiicit Domitius Marſus, qui de Vrbanitate diligentiſſime ſcripſit, quaedam non ridicula, ſed cuilibet ſeueriſſimae orationi conuenientia, eleganter dicta, et proprio quodam lepore iucunda: quae ſunt quidem vrbana, ſed riſum tamen non habent. Neque enim ei de riſu, ſed de vrbanitate eſt opus inſtitutum, quam propriam eſſe noſtrae ciuitatis ait: et ſero ſic intelligi caeptam, poſtquam Vrbis appellationem, etiamſi nomen proprium non adiiceretur, Romam tamen accipi ſit receptum. Eamque ſic finit, Vrbanitas eſt virtus quaedam in breue dictum coacta, et apta ad delectandos mouendosque homines in omnem affectum, maxime idonea ad reſiſtendum vel laceſſendum, prout quaeque res ac perſona deſiderat. Cui ſi breuitatis exceptionem detraxeris, omnes orationis virtutes complexa ſit. Cur autem breuem eam voluerit, neſcio quidem. At, quam in eodem libro dicit fuiſſe et in multis narrandi vrbanitatem, paullo poſt ita finit, Catonis, vt ait, opinionem ſecutus, Vrbanus homo erit, cuius multa bene dicta reſponſaque erunt: et, qui in ſermonibus, circulis, conuiuiis, item in concionibus, omni denique loco ridicule commodeque dicet. Riſus erunt, quicunque haec faciet orator. Quas ſi recipimus finitiones, quidquid bene dicetur, et vrbane dicti nomen accipiet. Ceterum illi, qui hoc propoſuerat,

consentanea fuit illa diuisio, vt dictorum vrbanorum alia seria, alia iocosa, alia media faceret. Nam eadem est omnium bene dictorum. Verum etiam mihi iocosa quaedam videntur posse non satis vrbane referri. Nam meo quidem iudicio, illa est vrbanitas, in qua nihil absonum, nihil agreste, nihil inconditum, nihil peregrinum, neque sensu, neque verbis, neque ore gestuue possit deprehendi: vt non tam sit in singulis dictis, quam in toto colore dicendi, qualis pud Graecos atticismos ille redolens Athenarum roprium saporem. r)

r) Vrbanitatis varia ex his significatio colligitur: 1mo, Breue veteribus dictum erat elegans et commodum, siue ridiculum esset, siue serium; *Bon mot*. 2do, facilitas quaedam talibus dictis in hominum congressu aut familiari colloquio vtendi 3tio, tota oratio iucundo quodam sale condita. In priore sensu ab eo potissimum Auctore desideres, quem minori carminis genere ludere iuuat, vt apud nos Kaestnerus; quod, nisi ex politissimorum hominum conuersatione, non discitur. Carent nostrorum multi, qui petulantiam, pro vrbanitate, in scribendo exercent; quanquam non desint et venusta alia ingenia, quae saecula probabunt. — In alio sensu omnis, qui stilum arripuerit, vrbanitatem sectetur. Apparet statim et extat, vtrum sis eiusdem rudis, an ex communi hominum sensu didiceris. Philosophum, Iuris peritum, Medicum, Theologum, et Oratorem quemcunque sacrum, non *grauiter* tantum scribere et loqui decet, sed etiam *urbane*.

SECTIO III.

CAPVT VNICVM.

(L. VII. PROOEM. ET C. I.)

De Diſpoſitione.

Vt opera exſtruentibus ſatis non eſt, ſaxa atque materiam, et cetera aedificanti vtilia congerere, niſi diſponendis iis collocandisque artificum manus adhibeatur: ſic in dicendo quamlibet abundans rerum copia cumulum tantum habeat atque congeſtum, niſi illas eadem diſpoſitio in ordinem digeſtas; atque inter ſe commiſſas deuinxerit. Nec immerito ſecunda quinque partium poſita eſt, cum ſine ea prior nihil valeat. Neque enim, quamquam fuſis omnibus membris, ſtatua ſit, niſi collocetur: et, ſi quam in corporibus noſtris aliorumue animalium partem permutes atque transferas, licet habeat eadem omnia, prodigium ſit tamen. Et artus etiam leuiter loco moti perdunt, quo viguerunt, vſum: et turbati exercitus ſibi ipſi ſunt impedimento. Nec mihi videntur errare, qui ipſam rerum naturam ſtare ordine putant; quo confuſo, peritura ſint omnia. s) Sic oratio, carens hac virtute, tumul-

s) Chaos deſcripſit Ouidius Metamorphoſ. L. I. a verſu 5.

Ante mare et terras et quod tegit omnia coelum,
Vnus erat toto naturae vultus in orbe,
Quem dixere chaos; rudis indigeſtaque moles;
Nec

tumultuetur neceſſe eſt, et ſine rectore fluitet, nec cohaereat ſibi, multa repetat, multa transeat, velut nocte in ignotis locis errans, nec initio nec fine propoſito, caſum potius, quam conſilium, ſequatur. Quapropter totum hoc caput ſeruiat diſpoſitioni, quae quidem, ſi certa aliqua via tradi in omnes materias vllo modo poſſet, non tam paucis contigiſſet. Sed, cum infinitae formae fuerint, futuraeque ſint, et tot ſeculis nulla reperta ſit cauſſa, quae eſſet tota alteri ſimilis, ſapiat oportet actor, et vigilet, et inueniat, et iudicet, et conſilium a ſe ipſo petat. Sit igitur (vt ſupra ſignificaui) Diuiſio, rerum plurium in ſingulas: Partitio, ſingularum in partes diſcretus ordo, et recta quaedam locatio, prioribus ſequentia annectens: diſpoſitio, vtilis rerum ac partium in locos diſtributio.

Sunt autem pleraque eius modi, quae, niſi propoſita, de qua dicendum eſt, materia, viam docendi non praebeant. Non enim cauſſa vniuerſa in quaeſtiones ac locos diducenda eſt: ſed hae ipſae partes habent rurſus ordinem ſuum. Nam et in prooemio primum eſt aliquid, et ſecundum, ac deinceps. Et quaeſtio omnis ac locus habet ſuam diſpoſitionem, vt theſes etiam ſimplices. Eſt et

hoc,

Nec quicquam, niſi pondus iners; congeſtaque eodem Non bene iunctarum diſcordia ſemina rerum. Harmoniam mundi a ſummo Deo inſtitutam deſcripſit Plato *in Timaeo, Tom. III. edit. Serr. p.* 49-53. Cuius breuem epitomem dedit Meiners *philoſoph. Schriften erſten Theils p.* 22. 31.

hoc, quod ſcriptor demonſtrare non poſſit, niſi certa, definitaque materia. Sed quid vna faciat, aut altera? quin immo centum ac mille, in re infinita atque materia?

Praeceptoris eſt, in alio atque alio genere quotidie oſtendere, quis ordo ſit rerum, et quae copulatio: vt paulatim fiat vſus, et ad ſimilia tranſitus. Tradi enim omnia, quae ars efficit, non poſſunt. Nam quis pictor omnia, quae in rerum natura ſunt, adumbrare didicit? Sed percepta ſemel imitandi ratione, aſſimulabit, quidquid acceperit. Quid enim? non faber vaſculum aliquod, quale numquam viderat, facit? Quaedam vero non docentium ſunt, ſed diſcentium. Nam et Medicus, quid in quoque valetudinis genere faciendum ſit? quid quibus ſignis prouidendum? docebit: vim ſentiendi pulſus venarum, caloris motus, ſpiritus meatum, coloris diſtantiam, quae ſua cuiusque ſunt, ingenium dabit. Quare plurima petamus a nobis, et cum cauſſis deliberemus, cogitemusque, homines ante inueniſſe artem, quam docuiſſe. Illa enim potentiſſima eſt, quaeque vere dicitur oeconomica totius cauſſae diſpoſitio, quae conſtitui, niſi velut in re praeſenti, non poteſt: vbi aſſumendum prooemium, vbi omittendum? vbi vtendum expoſitione continua, vbi partita? vbi ab initiis incipiendum, vbi more Homerico a mediis, vel vltimis? vbi omnino non exponendum? quando a no-

ſtris, quando ab aduerſariorum propoſitionibus incipiamus? quando a firmiſſimis probationibus, quando a leuioribus? quando in cauſſa proponendae prooemiis quaeſtiones? qua praeparatione praemuniendae? quid auditoris animus accipere poſſit ſtatim dictum, quo paullatim deducendus? ſingulis, an vniuerſis opponenda refutatio? reſeruandi perorationi, an per totam orationem diffundendi affectus? Haec eſt velut imperatoria virtus copias ſuas partientis ad caſus praeliorum, retinentis partes propter caſtella tuenda, cuſtodiendasue vrbes, petendos commeatus, obſidenda itinera, mari denique ac terra diuidentis.

Sed haec in oratione praeſtat omnia, cui adfuerint natura, doctrina, ſtudium. Quare nemo exſpectet, vt alieno tantum labore ſit diſertus. Vigilandum ducat, iterum enitendum, pallendum: eſt faciendi ſua cuique vis, vſus, ſua ratio: non reſpiciendum ad haec, ſed in promtu habenda: nec tamquam tradita, ſed tamquam innata. Nam viam demonſtrare velociter ars poteſt, ſiqua eſt: verum ars ſatis praeſtat, ſi copias eloquentiae ponit in medio, noſtrum eſt, vti eis ſcire. t) Reliqua par-

t) Multi acute partiuntur, et nihil minus, quam vt recte diſponant, agunt. Placent ſibi corrupti in diuiſionibus, et in ipſo opere huc illucue incerti fluctuant; in quos recte Horatianum illud cadit:

Amphora caepit
Inſtitui, currente rota cur
vrceus exit?

Muſi-

partium eſt demum diſpoſitio: et in his ipſis primus aliquis ſenſus, et ſecundus, et tertius: qui non modo, vt ſint ordine collocati, elaborandum eſt, ſed vt inter ſe iuncti, atque ita cohaerentes, ne commiſſura pelluceat: corpus ſit, non membra. Quod ita continget, ſi et, quid in quoque conueniat, viderimus, et vt verba verbis applicemus, non pugnantia, ſed quae inuicem complectantur. Ita res diuerſae diſtantibus ex locis quaſi inuicem ignotae non collidentur, ſed aliqua ſocietate cum prioribus ac ſequentibus ſe copulaque tenebunt: ac videbitur non ſolum compoſita oratio, ſed etiam continua. Verum longius fortaſſe progredior fallente tranſitu, et a diſpoſitione ad elocutionis praecepta labor, quod proxima Sectio inchoabit.

SECTIO

Muſices, architecturae, picturae vis maxima in eo poſita eſt, vt apta partium vbique iunctura ſit, et ex pluribus vnum ac ſimplex fiat; multo magis orationis? Quid pretioſa vaſa aliaque ſupellectilia, ſi cumulus ſint? Qui optime figuras deſcribit, coloresque dexterrime miſcet, neſcit vero, quas perſonas in luce ponat, quas remoueat, quemue cuiuis ſitum det, ex quo totum (*eine Gruppe*) fiat; num artifex eſt? Sit memorabile Lucretiae factum, ex quo poeta, pictor, orator operis ſui materiam ſumat: Tragoedia, pictura, oratio, propriam hic ſuam diſpoſitionem habent. Quid igitur facies? Rem geſtam tibi plane praeſentem redde, et ad ea, quae hic ſentias, quoue modo res animo ſuccedant, quid magis minusue afficiat, ſedulo attende: ex hoc operis colorem, rerum iuſtam ſeriem, ac nexum, et ex nexu totum denique filum trahe; quod, vt nunquam abrumpatur, aut temere interturbetur, cuſtodiendum. Docet hoc maxime ars cogitandi: *ſcribendi recte, ſapere eſt principium et fons.* Praecipue de idearum conſociatione leges huc faciunt, de quibus Homius c. 1. Horatii oda ad Virgilii nauem ex diuerſiſſimis plane rebus vnum pulcherrime efficiens, et iuſtae adſociationis et naturalis diſpoſitionis exemplar eſt, cuius analyſin dedit Brieglebus.

Sectio IV.

De Elocutione.

(L. VIII. PROOEMIVM.)

Iam elocutionis rationem tractabimus, partem operis, vt inter omnes oratores conuenit, difficillimam. Nam et M. Antonius, cuius ſupra habuimus mentionem, ait a ſe diſertos viſos eſſe multos, eloquentem autem neminem. u) Diſertis ſatis putat, dicere, quae oporteat: ornate autem dicere, proprium eſſe eloquentiſſimi. Quae virtus ſi vſque ad eum in nullo reperta eſt, ac ne in ipſo quidem, aut L. Craſſo, certum eſt et in his et in prioribus eam deſideratam, quia difficillima fuit. Et Marcus Tullius inuentionem quidem ac diſpoſitionem prudentis hominis putat, eloquentiam oratoris. x) Ideoque praecipue circa partis huius praecepta elaborauit. Quod eum merito feciſſe, etiam ipſo rei, de qua loquimur, nomine palam declaratur. Eloqui enim hoc eſt, omnia, quae mente conceperis, promere, atque ad audientes perferre, ſine quo ſuper-

u) In quodam libello, cuius facit mentionem apud Cic. de orat. I. c. 21. vbi et diſcrimen affert: *quod eum ſtatuebam diſertum, qui poſſet ſatis acute atque dilucide apud mediocres homines, ex communi quadam opinione, dicere: eloquentem vero, qui mirabilius et magnificentius augere poſſet atque ornare, quae vellet, omnesque omnium rerum, quae ad dicendum pertinerent, fontes animo ac memoria contineret.*

x) In oratore c. 14.

ſuperuacua ſunt priora, et ſimilia gladio condito, atque intra vaginam ſuam haerenti. Hoc itaque maxime docetur; hoc nullus niſi arte aſſequi poteſt; huc ſtudium adhibendum; hoc exercitatio petit, hoc imitatio, hic omnis aetas conſumitur; hoc maxime orator oratore praeſtantior; hoc genera ipſa dicendi alia aliis potiora. Neque enim Aſiani y) aut quocumque alio genere corrupti, res non viderunt, aut eas non collocauerunt: neque, quos aridos vocamus, ſtulti, aut in cauſſis caeci fuerunt: ſed his iudicium in eloquendo ac modus; illis z) vires defuernnt: vt appareat in hoc et vitium et virtutem eſſe dicendi.

Non ideo tamen ſola eſt agenda cura verborum. Occurram enim neceſſe eſt, et, velut in veſtibulo protinus apprehenſuris hanc confeſſionem meam, reſiſtam iis, qui, omiſſa rerum (qui nerui ſunt in cauſſis) diligentia, quodam inani circa voces ſtudio ſeneſcunt: idque faciunt gratia decoris, quod eſt in dicendo, mea quidem opinione, pulcherrimum, ſed cum ſequitur, non cum affectatur. Corpora ſana, et integri ſanguinis, et exercitatione firmata, ex iisdem his ſpeciem a) accipiunt, ex

qui-

y) Aſiani inflati et tumidi habebantur, de quibus ſuo loco.

z) *Hoc* ad remotius, *illud* ad propius, more ſibi proprio, refert Fabius.

a) De pulchritudine naturaliter ſanitatem, vtilitatem, artem conſequente eleganter Cicero L. III. de orat. c. 45. et ſeqq. Huc optime faciunt, quae tradit Mendelſohnius *über die Grundſätze der ſchönen Künſte und Wiſſenſchaften p.* 104. et 5. Item Homius et Sulzerus de pulchritudine.

quibus vires: namque et colorata, et adſtricta, et lacertis expreſſa b) ſunt, ſed eadem ſi quis vulſa atque fucata c) muliebriter comat, foediſſima ſunt ipſo formae labore. Et cultus conceſſus atque magnificus addit hominibus, vt Graeco verſu d) teſtatum eſt, auctoritatem: at muliebris et luxurioſus, non corpus exornat, ſed detegit mentem. Similiter illa translucida et verſicolor e) quorumdam elocutio res ipſas effeminat, quae illo verborum habitu veſtiuntur. Curam ergo verborum, rerum volo eſſe ſolicitudinem. Nam plerumque optima rebus cohaerent, et cernuntur ſuo lumine: at nos quaerimus illa, tamquam lateant ſemper, ſeque ſubducant. Ita numquam putamus circa id eſſe, de quo dicendum eſt: ſed ex aliis locis petimus, et inuentis vim affe-

b) Lacerti ſunt ii, quos muſculos, *üdericht Fleiſch*, appellant medici: quo magis ſana corpora neruis adſtricta ſunt, eo magis illa ipſa vi exprimuntur, vt appareant lacerti, emineantque, quod exercitatione efficitur. Ab hac muſculorum expreſſione artis opera dicuntur expreſſa, quae maxime artificis manum commendant.

c) Per vulſa fucataque corpora, moroſior eorundem cura intelligitur, qua non tonſis ſolum et raſis, ſed euulſis etiam pilis, ſuperinductoque fuco, vnctio fiebat. Comere ad ornatum pertinebat capitis et capillorum, quanquam de omni ſaepe ornatu accipi ſoleret.

d) *ἁιματα ανηρ*, *veſtis facit virum*, graecum prouerbium eſt: Fabius videtur verſum Homericum reſpicere Odyſſeae L. VI. v. 29. vbi Minerua hortatur Nauſicaam, vt ad inſtantes nuptias veſtes lauet,

Ἐκ γαρ τοι τουτων φατις ἀνθρωπους ἀναβαινει
Ἐσθλη.

Etenim ex his fama hominibus naſcitur bona.

e) Similitudo a veſte Coa ducitur, quam Pamphyla quaedam in Co Inſula inuenit, Ariſtotele teſte L. VI. de Hiſt. animalium. Bombycina dicta erat, quod ex ſerico adeo tenui erat, vt transluceret, et verſicolor, quod alium atque alium, decepto viſu, colorem exhiberet.

afferimus. Maiore animo aggredienda eloquentia eſt: quae, ſi toto corpore valet, vngues polire, et capillum reponere, non exiſtimabit ad curam ſuam pertinere.

Sed euenit plerumque, vt hac diligentia deterior etiam fiat oratio. Primum, quia ſunt optima minime arceſſita, et ſimplicibus atque ab ipſa veritate profectis ſimilia. Nam illa, quae curam fatentur, et ficta atque compoſita videri etiam volunt, nec gratiam conſequuntur, et fidem amittunt, propter id, quod ſenſus obumbrant, et velut laeto gramine ſata ſtrangulant. Nam et, quod recte dici poteſt, circuimus amore verborum: et, quod ſatis dictum eſt, repetimus: et, quod vno verbo patet, pluribus oneramus: et pleraque ſignificare melius putamus, quam dicere. Quid? quod nihil iam proprium placet, dum parum creditur diſertum, quod et alius dixiſſet? A corruptiſſimo quoque poetarum figuras ſeu translationes mutuamur: tum demum ingenioſi ſcilicet, ſi ad intelligendos nos opus ſit ingenio. Atqui ſatis aperte Cicero f) praeceperat, in dicendo vitium vel maximum eſſe, a vulgari genere orationis, atque a conſuetudine communis ſenſus abhorrere. Sed ille durus, atque ineruditus: nos melius, quibus ſordent omnia, quae natura dictauit: qui non ornamenta quaerimus, ſed lenocinia.

Quaſi

f) Cicero de orat, L. I, c. 3, ſub extr.

Quaſi vero ſit vlla verborum, niſi rei cohaerentium, virtus? quae vt propria ſint, et dilucida, et ornata, et apte collocentur, ſi tota vita laborandum eſt, omnis ſtudiorum fructus amiſſus eſt. Atqui plerosque videas haerentes circa ſingula, et dum inueniunt, et dum inuenta ponderant, ac dimetiuntur. Quod etiam ſi idcirco fieret, vt ſemper optimis vterentur, abominanda tamen haec infelicitas erat, quae et curſum dicendi refrenat, et calorem cogitationis exſtinguit mora et diffidentia. Miſer enim et, vt ſic dicam, pauper orator eſt, qui nullum verbum aequo animo perdere poteſt. Sed ne perdet quidem, qui rationem loquendi primum cognouerit, tum lectione multa et idonea copioſam ſibi verborum ſupellectilem compararit, et huic adhibuerit artem collocandi: deinde haec omnia exercitatione plurima roborarit, vt ſemper in promtu ſint, et ante oculos. Namque hoc qui fecerit, ei res cum nominibus ſuis occurrent. Sed opus eſt ſtudio praecedente, et acquiſita facultate, et quaſi repoſita. Namque iſta quaerendi, iudicandi, comparandi anxietas, dum diſcimus, adhibenda eſt, non cum dicimus.

Tamen in hac ipſa cura eſt aliquid ſatis. Nam, cum Latina, ſignificantia, ornata, apte ſint collocata, quid amplius laboremus? Quibusdam tamen

nullus

nullus finis calumniandi eſt, g) et cum ſingulis paene ſyllabis commorandi: qui, etiam cum optima ſint reperta, quaerunt aliquid, quod ſit magis antiquum, remotum, inopinatum; nec intelligunt, iacere ſenſus in oratione, in qua verba laudantur. Sit igitur cura elocutionis quam maxima, dum ſciamus tamen, nihil verborum cauſſa eſſe faciendum, cum verba ipſa rerum gratia ſint reperta: quorum ea ſunt maxime probabilia, quae ſenſum animi noſtri optime promunt, atque in animis auditorum, quod volumus, efficiunt. Ea debent praeſtare ſine dubio et admirabilem et iucundam orationem: verum admirabilem non ſic, quo modo prodigia miramur; et iucundam, non deformi voluptate, ſed cum laude ad dignitatem coniuncta.

Quam Graeci φρασιν vocant, Latine dicimus elocutionem. Eam ſpectamus in verbis aut ſingulis, aut coniunctis. In ſingulis intuendum eſt, vt ſint Latina, perſpicua, ornata, et ad id, quod efficere volumus, accommodata: in coniunctis, vt emendata, vt collocata, vt figurata. Multos, quibus loquendi ratio non deſit, inuenias, quos curioſe potius loqui dixeris, quam Latine: quo modo et illa

g) Plinius Hiſt. nat. L. XXXIV. c. 8. S. XIX. n. 34. ſimile de artificibus: *Ex omnibus autem maxime cognomine inſignis eſt Callimachus, ſemper calumniator ſui, nec finem habens diligentiae, ob id* κακιζοτεχνος (id eſt, qui artem nimia diligentia corrumperet) *appellatus, memorabili exemplo adhibendi curae modum.*

Attica anus h) Theophraſtum, hominem alioqui diſertiſſimum, annotata vnius affectatione verbi, hoſpitem dixit: nec alio ſe id deprehendiſſe interrogata reſpondit, quam quod nimium Attice loqueretur. Et in Tito Liuio, mirae facundiae viro putat ineſſe Pollio Aſinius quandam Patauinitatem. i) Quare, ſi fieri poteſt, et verba omnia, et vox, huius alumnum vrbis oleant, vt oratio Romana plane videatur, non ciuitate donata. l)

CA-

h) Cicero in Bruto c. 46. *Ego iam non miror illud Theophraſto accidiſſe, quod dicitur, cum percontaretur ex anicula quadam, quanti aliquid venderet; et reſpondiſſet illa atque addidiſſet*, HOSPES, NON POTE MINORIS; *tuliſſe eum moleſte, ſe non effugere hoſpitis ſpeciem, cum aetatem ageret Athenis, optimeque loqueretur.* Voculam dicitur nimia affectatione repetiſſe.

i) De patauinitate liuiana ſcripſit inſignem librum Dan. Georg. Morhofius, de *vrbanitate* et *peregrinitate* doctiſſime diſſerens. Extat in Drakenborchianae Edit. Tom. VII. Praecipue legi meretur c. 2. et 3. de *patauinitate*: c. 6. de *vrbanae* et *oppidanae* dictionis differentia, item c. 16.

l) De orat. L. III. c. 12. *Cum ſit quaedam certa vox Romani generis vrbisque propria, in qua nihil offendi, nihil diſplicere, nihil animaduerti poſſit, nihil ſonare aut olere peregrinum; hanc ſequamur: neque ſolum ruſticam aſperitatem, ſed etiam peregrinam inſolentiam fugere diſcamus.* De quo Auctor celeberrimus *über die Sprache, Wiſſenſchaft und Geſchmack der Deutſchen* p. 36. item 51. *Der Accent der Ausſprache beſteht in einer angewöhnten Dehnung und Abſtoſſung der Syllben; in einer Hebung und Senkung des Tones. In dieſem Sinne ſagen wir der heſſiſche, der ſchleſiſche, der berliner, der dresdner Accent. Wer Acht giebt, findet in jeder Stadt, in jeder Mundart nicht nur einen herrſchenden Ton der Stimme, ſondern auch eine herrſchende Melodie: in manchen Gegenden iſt ſie ſo ausgezeichnet, daß man von den Einwohnern ſagt, " ſie ſingen.* Hoc maxime a prima educatione pendet; cuius quidem vitia cum extirpare tam facile necdum poterimus, in ſcholis ſaltem, vt adoleſcentes vrbanae voci aſſueſiant, curandum eſt.

CAPVT I.

(L. VIII. C. II.)

De Perſpicuitate.

Perſpicuitas in verbis praecipuam habet proprietatem: ſed proprietas ipſa non ſimpliciter accipitur. Primus enim intellectus eſt ſua cuiusque rei appellatio: qua non ſemper vtimur. Nam et obſcoena vitabimus, et ſordida, et humilia. Sunt autem humilia infra dignitatem rerum, aut ordinis. In quo vitio cauendo non mediocriter quidam errare ſolent, qui omnia, quae ſunt in vſu, etiam ſi cauſſae neceſſitas poſtulet, reformidant: vt ille, qui in actione Ibericas herbas, ſe ſolo nequidquam intelligente, dicebat, niſi irridens hanc vanitatem Caſſius Seuerus, ſpartum m) eum dicere velle indicaſſet. In hac autem proprietatis ſpecie, quae nominibus ipſis cuiusque rei vtitur, nulla virtus eſt: atque ei contrarium eſt vitium id, quod apud nos improprium, ἄκυρον apud Graecos vocatur: quale eſt,

- - Tantum ſperare dolorem.

Non tamen, quidquid non erit proprium, protinus et improprii vitio laborabit: quia primum omnium multa ſunt et Graece et Latine non denominata. Nam et, qui iaculum emittit, iaculari dicitur; qui pilum aut ſudem, appellatione priuatim ſibi aſſignata

m) Spartum eſt frutex, qui in Hiſpania frequentiſſimus inuenitur. Plin. L. XIX. c. 2. S. 7. vſum et vtilitatem deſcribit.

nata caret: et vt, lapidare quid ſit, manifeſtum eſt, ita glebarum teſtarumque iactus non habet nomen. Vnde abuſio, quae καταχρησις dicitur, neceſſaria. Translatio quoque, in qua vel maximus eſt orationis ornatus, verba non ſuis rebus accommodat. Quare proprietas non ad nomen, ſed ad vim ſignificandi refertur: nec auditu, ſed intellectu perpendenda eſt. n) Secundo modo dicitur proprium inter plura, quae ſunt eiusdem nominis, id, vnde cetera ducta ſunt: vt vertex eſt contorta in ſe aqua, vel quidquid aliud ſimiliter vertitur; inde propter flexum capillorum pars eſt ſumma capitis; et ex hoc, quod eſt in montibus eminentiſſimum. Recte, inquam, dixeris haec omnia vertices; proprie tamen, vnde initium eſt. Tertius eſt huic diuerſus modus, cum res communis pluribus in vno aliquo habet nomen eximium: vt carmen funebre proprie Naenia, o) et tabernaculum ducis Augurale. Item, quod commune eſt et aliis nomen, intellectu alicui rei peculiariter tribuitur, vt vrbem, Romam accipimus,

n) Propria hic non opponuntur translatis aut aliis tropis; ſed ea ſunt, quae vſus emendate loquentium vnicuique rei ita adſignauit, vt facillime, qui eam audiunt, agnoſcant. Poteſt itaque verbum eſſe metaphoricum, id eſt, a prima ſua notione inflexum, et nihilo minus proprium ob vim ſignificandi tam fixam et perpetuo cum re, quam notat, cohaerentem, qualis illa prima eſt. Sic iam calor non minus proprie dicitur de affectu, quam igne. Herder Sect. I. c. 9. *von der Deutlichkeit der Sprache.*

o) *Naenia* inconditum quoduis carmen eſt, quod quia mortuis adcinebatur praecipue, ex proprietate quadam et antonomaſia *carmen funebre* caeptum eſt appellari. *Augurale* locus eſt, in quo auguria capiuntur; erat pars tabernaculi ducis: vnde hoc nomen tulit. Schelius ad Hyginum de Caſtram. p. 52.

pimus, et venales, nouitios, et Corinthia, aera: cum ſint vrbes aliae quoque, et venalia multa, et tam aurum et argentum, quam aes Corinthium. Sed ne in his quidem virtus oratoris inſpicitur. At illud iam non mediocriter probandum, quod hoc etiam laudari modo ſolet, vt proprie dictum, id eſt, quo nihil inueniri poſſit ſignificantius: vt Cato dixit, C. Caeſarem ad euertendam rempublicam ſobrium p) acceſſiſſe: vt Virgilius deductum carmen, et Horatius acrem tibiam, Hannibalemque Dirum.

Interim autem, quae ſunt in quoque genere praecipua, proprii locum accipiunt, vt Fabius inter plures imperatorias virtutes Cunctator eſt appellatus. Poſſunt videri verba, quae plus ſignificant, quam eloquuntur, in parte ponenda perſpicuitatis: intellectum enim adiuuant. Ego autem libentius emphaſim retulerim ad ornatum orationis, quia non, vt intelligatur, efficit, ſed, vt plus intelligatur. At obſcuritas fit etiam verbis ab vſu remotis: vt, ſi commentarios quis Pontificum, q) et vetuſtiſſima

 foede-

e) Voce *ſobrius*, cura, diligentia, conſilium ſignificantur, quae in ſobriis eſſe ſolent, minime in iis, qui, vt Catilina, vino et aliis voluptatibus dediti ſunt: Ideo Caeſarem vini parciſſimum Suetonius refert, cum hoc narraret. n. 53. — Virgilius Ecl. 6. v. 5. Deductum carmen eſt tenue ac ſubtile *ſerio* et *heroico* oppoſitum. Vide Broukhuſ. ad Tibullum 2, 1, 54. — *Acris tibia* Horat. Od. L. I. 12. 1. ad ſonum acutum et penetrabilem refertur vox *acris*, item ad vim famae longe lateque ſonantis. — *Hannibal dirus*, L. II. 12, 2. Bentleius legit *durus*.

q) De oratore L. II. c. 12. *Memoriae publicae retinendae cauſa ab initio rerum Romanarum vſque ad P. Minucium, Pontificem maximum, res omnes*

foedera, et exoletos ſcrutatus auctores, id ipſum petat ex his, vt, quae inde contraxerit, non intelligantur. Hinc enim aliqui famam eruditionis affectant, vt quaedam ſoli ſcire videantur. Fallunt etiam verba vel regionibus quibusdam magis familiaria, vel artium propria, vt Atabulus ventus, r) et nauis Saccaria. Quae vel vitanda apud auditorem ignarum ſignificationum earum, vel interpretanda ſunt: ſicut in his, quae homonyma dicuntur, vt, Taurus animal ſit, an mons, an ſignum in coelo, an nomen hominis, an radix arboris, niſi diſtinctum non intelligitur.

Plus tamen eſt obſcuritatis in contextu et continuatione ſermonis, et plures modi. Quare nec ſit tam longus, vt eum proſequi non poſſit intentio: nec traiectione tam tardus, vt in hyperbaton finis eius differatur. Quibus adhuc peior eſt mixtura verborum, qualis in illo verſu,

Saxa vocant Itali, mediis quae in fluctibus, aras.

Etiam

nes ſingulorum annorum mandabat literis P. M. — ii, qui etiam nunc annales maximi nominantur. Bergſtraeſſer Art. *Annalen.*

r) Ventus Apuliae proprius. Plin. Hiſt. nat. L. XVII. c. 24. S. 37. n. 8. Horat. Sermonum L. I. Ecloga 5. v. 77.

Incipit ex illos montes Apulia notos
Oſtentare mihi, quos torret Atabulus.

Nauis *ſaccaria* mercaturae forte propria vox, de qua praeter leuiores coniecturas dici nil poteſt. De dialectis et verbis certarum regionum propriis vide, quae diſſerat auctor *über die Sprache der Deutſchen p. 167. et ſeqq.* Homonymis ſi lingua careat, memoriam onerat copia; ſin abundet, confuſio et obſcuritas oritur. In his graeca latinaque noſtrae et aliis multum praeſtant.

Etiam interiectione (qua et oratores et hiſtorici frequenter vtuntur, vt medio ſermone aliquem inſerant ſenſum) impediri ſolet intellectus, niſi, quod interponitur, breue eſt. Nam Virgilius illo loco, quo pullum equinum deſcribit, cum dixiſſet,

Nec vanos horret ſtrepitus, - - -

compluribus inſertis, alia figura quinto demum verſu redit,

- - - Tum, ſi qua ſonum procul arma dedere,
Stare loco neſcit. - - -

Vitanda in primis ambiguitas, non haec ſolum, de cuius genere ſupra dictum eſt, quae incertum intellectum facit, vt, Chremetem audiui percuſſiſſe Demeam: ſed illa quoque, quae, etiam ſi turbare non poteſt ſenſum, in idem tamen verborum vitium incidit: vt, ſi quis dicat, viſum a ſe hominem librum ſcribentem. Nam, etiam ſi librum ab homine ſcribi pateat, male tamen compoſuerat, feceratque ambiguum, quantum in ipſo fuit. Eſt etiam in quibusdam turba inanium verborum, qui, dum communem loquendi morem reformidant, ducti ſpecie nitoris, circumeunt omnia copioſa loquacitate, quae dicere volunt: ipſam deinde illam ſeriem cum alia ſimili iungentes, miſcentesque, vltra quam vllus ſpiritus durare poſſit, extendunt. In hoc malum etiam a quibusdam laboratur: neque id nouum vitium eſt, cum iam apud Titum Liuium inueniam, fuiſſe praeceptorem aliquem, qui diſcipulos obſcu-

rare, quae dicerent, iuberet, Graeco verbo vtens, σκοτισον. Vnde illa ſcilicet egregia laudatio, Tanto melior: ne ego quidem intellexi. Alii, breuitatis aemuli, neceſſaria quoque orationi ſubtrahunt verba, et, velut ſatis ſit, ſcire ipſos, quae dicere velint, quantum ad alios pertineat, nihil putant. At ego otioſum ſermonem dixerim, quem auditor ſuo ingenio non intelligit. Peruaſit quidem iam multos iſta perſuaſio, vt id iam demum eleganter, atque exquiſite dictum putent, quod interpretandum ſit: ſed auditoribus etiam non nullis grata ſunt haec, quae, cum intellexerint, acumine ſuo delectantur, et gaudent, non quaſi audiuerint, ſed quaſi inuenerint. Nobis prima ſit virtus perſpicuitas, propria verba, rectus ordo, non in longum dilata concluſio: nihil neque deſit, neque ſuperfluat. Ita ſermo et doctis probabilis, et planus imperitis erit. Haec eſt eloquendi obſeruatio. Nam rerum perſpicuitas quo modo praeſtanda ſit, diximus in praeceptis narrationis. Similis autem ratio eſt in omnibus. Nam, ſi neque pauciora, quam oportet, neque plura, neque inordinata aut indiſtincta dixerimus, erunt dilucida, et negligenter quoque audientibus aperta: quia id ipſum in conſilio eſt habendum, non ſemper tam eſſe acrem auditoris intentionem, vt obſcuritatem apud ſe ipſe diſcutiat, et tenebris orationis inferat quoddam intelligentiae ſuae lumen: ſed multis eum frequenter cogitationibus auocari: niſi

tam

tam clara fuerint, quae dicemus, vt in animum eius oratio, vt ſol in oculos, etiam ſi in eam non intendatur, incurrat. Quare non, vt intelligere poſſit, ſed, ne omnino poſſit non intelligere, curandum.

CAPVT II.
(L. VIII. C. III.)
De Ornatu.

Venio nunc ad ornatum: in quo ſine dubio plus, quam in ceteris dicendi partibus, ſibi indulget orator. Nam emendate quidem ac dilucide dicentium tenue praemium eſt, magisque vitiis carere, quam vt aliquam magnam virtutem adeptus eſſe videaris. Inuentio cum imperitis ſaepe communis: diſpoſitio modicae doctrinae credi poteſt: et quae ſunt artes altiores, plerumque occultantur, vt artes ſint: s) denique omnia haec ad vtilitatem cauſſarum ſolam referenda ſunt. Cultu vero atque ornatu ſe quoque commendat ipſe, qui dicit, et in ceteris iudicium doctorum, in hoc vero etiam popularem laudem petit. Nec fortibus modo, ſed etiam fulgentibus armis praeliatus in cauſſa eſt Cicero Cornelii: qui non aſſecutus eſſet docendo iudicem tantum, et vtiliter demum, ac Latine, perſpicueque dicendo, vt populus Romanus admirationem ſuam non acclamatione tantum, ſed etiam plauſu confiteretur. Sublimitas profecto, et magnificentia, et nitor, et auctoritas expreſſit illum fragorem. Nec tam inſoli-

s) *Definit*, ait Noſter, *ars eſſe, cum apparet.* Vide Ariſtotelem Rhet. III. 2, 10.

ta laus esset prosecuta dicentem, si vsitata, et ceteris similis fuisset oratio. Atque ego illos credo, qui aderant, nec sensisse, quid facerent, nec sponte iudicioque plausisse, sed velut mente captos, et, quo essent in loco, ignaros erupisse in hunc voluptatis affectum. Sed ne caussae quidem parum confert idem hic orationis ornatus. Nam, qui libenter audiunt, et magis attendunt, et facilius credunt, plerumque ipsa delectatione capiuntur, non numquam admiratione auferuntur. Nam et ferrum affert oculis terroris aliquid, et fulmina ipsa non tam nos confunderent, si vis eorum tantum, non etiam ipse fulgor timeretur. t) Recteque Cicero his ipsis ad Brutum verbis quadam in epistola scribit, nam eloquentiam, quae admirationem u) non habet, nullam iudico. Aristoteles quoque eamdem petendam maxime putat.

Sed hic ornatus (repetam enim) virilis, fortis, et sanctus sit: nec effeminatam leuitatem, nec fuco eminentem colorem amet, sanguine et viribus niteat. Hoc autem adeo verum est, vt, cum in hac

maxi-

t) Vegetius L. II. c. 14. *Plurimum terroris hostibus armorum splendor importat.*

u) Longinus S. 1. *Sublimia enim non solum persuadent, sed extra se rapiunt auditores, et vbique, quod admirabile est, superat semper cum animi consternatione persuasibile et delectationi seruiens genus orationis.* Si a sublimibus extra se rapi dicatur auditor; non, vt in ira et aliis inordinatis affectibus fit, perturbatur, sed veritatem, absque frigidis ratiocinationibus, quasi sibi inlucentem vno in obtutu videt; rerum magnitudine obstupescit, et sensibili pulchritudine afficitur. Hoc optime explicuisse mihi videtur Meiners *in der Revision Sect. IV. p. 274.*

maxime parte ſint vicina virtutibus vitia, etiam, qui vitiis vtuntur, virtutis tamen his nomen imponant. Quare nemo ex corruptis dicat, me inimicum eſſe culte dicentibus. Non nego hanc eſſe virtutem, ſed illis eam non tribuo. An ego fundum cultiorem putem, in quo mihi quis oſtenderit lilia et violas, et amoenos fontes ſurgentes, quam vbi plena meſſis, aut graues fructu vites erunt? Sterilem platanum, tonſasque myrtos, quam maritam vlmum et vberes oleas praeoptauerim? Habeant illa diuites: licet. quid eſſent, ſi aliud nihil haberent? Nullusne ergo etiam fructiferis adhibendus eſt decor? quis negat? Nam et in ordinem certaque interualla redigam eas arbores. Quid enim illo quincunce x) ſpecioſius, qui, in quamcunque partem ſpectaueris, rectus eſt? Sed protinus in id quoque prodeſt, vt ter-

x) Myrtus tonſa erat, cuius luxuriantes amputabantur rami, vt elegantem ſpeciem praeberent. Opponebantur intonſis, quae fructiferae erant, ex quarum baccis *vinum myrtites* parabant, Columella XII. 38. et ex ligno *haſtas aliaque* Quincuncem faciebant arbores ita diſpoſitae, vt primus ordo cum ſecundo efficeret quincuncialem formam, id eſt literae latinae V in hunc modum:



Sic directi erant verſus et aequalia interualla teſte Virgilio Georg. II. v. 284.

Omnia ſint paribus numeris dimenſa viarum,
Non animum modo uti paſcat proſpectus inanem:
Sed quia non aliter vires dabit omnibus aequas
Terra, neque in vacuum poterunt ſe extendere rami.

Item Cicero de Senectute c. 17. De hortis Alcinoi Hom. Odyſſ. VII. v. 112. Fuſius de his Homius c. 3. p. 291. de pulchritudine et c. 24. p. 590. et ſeqq. *vom Gartenbau.* Item Hirſchfeld *vom Gartenbau.*

terrae ſuccum aequaliter trahant. Surgentia in altum cacumina oleae ferro coercebo: in orbem ſe formoſius fundet, et protinus fructum ramis pluribus feret. Decentior equus, cuius adſtricta ſunt ilia, ſed idem velocior. Pulcher adſpectu ſit athleta, cuius lacertos exercitatio expreſſit, idem certamini paratior. Numquam vera ſpecies ab vtilitate diuiditur. Sed hoc quidem diſcernere modici iudicii eſt.

Illud obſeruatione dignius, quod hic ipſe honeſtus ornatus pro materiae genere debet eſſe variatus. Atque, vt a prima diuiſione ordiar, non idem demonſtratiuis, et deliberatiuis, et iudicialibus cauſſis conueniet. Namque illud genus oſtentationi compoſitum, ſolam petit audientium voluptatem: ideoque omnes dicendi artes aperit ornatumque orationis exponit; vt qui non inſidietur, nec ad victoriam, ſed ad ſolum finem laudis et gloriae tendat. Quare, quidquid erit ſententiis populare, verbis nitidum, figuris iucundum, translationibus magnificum, compoſitione elaboratum, velut inſtitor quidam eloquentiae, intuendum, et paene pertractandum dabit. Nam euentus ad ipſum, non ad cauſſam, refertur. At, vbi res agitur, et vera dimicatio eſt, vltimus ſit famae locus. Praeter ea non debet quiſquam, vbi maxima rerum momenta verſantur, de verbis eſſe ſolicitus. Neque hoc eo pertinet, vt in his nullus ſit ornatus, ſed vti preſſior et ſeuerior, eo minus

nus

nus confeſſus, praecipue ad materiam accommodatus. Nam et ſuadendo ſublimius aliquid ſenatus, concitatius populus, et in iudiciis publicae capitalesque cauſſae poſcunt accuratius dicendi genus. At priuatum conſilium, cauſſasque paucorum, vt frequenter accidit, calculorum, purus ſermo, et diſſimilis curae magis decuerit. An non pudeat certam creditam pecuniam periodis poſtulare? aut circa ſtillicidia y) affici? aut in mancipii redhibitione ſudare? ſed ad propoſitum.

Et, quoniam orationis tam ornatus, quam perſpicuitas, aut in ſingulis verbis eſt, aut in pluribus poſitus: quid ſeparata, quid coniuncta exigant, conſideremus. Quanquam rectiſſime traditum eſt, perſpicuitatem propriis, ornatum translatis verbis magis egere: Sciamus inornatum eſſe, quod ſit improprium. z) Sed cum idem frequentiſſime plura ſigni-

y) Res, quae paucorum iudicum ſuffragiis decidenda eſt. Ex antiquis Romanis Scriptoribus, quotidianam litem fuiſſe ex ſtillicidio, liquet. Cicero in orat. c. 21. *Quam enim indecorum eſt, de ſtillicidiis cum apud vnum iudicem dicas, ampliſſimis verbis et locis vti communibus; de maieſtate vero populi R. ſummiſſe et ſubtiliter?* Redhibitio eſt, cum quis tibi ſeruum vitioſum vendiderit, petasque, vt tibi pretium reddat, ſeruumque recipiat.

z) *Improprium*, hoc eſt, alienum a re, parum materiae conueniens. Philoſophi id ſibi datum negotii habent, vt nulla vtantur voce, niſi certa definitaque notio ſubiecta ſit; quo ſtudio linguae proprietas perficitur. Poetae et oratores ſuauitati ſenſibili magis ſtudentes liberalioribus vtuntur tropis, qui ſi communi cum philoſophis opera laborent, optimus linguae genius non effici non poteſt. Quo et in hoc prouecta ſit vernacula noſtra, Auctor *über die Sprache etc. p.* 149.

ſignificent, quod συνωνυμια a) vocatur, iam ſunt aliis alia honeſtiora, ſublimiora, nitidiora, iucundiora, vocaliora. Nam, vt ſyllabae literis melius ſonantibus clariores ſunt, ita verba e ſyllabis magis vocalia: et, quo plus quaeque ſpiritus habet, auditu pulchrior. Et, quod facit ſyllabarum, idem verborum quoque inter ſe copulatio, vt aliud alii iunctum melius ſonet. Diuerſus eſt tamen vſus. Nam rebus atrocibus verba etiam ipſo auditu aſpera magis conueniunt. In vniuerſum quidem optima ſimplicium creduntur, quae aut maxime exclamant, aut ſono ſunt iucundiſſima. Et honeſta quidem turpibus potiora ſemper, nec ſordidis vnquam in oratione erudita locus. Clara illa atque ſublimia plerumque materiae modo cernenda ſunt. Quod enim alibi magnificum, tumidum alibi. Et, quae humilia circa res magnas, apta circa minores videntur. Et, ſicut in oratione nitida notabile eſt humilius verbum, et velut macula: ita a ſermone tenui ſublime nitidumque diſcordat, fitque corruptum, quia in plano tumet. Quaedam non tam ratione quam ſenſu iudicantur: vt illud,

--- Caeſa iungebant foedera porca, b)

fecit

a) De Synonymis diſſerit Herder Sect. 1. c. 6. p. 66. et 67. Synonyma eo faciunt potiſſimum, vt vnam eandemque rem, a diuerſis quaſi lateribus, oſtendant, ita Graecis θαλασσα et ἁλμη mare ſignificat; ſed prius mare in vniuerſum; alterum, vt eſt ſalſum. Pro lingua latina Laurentius Valla de elegantiis linguae latinae, pro noſtra Stoſch valent.

b) Aen. VIII. v. 641. qui porca pro porco ſcribere potuerit poeta? exponit de la Cerda in hunc verſum.

fecit elegans, fictio nominis: quod ſi fuiſſet porco, vile erat. In quibusdam ratio manifeſta eſt. Riſimus, et merito, nuper poetam, qui dixerat,

Praetextam in Ciſta mures roſere Camilli. c)

et Virgilii miramur illud,

Saepe exiguus mus.

Nam epitheton, exiguus, aptum proprium effecit, ne plus exſpectaremus, et caſus ſingularis magis decuit, et clauſula ipſa vnius ſyllabae, non vſitata, addidit gratiam. Imitatus eſt itaque vtrumque Horatius,

Naſcetur ridiculus mus.

Nec augenda ſemper oratio, ſed ſubmittenda nonnunquam eſt. Vim rebus aliquando et ipſa verborum humilitas affert. An, cum dicit in Piſonem Cicero, cum tibi tota cognatio in ſarraco aduehatur, incidiſſe videtur in ſordidum nomen, non eo contemtum hominis, quem deſtructum volebat, auxiſſe?

Cum

c) Peccauit dupliciter poeta ille, tum quod incidit in amphiboliam; *Camillosne* enim mures dixerit, an Camilli exulantis praetextam a *muribus* roſam voluerit; in ambiguo eſt: tum quod in re graui vſus eſt nomine humili; cum contra Virgilius rem tenuem addito epitheto humiliorem fecit. Georg. I. v. 181. Horat. arte poet. v. 138.

d) Ad hoc congruit Tibullianum illud I. II. 54.

Ruſticus e lucoque vehit male ſobrius ipſe
Vxorem plauſtro, progeniemque domo:

Sarracum erat barbarum et agreſte vehiculum. Vide Scheffer de re vehiculari L. XI. c. 31. Hic amplificauit Piſonis turpitudinem Cicero, qui omnia bona abliguriſſet, vt totam familiam cum ſupellectile vno curru veheret.

Cum ſint autem verba propria, ficta, translata: e) Propriis dignitatem dat antiquitas. Namque et ſanctiorem et magis admirabilem faciunt orationem, quibus non quilibet fuerat vſurus: eoque ornamento acerrimi iudicii P. Virgilius vnice eſt vſus. f) Olli enim, et quianam, et mis, et pone pellucent et adſpergunt, illam, quae etiam in picturis eſt gratiſſima, vetuſtatis inimitabilem arti auctoritatem. Sed vtendum modo nec ex vltimis tenebris repetenda. Satis g) eſt vetus: quid neceſſe eſt, quaeſo, dicere oppido? quo ſunt vſi paullulum tempore noſtro ſuperiores.

Fingere Graecis magis conceſſum eſt, qui ſonis etiam quibusdam et affectibus non dubitauerunt nomina aptare: non alia libertate, quam qua illi primi homines rebus appellationes dederunt. Noſtri autem, in iungendo aut deriuando paullum aliquid auſi, vix in hoc recipiuntur. Nam memini iuuenis admodum inter Pomponium et Senecam etiam praefationibus eſſe tractatum, an gradus eliminat, apud Accium in Traegoedia dici oportuiſſet.

At

e) *Uebliche, neugeſchaffne, bildliche Wörter.*

f) De olli non eſt dubium; de reliquis, vbi apud Maronem occurrant, diſputant grammatici. Multa noſtri, ex illa poetarum ſueuicorum (*Minneſänger*) aetate, in carmine praeſertim populari (*Volkslieder*) aſſumſerunt. Quod, ſi iudicio fiat, multis certe ex rudi illa ſimplicitate vocabulis locupletari lingua noſtra poſſet. Huc facit collectio Manneſiana. Vide etiam Auctorem *über die Sprache der Deutſchen* p. 163.

g) *Satis* pro *valde*. Terentius voce *oppido* vſus.

At veteres ne expectorat quidem timuerunt. Et ſane eiusdem notae eſt, exanimat. At in tractu et declinatione talia ſunt, qualia apud Ciceronem beatitas et beatitudo: quae dura quidem ſentit eſſe, verum tamen vſu putat poſſe molliri. Nec a verbis modo, ſed a nominibus quoque, deriuata ſunt quaedam, vt a Cicerone ſullaturit; et ab Aſinio fimbriaturit, et figilaturit. Multa ex Graeco formata noua, ac plurima a Sergio Flauio, quorum dura quaedam admodum videntur, vt ens et eſſentia: quae cur tantopere aſpernemur, nihil video, niſi quod iniqui iudices aduerſus nos ſumus, ideoque paupertate ſermonis laboramus. Quaedam tamen perdurant. Nam et, quae vetera nunc ſunt, fuerunt olim noua, et quaedam in vſu perquam recentia, vt Meſſala primus reatum, munerarium Auguſtus primus, dixerunt. Piraticam quoque, vt Muſicam et Fabricam, dici adhuc dubitabant mei praeceptores. Fauorem et vrbanum, Cicero noua credit. Nam et in epiſtola ad Brutum, Eum, inquit, amorem, et eum, vt hoc verbo vtar, fauorem in concilium aduocabo. Et ad Appium Pulchrum, Te hominem, non ſolum ſapientem, verum etiam, vt nunc loquuntur, vrbanum. Idem putat a Terentio primum dictum eſſe Obſequium. Caecilius ad Siſennam, Albenti coelo. Ceruicem videtur Hortenſius primus dixiſſe. nam veteres pluraliter appellabant. Audendum itaque. Neque enim accedo Celſo, qui ab oratore verba fingi ve-

tat. Nam cum, ſint eorum alia, vt dicit, Cicero, h) natiua, id eſt, quae ſignificata ſunt primo ſenſu: alia reperta, quae ex his facta ſunt: vt iam nobis ponere alia, quam quae illi rudes homines primique fecerunt, fas non ſit, at deriuare, flectere, coniungere, quod natis poſtea conceſſum eſt, quando deſiit licere? Et, ſi quid periculoſius finxiſſe videbimur, quibusdam remediis praemuniendum eſt, vt ita dicam; ſi licet dicere; quodam modo; permittite mihi ſic vti. Quod idem etiam in iis, quae licentius translata erunt, proderit, quae non tuto dici poſſunt. In quo non falli iudicium noſtrum, ſolicitudine ipſa manifeſtum erit. Qua de re Graecum erit illud elegantiſſimum, quo praecipitur ita, προεπιπλησσειν τη ὑπερβολη. Translata probari, niſi in contextu ſermonis, non poſſunt. Itaque de ſingulis verbis ſatis dictum, quae per ſe nullam virtutem habent.

Iam hinc igitur ad coniuncti ſermonis rationem transeamus. Cuius ornatus in haec duo prima diuiditur, quam concipiamus elocutionem, quo modo efferamus. Nam primum eſt, vt liqueat, augere quid velimus, an minuere; concitate dicere, an moderate; laete, an ſeuere; abundanter, an preſſe; aſpere, an leniter; magnifice, an ſubtiliter; grauiter, an vrbane. Tum, quo translationis genere, quibus figuris,

h) Cicero de partit. c. 5. De vocabulis nonis, apte Horat. Arte poet. a verſu 45-72. De exemplis a Fabio allatis vide Geſnerum. Lingua noſtra amat coniunctiones vocum, quibus omnes ſuas ſorores prouocat. *Arbeitſam*, *Morgenſpaziergang*, *eiſenfeſt*, varias idearum modificationes feliciter exprimunt.

guris, qualibus ſententiis, quo modo, qua poſtremo collocatione id, quod intendimus, efficere poſſimus.

Ceterum dicturus, quibus ornetur oratio, prius ea, quae ſunt huic contraria laudi, attingam: nam prima virtus eſt, vitio carere. Igitur ante omnia ne ſperemus, ornatam orationem fore, quae probabilis non erit. Probabile autem Cicero id genus dicit, quod non plus minusue eſt, quam decet. Non, quia comi expolirique non debeat, (nam et haec ornatus pars eſt) ſed quia vitium eſt vbique, quod nimium eſt. Itaque vult eſſe auctoritatem et pondus in verbis, ſententias vel graues, vel aptas opinionibus hominum ac moribus. His enim ſaluis licet aſſumere ea, quibus illuſtrem fieri orationem putat, delecta, translata, ſuperlata, ad nomen adiuncta, duplicia, et idem ſignificantia, ab ipſa actione atque ab imitatione rerum non abhorrentia. Sed, quoniam vitia prius demonſtrare aggreſſi ſumus, vel hoc vitium ſit, quod κακοφατον vocatur: id eſt mala conſuetudine in obſcoenum intellectum ſermo detortus. Quam culpam non ſcribentium quidem iudico, ſed legentium; tamen vitanda, quatenus verba honeſta moribus perdidimus, et euincentibus etiam vitiis cedendum eſt.

Deformitati proximum eſt humilitatis vitium, ταπεινωσιν vocant, qua rei magnitudo vel dignitas

minuitur: vt, ſaxea eſt verruca in ſummo montis vertice. i) Cui natura contrarium, ſed errore par eſt, paruis dare excedentia modum nomina, niſi cum ex induſtria riſus inde captatur. Proinde quaedam hebes, ſordida, ieiuna, triſtis, ingrata, vilis oratio eſt. Quae vitia facillime fiunt manifeſta contrariis virtutibus. Nam primum acuto, ſecundum nitido, tertium copioſo, deinceps hilari, iucundo, accurato diuerſum eſt. Vitanda et μειωσις, cum ſermoni quidem deeſt aliquid, quod minus plenus ſit, quamquam id obſcurae potius, quam inornatae orationis vitium eſt. Sed hoc quoque cum a prudentibus fit, ſchema dici ſolet, ſicut ταυτολογια, id eſt, eiusdem verbi aut ſermonis iteratio. Haec enim, quamquam non magnopere ſummis auctoribus vitata, interim vitium videri poteſt: in quod ſaepe incidit etiam Cicero, ſecurus tam paruae obſeruationis, ſicut hoc loco, Non ſolum igitur illud iudicium iudicii ſimile, iudices, non fuit. l)

Pe-

i) Gellius L. III. c. 7. refert ſolenne Catoni fuiſſe, locum editum aſperumque *verrucam* appellare. Hinc placet Burmanno lectio, *ex ea*, ſcilicet, ταπεινωσι, eſt *verruca in ſummo montis vertice.* Videtur Gelliana definitione id olim proprie dictum; vt iam terrae, quae auri ferax eſt, *venas* tribuimus.

l) Μειωσις niſi obſcuram orationem faciat, et ταυτολογια, niſi otioſa ſit, vitium non eſt. Quid apta ellipſi elegantius, et quis verſui virgiliano *O Corydon! Corydon!* virtutem neget? Idem de omnibus, quae hic legis, vitiis iudicium eſto. In magnis libris talia non poſſunt non excidere; et ni exciderent, affectationis ſuſpicionem qui vitarent? Ideo Hor. arte poet. 351.

Vbi plura nitent in carmine, non ego paucis
Offendar maculis, quos aut incuria fudit
Aut humana parum cauit natura.

Peior hac ὁμοιολογια eſt, quae nulla varietatis gratia leuat taedium, atque eſt tota coloris vnius, quae maxime deprehenditur carens arte oratoria, eaque et in ſententiis, et figuris, et compoſitione longa, non animis ſolum, ſed etiam auribus eſt ingratiſſima. Vitanda μακρολογια, id eſt, longior, quam oporteat, ſermo, vt apud Liuium, Legati non impetrata pace, retro domum, vnde venerant, abierunt. Sed huic vicina periphraſis virtus habetur. Eſt et πλεονασμος vitium, cum ſuperuacuis verbis oneratur oratio, Ego meis oculis vidi. Satis eſt enim, vidi. At vitium erit, quoties otioſum fuerit, et ſupererit, non, cum adiicietur. Eſt etiam, quae περιεργια vocatur, ſuperuacua (vt ſic dixerim) operoſitas, vt a diligenti curioſus, et a religione ſuperſtitio diſtat. Atque, vt ſemel finiam, verbum omne, quod neque intellectum adiuuat, neque ornatum, vitioſum dici poteſt. κακοζηλον, id eſt, mala affectatio, per omne dicendi genus peccat. Nam et tumida, et exilia, et praedulcia, et abundantia, et arceſſita, et exſultantia, ſub idem nomen cadunt. Denique κακοζηλον vocatur, quidquid eſt vltra virtutem, quoties ingenium iudicio caret, et ſpecie boni fallitur: omnium in eloquentia vitiorum peſſimum. Nam, cetera parum vitantur, hoc petitur. Eſt autem totum in elocutione. Nam, rerum vitia ſunt, ſtultum, commune, contrarium, ſuperuacuum: corrupta oratio in verbis

maxime impropriis, redundantibus, comprehensione obscura, compositione fracta, vocum similium aut ambiguarum puerili captatione consistit. Totidem autem generibus corrumpitur oratio, quot ornatur. Sed de hac parte et in alio a nobis opere m) plenius dictum est, et in hoc saepe tractabitur, et adhuc spargetur omnibus locis.

Loquentes enim de ornatu, subinde, quae sunt vitanda, similia virtutibus vitia dicemus. κοινισμος n) quoque appellatur quaedam mixta ex varia ratione linguarum oratio, vt, si atticis dorica, ionica, aeolica etiam dicta confundas. Cui simile vitium est apud nos, siquis sublimia humilibus, vetera nouis, poetica vulgaribus misceat. Id enim tale est monstrum, quale Horatius in prima parte libri de arte poetica fingit --

Humano Capiti ceruicem pictor equinam
Iungere si velit,

Et cetera ex diuersis naturis subiiciat.

Or-

m) Fuerit sine dubio opus, de caussis corruptae eloquentiae, diuersum ab eo, qui nunc superest et Taciti plerumque libris subiicitur, Dialogo. Nihil enim in hoc specialium praeceptorum habetur; sed caussae in vniuersum indicantur, cur circa sextum Vespasiani Patris annum tum iam a Tulliano fastigio defecerit eloquentia.

n) Coenismi maxime se reos olim germani fecerant. De vocabulis vero et idiotismis apte ex aliena in nostram linguam recipiendis agit Auctor *über die Sprache der Deutschen* p. 155. — Praeter haec alio laboramus vitio hactenus prope insanabili, in *stilo*, quem vocant *curiae et reuerentiae formulis*, de quibus idem liber p. 135. et seqq. Sed his quoque malis parat remedia MAGNVM INGENIVM, quod factis potius, quam titulis claritatem quaerit.

Ornatum eſt, quod perſpicuo ac probabili plus eſt in eo, quod velis exprimi decentius, quod haec nitidiora faciat, quod proprie dixeris cultum.

Itaque ἐνάργειαν, cuius in praeceptis narrationis feci mentionem, quia plus eſt euidentia, vel, vt alii dicunt, repraeſentatio, quam perſpicuitas, et illud quidem patet, haec ſe quodam modo oſtendit, inter ornamenta ponamus. Magna virtus eſt, res, de quibus loquimur, clare atque, vt cerni videantur, enuntiare. o) Non enim ſatis efficit, neque, vt debet, plene dominatur oratio, ſi vſque ad aures volet, atque ea ſibi auditor, de quibus cognoſcit, narrari credit, non exprimi, et oculis mentis oſtendi. Sed, quoniam pluribus modis accipi ſolet, non equidem in omnes eam particulas ſecabo, quarum ambitioſe a quibusdam numerus augetur, ſed maxime neceſſarias attingam. Eſt igitur vnum genus, quo tota rerum imago quodam modo verbis depingitur:

Conſtitit in digitos extemplo arrectus vterque, p)

et cetera,

o) Mendelſohn *über die Grundſätze der ſchönen Künſte und Wiſſenſchaften* p. 120. *Ein Mittel die Rede ſinnlich zu machen beſteht in der Wahle ſolcher Ausdrücke, die eine Menge von Merkmahlen auf einmal in das Gedächtniß zurückbringen, um uns das bezeichnete lebhafter empfinden zu laſſen, als das Zeichen. Hiedurch wird unſre Erkenntniß anſchauend. Die Gegenſtände werden unſern Sinnen wie unmittelbar vorgeſtellt, und die untern Seelenkräfte getäuſcht, indem ſie öfters die Zeichen vergeſſen und der Sache ſelbſt anſichtig zu werden glauben.* Vide etiam, quae Sulzer Articulo Bilder. Item Bodmers *kritiſcher Betrachtungen über die poetiſchen Gemälde* c. 1. 3.

p) Virgilius Aen. V, v. 426. — In Verrem Act. II, L. V. c. 33.

Quae nobis illam pugilum congredientium faciem ita ostendunt, vt non clarior futura fuerit spectantibus. Plurimum in hoc genere, sicut in ceteris, eminet Cicero. An quisquam tam procul a concipiendis imaginibus rerum abest, vt, cum illa in Verrem legit, stetit soleatus praetor populi Romani cum pallio purpureo, tunicaque talari, muliercula nixus, in littore, non solum ipsum os intueri videatur, et locum, et habitum, sed quaedam etiam ex iis, quae dicta non sunt, sibi ipse adstruat? Ego certe mihi cernere videor et vultum, et oculos, et deformes vtriusque blanditias, et eorum, qui aderant, tacitam auersationem, ac timidam verecundiam. Interim ex pluribus efficitur illa, quam conamur exprimere, facies, vt est apud eumdem (namque ad omnium ornandi virtutum exempla vel vnus sufficit) in descriptione conuiuii luxuriosi: q) Videbar videre alios intrantes, alios vero exeuntes, quosdam ex vino vacillantes, quosdam hesterna potatione oscitantes. Versabatur inter hos Gallius vnguentis oblitus, redimitus coronis. Humus erat immunda, lutulenta vino, coronis languidulis, et spinis cooperta piscium. Quid plus videret, qui intrasset? Sic vrbium captarum crescit miseratio. Sine dubio enim, qui dicit expugnatam esse ciuitatem, complectitur omnia, quaecumque talis fortuna recipit: sed in affectus minus penetrat breuis hic velut nun-

q) Ex oratione pro Gallio, quod indicauit ex Aquila Romano Victor. variarum lectionum 22, 5.

nuntius. At ſi aperias haec, quae verbo vno incluſa erant, apparebunt et fuſae per domos ac templa flammae, et ruentium tectorum fragor, et ex diuerſis clamoribus vnus quidam ſonus: aliorum fuga incerta, alii in extremo complexu ſuorum cohaerentes, et infantium feminarumque ploratus, et male in illum vſque diem ſeruati fato ſenes: tum illa profanorum ſacrorumque direptio, efferentium praedas repetentiumque diſcurſus, et acti ante ſuum quisque praedonem catenati, et conata retinere infantem ſuum mater, et, ſicubi maius lucrum eſt, pugna inter victores.

Licet enim haec omnia, vt dixi, complectatur euerſio, minus eſt tamen totum dicere, quam omnia. Conſequemur autem, vt manifeſta ſint, ſi fuerint veriſimilia: et licebit etiam falſo adfingere, quidquid fieri ſolet. r) Contingit eadem claritas etiam ex accidentibus: s)

- - - Mihi frigidus horror
Membra quatit, gelidusque coit formidine ſanguis.

Et, - - Trepidae matres preſſere ad pectora natos.

Atque huius ſummae, iudicio quidem meo, virtutis facillima eſt via. Naturam intueamur: hanc ſequamur.

r) Exempla dedit Liuius in Albae dirutae deſcriptione L. I. c. 19. et Plinius in Panegyrico Traiani c. 17.

s) *Mihi frigidus horror.* Aen. III. v. 29. alterum VII. v. 518.

mur. Omnis eloquentia circa opera vitae eſt, ad ſe refert quisque, quae audit; et id facillime accipiunt animi, quod agnoſcunt.

Praeclare vero ad inferendam rebus lucem repertae ſunt ſimilitudines; t) quarum aliae ſunt, quae probationis gratia inter argumenta ponuntur, aliae ad exprimendam rerum imaginem compoſitae, quod eſt huius loci proprium.

- - - Inde lupi ceu
Raptores atra in nebula. - — u)

Et,

(Miſit,) aui ſimilis, quae circum littora, circum
Piſcoſos ſcopulos humilis volat aequora iuxta.

Quo in genere id eſt praecipue cuſtodiendum, ne id, quod ſimilitudinis gratia adſciuimus, aut obſcurum ſit, aut ignotum. Debet enim, quod illuſtrandae alterius rei gratia aſſumitur, ipſum eſſe clarius eo, quod illuminat. Quare ſane poetis quidem permittamus huius modi exempla:

Qualis, vbi hibernam Lyciam, Xanthique fluenta
Deſerit, aut Delon maternam inuiſit, Apollo.

Non

t) Similitudinis in animos noſtros vis prouenit ab illa mentis humanae agilitate, quae ſemper nouas res ſpectat. Vnde maxime delectatur, ſi, quae ſimilia videntur, aut differre; aut, quae differunt, ſimilia eſſe animaduertat. Plura Homius c. 19.

u) Aen. II. v. 355. *Aui ſimilis* IV. v. 254. *Qualis vbi* IV. v. 143.

Non idem decebit oratorem, vt occultis aperta demonſtret. Sed illud quoque, de quo in argumentis diximus, ſimilitudinis genus ornat orationem, facitque ſublimem, floridam, iucundam, mirabilem. Nam, quo quaeque longius petita eſt, hoc plus affert nouitatis, atque inexſpectata magis eſt. Illa vulgaria videri poſſunt et vtilia tamen ad conciliandam fidem, Vt terram cultu, ſic animum diſciplinis meliorem, vberioremque fieri. Et, Vt medici abalienata morbis membra praecidunt, ita turpes ac pernicioſos, etiam ſi nobis ſanguine cohaereant, amputandos. Iam ſublimius illud pro Archia, x) Saxa atque ſolitudines voci reſpondent; beſtiae ſaepe immanes cantu flectuntur atque conſiſtunt etc. quod quidem genus a quibusdam declamatoria maxime licentia corruptum eſt. Nam et falſis vtuntur, nec illa iis, quibus tandem ſimilia videri volunt, applicant. quorum vtrumque in iis eſt, quae me iuuene vbique cantare ſolebant, Magnorum fluminum nauigabiles fontes ſunt. et, generoſioris arboris ſtatim planta cum fructu eſt. In omni autem parabola aut praecedit ſimilitudo, et res ſequitur, aut praecedit res, et ſimilitudo ſequitur. Sed interim libera et ſeparata eſt: interim, quod longe optimum eſt, cum re, cuius eſt imago, connectitur, collatione inuicem reſpondente, quod facit redditio contraria, quae αν-

τα-

x) Pro Archia c. 8.

ταποδοσιϛ dicitur. Praecedit similitudo illa, cuius modo feci mentionem,

-- Inde lupi ceu
Raptores atra in nebula. --

Sequitur in primo Georgicon, post longam de bellis ciuilibus atque externis conquaestionem, y)

Vt, cum carceribus sese effudere quadrigae,
Addunt se in spatia, et frustra retinacula tendens
Fertur equis auriga, neque audit currus habenas.

Sed haec sunt sine antapodosi. Redditio autem illa rem vtramque, quam comparat, velut subiicit oculis, et pariter ostendit. Cuius praeclara apud Virgilium multa reperio exempla, sed oratoriis potius vtendum est. Dicit Cicero pro Muraena, z) Vt aiunt in Graecis artificibus eos auloedos esse, qui citharoedi fieri non potuerunt: sic nos videmus, qui oratores euadere non potuerunt, eos ad iuris studium deuenire. Illud pro eodem, a) iam paene poetico spiritu, sed tamen cum sua redditione, quod est ad ornatum accommodatius. Nam Vt tempestates saepe certo aliquo coeli signo commouentur, saepe improuiso, nulla ex certa ratione, obscura aliqua ex caussa concitantur: sic in hac comitio-

y) L. I. Georgicorum in fine.
z) Pro Muraena c. 13.
a) Pro eodem. c. 17.

tiorum tempeſtate populari ſaepe intelligas, quo ſigno commota ſit; ſaepe ita obſcura eſt, vt caſu excitata eſſe videatur. Sunt et illae breues, Vagique per ſiluas ritu ferarum. Et illud Ciceronis in Clodium, Quo ex iudicio, velut incendio, nudus effugit. Quibus ſimilia poſſunt cuicumque, etiam ex quotidiano ſermone, ſuccurrere. b)

Huic ſubiacet virtus non ſolum aperte ponendi rem ante oculos, ſed circumciſe atque velociter. Ac merito laudatur breuitas integra, ſed ea minus praeſtat, quoties nihil dicit, niſi quod neceſſe eſt; βραχολογιαν vocant, quae reddetur inter ſchemata. Eſt vero pulcherrima, cum plura paucis complectimur, quale illud Salluſtii eſt, Mithridates corpore ingenti, perinde armatus. Hoc male imitantes ſequitur obſcuritas.

Vicina praedictae, ſed amplior virtus eſt ἐμφασισ,

b) Pro recto ſimilitudinis vſu aliqua ſubiicio; ex Homii c. 19. *Offenbar iſt es, daß eine Vergleichung nicht bey jeder Gelegenheit ſchicklich iſt. Ein Menſch iſt im Kaltſinn und in der Gelaſſenheit nicht zu poetiſchen Schwüngen aufgelegt; noch die Wahrheit und das würkliche den Blendwerken der Einbildung aufzuopfern. Weit weniger iſt er dazu aufgelegt, wenn ihn Sorgen beſchweren, oder wenn er von einem wichtigen Vnternehmen voll iſt. Von der andern Seite kann man bemerken, daß ein Menſch, der von irgend einer Leidenſchaft erhoben oder belebt wird, ſehr geneigt iſt, alle ſeine Gegenſtände zu heben, oder zu beleben; er vermeidet die gemeinen Benennungen, er braucht Metaphern und Umwege im Ausdrucke, um ſeine Gegenſtände zu heben, und giebt ſelbſt unbelebten Dingen Leben und freye Handlungen. cet.*

σιν, c) altiorem praebens intellectum, quam quem verba per ſe ipſa declarant. Eius duae ſunt ſpecies: altera, quae plus ſignificat, quam dicit: altera, quae etiam id, quod non dicit. Prior eſt et apud Homerum, cum Menelaus Graios in equum deſcendiſſe d) dicit, nam verbo vno magnitudinem eius oſtendit: et apud Virgilium, e)

- — Demiſſum lapſi per funem - —

nam ſic quoque altitudo demonſtrata eſt. Idem Cyclopa, cum iacuiſſe dicit per antrum, prodigioſum illud corpus ſpatio loci menſus eſt.

Sequens poſita eſt in voce, aut omnino ſuppreſſa, aut etiam abſciſſa. Supprimitur vox, vt fecit pro Ligario Cicero, f) Quod ſi in tanta tua fortuna lenitas tanta non eſſet, quantam tu per te, per te, inquam, obtines; Intelligo, quid loquar. Tacuit enim illud, quod nihilo minus accipimus, non deeſſe homines, qui ad crudelitatem eum impellerent. Abſcinditur per ἀποσιώπησιν, quae, quoniam eſt figura, reddetur ſuo loco. Eſt in vulgaribus quoque verbis emphaſis, Virum eſſe oportet: et, Homo eſt ille: et, Viuendum eſt. Adeo ſimilis eſt arti plerumque natura.

Non

c) *Significationem* vocat Auctor ad Herennium L. IV. c. 53. *quae plus in ſuſpicione relinquit, quam poſitum eſt in oratione.*

d) Ad hanc lectionem vide notam Geſneri.

e) Prius, Aen. II. v. 262. Alterum, III. v. 631.

f) Pro Lig. c. 5.

Non tamen ſatis eloquentiae eſt, ea, de quibus dicat, clare, atque euidenter oſtendere: ſed ſunt multi ac varii excolendae orationis modi. Nam et ipſa illa ἀφέλεια g) ſimplex et inaffectata habet quemdam purum, qualis etiam in feminis amatur, ornatum. Et ſunt quaedam velut e tenui diligentia circa proprietatem ſignificationemque munditiae. Alia copia locuples, alia floribus laeta: virium non vnum genus. Nam, quidquid in ſuo genere ſatis effectum eſt, valet.

Sed vis oratoris omnis in augendo, minuendoque conſiſtit. Vtrique parti totidem modi, ex quibus praecipuos attingemus: reliqui ſimiles erunt. Sunt autem poſiti in rebus, et verbis. Sed, quae ſit rerum inuentio ac ratio, tractauimus: nunc, quid elocutio attollat aut deprimat, dicendum.

CAPVT III.

(L. VIII. c. IV.)

De Amplificatione.

Prima eſt igitur amplificandi vel minuendi ſpecies in ipſo rei nomine, vt, cum eum, qui ſit caeſus,

g) Cicero *ingenuam dictionem* vocat: virtus Romanae et Atticae elegantiae maxime propria, quam in nullo, qui ſe elegantioribus literis dederit, deſideres. In oratore c. 23. fuſius haec explicat Cicero. Interpres Helmſtadienſis egregie hanc virtutem differuit, *Dieſs muſs die durchgängige Sprache mehr als einer Gattung von Aufſätzen ſeyn. Briefe, Dialogen, das ſanftere Lied, das Epigram, die Comoedie* &c. *müſſen dieſs gefällige Kleid tragen. Gedanken, Ausdrücke, Wendungen müſſen hingeworfen, nicht ſtudirt ſcheinen, und dem Leſer nicht verrathen, daſs ſie Mühe gekoſtet haben.*

ſus, occiſum; eum, qui ſit improbus, latronem; contraque eum, qui pulſauit, attigiſſe; qui vulnerauit, laeſiſſe dicimus. Hoc genus increſcit, ac fit manifeſtius, ſi ampliora verba cum ipſis nominibus, pro quibus ea poſituri ſumus, conferantur: vt Cicero in Verrem, h) Non enim furem, ſed raptorem; non adulterum, ſed expugnatorem pudicitiae; non ſacrilegum, ſed hoſtem ſacrorum religionumque; non ſicarium, ſed crudeliſſimum carnificem ciuium ſociorumque in veſtrum iudicium adduximus. Illo enim modo vt ſit multum, hoc etiam, plus vt ſit, efficitur. Quatuor tamen maxime generibus video conſtare amplificationem, Incremento, Comparatione, Ratiocinatione, Congerie.

Incrementum eſt potentiſſimum, cum magna videntur, etiam quae inferiora ſunt. Id aut vno gradu fit, aut pluribus. Per id venitur non modo ad ſummum, ſed interim quodam modo ſupra ſummum. Omnibus his ſufficit vel vnum Ciceronis exemplum, i) Facinus eſt vincire ciuem Romanum, ſcelus verberare, prope parricidium necare: quid dicam in crucem tollere? Nam et, ſi tantum verberatus eſſet, vno gradu increuerat, ponendo etiam id eſſe facinus, quod erat inferius. Et ſi tantum occiſus eſſet, per plures gradus aſcenderat. Cum vero di-

h) In Verrem Act. II. L. I. c. 3.

i) In Verrem Act. II. L. V. c. 66. *Vincıri* cet. hodie legitur. — Aeneid. VII. v. 649.

dixerit, prope parricidium necare, ſupra quod nihil eſt; adiecit, quid dicam in crucem tollere? Ita cum id, quod maximum eſt, occupaſſet, neceſſe erat in eo, quod vltra eſt, verba deficere. Fit et aliter ſupra ſummum adiectio: vt apud Virgilium de Lauſo,

--- Quo pulchrior alter
Non fuit, excepto Laurentis corpore Turni. - —

Summum eſt enim, Quo pulchrior alter non fuit; huic deinde aliquid ſupra poſitum eſt. Tertius quoque eſt modus, ad quem non per gradus itur, vt quod non eſt plus, quam maximum, ſed quo nihil maius eſt. Matrem tuam occidiſti. Quid dicam amplius? matrem tuam occidiſti. Nam & hoc augendi genus eſt, tantum aliquid efficere, vt non poſſit augeri. Creſcit oratio minus aperte, ſed neſcio an hoc ipſo efficacius, cum citra diſtinctionem in contextu & curſu ſemper aliquid priore maius inſequitur: vt de vomitu in Antonium Cicero, 1) in coetu vero populi Romani, negotium publicum gerens, Magiſter equitum. Singula incrementum habent. Per ſe deforme, vel non in coetu, vomere: in coetu etiam, non populi: populi etiam, non Romani: vel ſi nullum negotium ageret: vel ſi non publicum: vel ſi non Magiſter equitum. Sed alius

1) Philippica II. c. 25.

diuideret haec, et circa singulos gradus moraretur: hic in sublime etiam currit, et ad summum peruenit non nixu, sed impetu.

Verum, vt haec amplificatio in superiora tendit, ita, quae fit per comparationem, incrementum ex minoribus petit. Augendo enim, quod est infra, necesse est extollat id, quod supra positum est: vt idem, atque in eodem loco, Si hoc tibi inter coenam et in illis immanibus poculis tuis accidisset, quis non turpe duceret? In coetu vero populi Romani. Et in Catilinam, m) Serui mehercle mei si me isto pacto metuerent, vt te metuunt omnes ciues tui, domum meam relinquendam putarem. Interim proposito velut simili exemplo, efficiendum est, vt sit maius id, quod a nobis exaggerandum est: vt idem pro Cluentio, n) cum exposuisset, Milesiam quamdam a secundis heredibus pro abortu pecuniam accepisse, Quanto est, inquit, Oppianicus in eadem iniuria maiore supplicio dignus? Siquidem illa, cum suo corpori vim attulisset, se ipsa cruciauit: hic autem idem illud effecit per alieni corporis vim atque cruciatum. Nec putet quisquam hoc, quamquam est simile, illi ex argumentis loco, quo maiora ex minoribus colliguntur, idem esse. Illic enim probatio petitur, hic amplificatio: sicut in Oppia-

m) Cat. I. c. 7.
n) Pro Cluentio c. 11.

pianico non id agitur in illa comparatione, vt ille male fecerit, ſed vt peius. Eſt tamen quamquam diuerſarum rerum quaedam vicinia. Repetam igitur hic quoque idem, quo ſum illic vſus, exemplum, ſed non in eumdem vſum. Nam hoc mihi oſtendendum eſt, augendi gratia non tota modo totis, ſed etiam partes partibus comparari: ſicut hoc loco, o) An vero vir ampliſſimus P. Scipio, pontifex maximus, Tiberium Gracchum, mediocriter labefactantem ſtatum Reipublicae, priuatus interfecit: Catilinam, orbem terrarum caede atque incendio vaſtare cupientem, nos COSS perferemus? p) Hic et Catilina Graccho, et ſtatus Reipublicae orbi terrarum, et mediocris labefactatio caedi et incendiis et vaſtationi, et priuatus Conſulibus comparatur: quae ſi quis dilatare velit, plenos ſingula locos habent.

Quas dixi per ratiocinationem fieri amplificationes, videamus, an ſatis proprio verbo ſignauerim. Nec ſum in hoc ſollicitus, dum res ipſa volentibus diſcere appareat. Hoc ſum tamen ſecutus, quod haec amplificatio alibi poſita eſt, alibi valet: et, vt aliud creſcat, aliud augetur; inde ad id, quod extolli volumus, ratione ducitur. Obiecturus Antonio

o) Cat. I, c. 1.

p) Sic Caeſar, intuens olim Alexandri ſtatuam, ſuam cum Macedonis aetate comparauit et ſubito pudore ſuffundi coepit: trigeſimum enim aetatis annum agens, quo heros ille occidiſſet, nihil adhuc memoria dignum geſſerat.

Cicero merum et vomitum, Tu, inquit, iſtis faucibus, iſtis lateribus, iſta gladiatoria totius corporis firmitate. Quid fauces et latera ad ebrietatem? Minime ſunt otioſa. Nam reſpicientes ad haec poſſumus aeſtimare, quantum ille vini in Hippiae nuptiis exhauſerit, quod ferre et coquere non poſſet illa gladiatoria corporis firmitate. Ergo, ſi ex alio colligitur aliud, nec improprium, nec inuſitatum nomen eſt ratiocinationis.

Sic et ex inſequentibus amplificatio ducitur: ſiquidem tanta vis fuit vini erumpentis, vt non caſum afferret aut voluntatem, ſed neceſſitatem, vbi minime deceret, vomendi: et cibus non recens, vt accidere interim ſolet, redderetur, ſed qui vſque in poſterum diem redundaret. Idem hoc praeſtant, quae anteceſſerunt. Nam, cum Aeolus a Iunone rogatus, q)

- - - Cauum conuerſa cuſpide montem
Impulit in latus, ac venti, velut agmine facto,
Qua data porta, ruunt: - - -

apparet, quanta ſit futura tempeſtas.

Quid? cum res atrociſſimas, quasque in ſummam ipſi extulimus inuidiam, eleuamus conſulto, quo grauiora videantur, quae ſecutura ſunt: vt a Ci-

q) Aen. I. v. 81.

Cicerone factum eſt, cum illa diceret, r) Leuia ſunt haec in hoc reo crimina. Metum virgarum nauarchus nobiliſſimae ciuitatis pretio redemit: humanum eſt. Alius, ne ſecuri feriretur, pecuniam dedit: vſitatum eſt. Nonne vſus eſt ratiocinatione, qua colligerent audientes, quantum illud eſſet, quod inferebatur, cui comparata haec, humana viderentur atque vſitata? Sic quoque ſolet ex alio aliud augeri, vt, cum Hannibalis bellicis laudibus ampliatur virtus Scipionis. Et fortitudinem Gallorum Germanorumque miramur, quo ſit maior C. Caeſaris gloria. Illud quoque eſt ex relatione ad aliquid, quod non eius rei gratia dictum videtur, amplificationis genus. s) Non putant indignum Troiani Principes, Graios Troianosque propter Helenae ſpeciem tot mala, tanto temporis ſpatio ſuſtinere: quaenam igitur illa forma credenda eſt? Non enim hoc dicit Paris, qui rapuit; non aliquis iuuenis, non vnus e vulgo; ſed ſenes, et prudentiſſimi, et Priamo aſſidentes. Verum et ipſe rex, decenni bello exhauſtus, amiſſis tot liberis, imminente ſummo

 diſ-

r) In Verrem Act. II. L. V. c. 44.

s) Locus eſt ex Iliadis L. III. v. 156. Cum ſeniores Troiani ex ſcaea porta intuerentur exercitum Troianorum et Graecorum, venit Helena, cuius admirati ſunt ſpeciem et haec dixerunt

Ου νεμεσις τρωας τε και ευκνημιδας αχαιες
Τοιη δ'αμφι γυναικι πολυν χρονον αλγεα πασχειν.

Non eſt indigne ferendum Troianos et fortes Achiuos talem propter mulierem longo tempore dolores pati.

Laudat v. c. Hemſterhuſius in Lucianum Tom. I. p. 409. n. 64.

diſcrimine, cui faciem illam, ex qua tot lacrimarum origo fluxiſſet, inuiſam atque abominandam eſſe oportebat, et audit haec, et eam filiam appellans iuxta ſe locat, et excuſat etiam, atque ſibi eſſe malorum cauſſam negat.

Quin ex inſtrumento quoque heroum illorum magnitudo aeſtimanda nobis datur. Ad hoc pertinet Clypeus Aiacis, t) et haſta Pelias Achillis. u) Qua virtute egregie eſt vſus in Cyclope Virgilius. x) Nam quod illud corpus mente concipiam, cuius

Trunca manum pinus regit? - - -

Quid? cum vix loricam duo multiplicem connixi humeris ferrent, quantus Demoleos, qui, indutus eam,

- - - Curſu palantes Troas agebat?

Quid? M. Tullius de M. Antonii luxuria tantum fingere ſaltem potuiſſet, quantum oſtendit dicendo, Conchyliatis Cn. Pompeii periſtromatis y) ſeruorum in

t) Aiax clypeum habuit ſeptemplicem, quem nullus alius geſtare poſſet. Obiecit eum hoſtibus velut turrim. Iliad. VII. v. 219. σακος ἠΰτε πυργον, χαλκεον, cet. Ferens ſcutum inſtar turris aereum, e ſeptem coriis boum factum, quod ei Tychius elaborarat fabricans, Coriariorum praeſtantiſſimus.

u) Achillis haſta, ut qnae in Pelio monte caeſa eſſet, Pelias dicta eſt, quam nullus, praeter illum, geſtare potuit. Patroclus, cum arma induiſſet Achillis, haſtae gerendae non erat. Iliad. L. XVI. v. 140. Ouid. Met. L. XIII. v. 109.

x) Aen. III. v. 659. de Demoleo Aen. V. v. 265.

y) Philippica II. c. 27. Periſtromata ſunt veſtes coloratae, queis ornarunt parietes (*Tapete*). Conchylium nomen generale omnium concharum fuit; ſpeciatim autem pro murice conſueuit ſu-

in cellis ſtratos lectos videres? Conchyliata periſtromata, et Cn. Pompeii, et in cellis ſeruorum, nihil dici poteſt vltra: et neceſſe eſt tamen infinito plus in domino cogitare.

Eſt hoc ſimile illi, quod ἐμφασισ dicitur: ſed illa ex verbo, hoc ex re coniecturam facit: tantoque plus valet, quanto res ipſa verbis eſt firmior.

Poteſt adſcribi amplificationi congeries quoque verborum, ac ſententiarum idem ſignificantium. Nam, etiam ſi non per gradus aſcendant, tamen velut aceruo quodam alleuantur. Quid enim tuus ille, Tubero, deſtrictus in acie Pharſalica gladius agebat? Cuius latus ille mucro petebat? qui ſenſus erat armorum tuorum? quae tua mens? oculi? manus? ardor animi? quid cupiebas? quid optabas? z) Simile eſt hoc figurae, quam συναθροισμον vocant: ſed illic plurium rerum eſt congeries, hic vnius multiplicatio. Haec etiam creſcere ſolet verbis omnibus altius atque altius inſurgentibus: a) Aderat ianitor Carceris, Carnifex praetoris, mors terrorque ſociorum, et ciuium Romanorum, lictor Sextius. Eadem fere eſt ratio minuendi. Nam totidem ſunt adſcendentibus, quot deſcendentibus, gradus.

 CA-

ſumi, cuius ſanguine purpuram conficiebant. Non raro ſignificat colorem ipſum. Plin. Hiſt. nat. L. IX. c. 34. et L. XXI. c. 8.

z) Pro Ligario c. 3.

a) In Verrem Act. II. L. V. c. 45.

CAPVT IV.

(L. VIII. c. V.)

De Sententiis.

Sententiam veteres, quod animo ſenſiſſent, vocauerunt. Id cum eſt apud oratores frequentiſſimum, tum etiam in vſu quotidiano quasdam reliquias habet. Nam & iuraturi ex animi noſtri ſententia, & gratulantes ex ſententia dicimus. Non raro tamen & ſic locuti ſunt, vt ſenſa ſua dicerent: nam ſenſus corporis videbantur. Sed conſuetudo iam tenuit, vt mente concepta ſenſus vocaremus; lumina autem, praecipueque in clauſulis poſita, ſententias. Quae minus crebra apud antiquos, noſtris temporibus modo carent. Ideoque mihi et de generibus earum, et de vſu arbitror pauca dicenda. Antiquiſſimae ſunt, quae proprie, quamuis omnibus idem ſit nomen, ſententiae vocantur, quas Graeci γνωμας appellant: vtrumque autem nomen ex eo acceperunt, quod ſimiles ſunt conſiliis aut decretis. b) Eſt autem haec vox vniuerſalis, quae etiam citra complexum cauſſae poſſit eſſe laudabilis, interim ad rem tantum relata, vt, c) Nihil eſt tam populare, quam bonitas: interim ad perſonam, quale eſt Afri Domitii, Princeps, qui vult omnia ſcire, neceſſe habet multa ignoſcere. Ob-

b) Apud antiquos ſententia dicebatur, propoſitio vitae vtilis, quae decretis, quibus iudices ſententiam pronuntiabant, ſaepe ſimilis erat. Tempore Fabii quodcunque argutius dictum hoc nomen tulit.

c) Pro Ligario c. vlt. —

Obſeruant eſſe eam aliquando ſimplicem, vt ea, quam ſupra dixi; aliquando ratione ſubiecta, Nam in omni certamine, qui opulentior eſt, etiam ſi accipit iniuriam, tamen, quia plus poteſt, facere videtur: non numquam duplicem, d) Obſequium amicos, veritas odium parit. Sunt etiam, qui decem genera fecerunt, ſed eo modo, quo fieri vel plura poſſunt, per interrogationem, comparationem, infitiationem, ſimilitudinem, admirationem, et cetera huius modi: per omnes enim figuras tractari poteſt. Illud notabile ex diuerſis, e) Mors miſera non eſt, aditus ad mortem miſer eſt. Ac rectae quidem ſunt tales, Tam deeſt auaro, quod habet, quam quod non habet. f) Sed maiorem vim accipiunt commutatione figurae, vt,

Vſque adeone mori miſerum eſt? - —

Acrius enim hoc, quam per ſe, Mors miſera non eſt. Et translatione a communi ad proprium. Nam, cum ſit rectum, Nocere facile eſt, prodeſſe difficile: vehementius apud Ouidium Medea dicit,

Seruare potui, perdere an poſſim, rogas?

Vertit ad perſonam Cicero, g) Nihil habet,

 Cae-

d) Terentius Andriae Act. I. Sc. 1, v. 4.

e) Sententia eſt Epicuri, vt patet ex Quaeſt. Tuſc. L. I. c. 8. vbi diſputatur, an mors malum ſit. Vide Meiners *Betrachtungen über den Tod und Troſtgründe der Alten wider den Schrecken deſſelben. Phil. Schriften. II. Th. 4te. p.* 199.

f) Ex Mimo P. Syri.

g) Pro Ligario c. vltimo.

Caesar, nec fortuna tua maius, quam vt possis; nec natura melius, quam vt velis seruare quam plurimos. Ita, quae erant rerum, propria fecit hominis.

In hoc genere custodiendum est, et id quidem vbique, ne crebrae sint, ne palam falsae, et, ne passim et a quocunque dicantur. Magis enim decent eos, in quibus est auctoritas, vt rei pondus etiam persona confirmet. Quis enim ferat puerum aut adolescentulum, aut etiam ignobilem, si iudicet in dicendo et quodam modo praecipiat?

Enthymema quoque est omne, quod mente concipimus: proprie tamen dicitur, quae est sententia ex contrariis, propter ea, quod eminere inter ceteras videtur, vt Homerus poeta, vrbs Roma. h) Non semper autem ad probationem adhibetur, sed aliquando ad ornatum, i) Quorum igitur impunitas, Caesar, tuae clementiae laus est, eorum te ipsorum ad crudelitatem acuet oratio? Non quia sit ratio dissimilis, sed, quia iam per alia, vt id iustum appareret, effectum erat. Et addita in clau-

h) Quemadmodum *sententia* veteribus significaret, quidquid animo sentiremus; post autem per excellentiam propositionem argutam e vita sumtam de rebus vtilibus et honestis: ita *enthymema* Graecis quicunque mentis conceptus, per *excellentiam* vero *conclusio ex repugnantibus*, *aut sententia ex contrariis ducta* erat. Ex quo patet enthymema duplici intellectu et pro *argumentatione* et pro *sententia* sumi.

i) Pro Ligario c. 4.

clausula est epiphonematis modo non tam probatio, quam extrema quasi insultatio. Est enim epiphonema rei narratae vel probatae summa acclamatio, l)

Tantae molis erat Romanam condere gentem:

Facere enim probus adolescens periculose, quam perpeti turpiter maluit.

Vocatur aliquid et clausula: m) quae, si est, quod conclusionem dicimus, et recte, et quibusdam in partibus necessaria est: Quare prius de facto vestro fateamini necesse est, quam Ligarii culpam vllam reprehendatis. Sed nunc illud volunt, vt omnis locus, omnis sensus in fine sermonis feriat aurem. Turpe autem ac prope nefas ducunt, respirare vllo loco, qui acclamationem non petierit. Inde minuti corruptique sensiculi, et extra rem petiti. Neque enim possunt tam multae bonae sententiae esse, quam necesse est multae sint clausulae.

Facit quasdam sententias sola geminatio: qualis est Senecae in eo scripto, quod Nero ad Senatum misit occisa matre, cum se periclitatum videri vellet, n) Saluum me esse adhuc nec credo, nec gau-

l) Aeneid. L. I. 37. pro Milone c. 4.

m) *Epiphonema* a *clausula* hoc distat, quod epiphonema orationem claudat sententia aures feriente; *clausula* contra, quae probata sint, breuius in vnum colligat; qua distinctione facta temporis sui vitia Fabius notauit.

n) Quid in proposito exemplo geminetur, non statim apparet. *Saluum me esse* licet semel sit positum, bis esse intelligendum putat Gesnerus.

gaudeo. Melior, cum ex contrariis valet, Habeo, quem fugiam; quem ſequar, non habeo. o)

Ad hoc plerique minimis etiam inuentiunculis gaudent, quae excuſſae riſum habent, inuentae facie ingenii blandiuntur. De eo, qui naufragus, et ante agrorum ſterilitate vexatus, in ſcholis fingitur ſe ſuſpendiſſe, Quem nec terra recipit, nec mare, pendeat. Et in luxurioſum, qui ἀποκαρτερησιν p) ſimulaſſe dicitur, Necte laqueum, habes, quod faucibus tuis iraſcaris: ſume venenum, decet luxurioſum bibendo mori. Finis non erit, ſi ſingulas corruptorum perſequar formas. Illud potius, quod eſt magis neceſſarium.

Duae ſunt diuerſae opiniones; aliorum ſententias ſolas paene ſpectantium, aliorum omnino damnantium: quorum mihi neutrum admodum placet. Denſitas earum obſtat inuicem, vt in ſatis omnibus fructibusque arborum nihil ad iuſtam magnitudinem adoleſcere poteſt, quod loco, in quem creſcat, caret. Nec pictura, in qua nihil circumlitum eſt, eminet. Ideoque artifices, etiam cum plura in vnam tabulam opera contulerunt, ſpatiis diſtinguunt, ne

vmbrae

o) Vox dubitantis atque fluctuantis inter Pompeium atque Caeſarem, vel potius vtrumque deteſtantis Tullii ad Atticum L. VIII. ep. 7.

p) Ἀποκαρτερησις eſt propoſitum moriendi per inediam. Luxurioſo alia ſuadetur via mortis; nimis enim honeſta eſt illa, qua Domitius, Iſocrates, Atticus, aliique boni viri occubuere. Egregia vox Catonis, *im Muſenalmach* 1782.

vmbrae in corpora cadant. Facit res eadem concisam quoque orationem. Subsistit enim omnis sententia: ideoque post eam vtique aliud est initium. Vnde soluta fere oratio, et e singulis, non membris, sed frustis collata, structura caret, cum illa rotunda et vndique circumcisa insistere inuicem nequeant.

Praeter hoc etiam color ipse dicendi quam libet clarus, multis tamen ac variis velut maculis conspergitur. q) Porro, vt afferent lumen clauus r) et purpurae, loco insertae, ita certe neminem deceat intertexta pluribus notis vestis. Quare, licet haec enitere, et aliqua tenus exstare videantur, tamen lumina illa non flammae, sed scintillis inter fumum emicantibus similia dixeris: quae ne apparent quidem, vbi tota lucet oratio, vt in sole sidera ipsa desinunt cerni: et, quae crebris paruisque conatibus se attollunt, inaequalia tantum, et velut confragosa, nec admirationem consequuntur eminentium, et planorum gratiam perdunt. Hoc quoque accidit, quod solas captanti sententias multas necesse est dicere leues, frigidas, ineptas. Non enim potest esse delectus, vbi numero laboratur.

Huic

q) Vnde maculosa oritur oratio, non illa quidem sordida et immunda, sed varia et picta, vt tygres, lynces, et quidam equi. Vide omnino *Phidiacum Bergeri opus de naturali pulchritudine orationis p.* 11.

r) Clauus est linea vel virga purpurea per mediam, in parte anteriore, tunicam a summo ad imum descendens. Vnde *angusti* et *lati claui*.

Huic quibusdam contrarium ſtudium, qui fugiunt ac reformidant omnem hanc in dicendo voluptatem, nihil probantes, niſi planum, et humile, et ſine conatu. Ita, dum timent, ne aliquando cadant, ſemper iacent. Quod enim tantum in ſententia bona crimen eſt? non cauſſae prodeſt? non auditorem mouet? non dicentem commendat? At eſt quoddam genus, quo veteres non vtebantur. Ad quam vſque nos vocatis vetuſtatem? Nam, ſi ad illam extremam, multa Demoſthenes, quae ante eum nemo. Quo modo poteſt Ciceronem probare, qui nihil putet ex Catone Gracchisque mutandum? Sed ante hos ſimplicior adhuc loquendi ratio fuit.

Ego vero haec lumina orationis, velut oculos quosdam eſſe eloquentiae credo. Sed neque oculos eſſe toto corpore velim, ne cetera membra officium ſuum perdant: et, ſi neceſſe ſit, veterem illum horrorem dicendi malim, quam iſtam nouam licentiam. Sed patet media quaedam via, ſicut in cultu victuque acceſſit aliquis citra reprehenſionem nitor, quem, ſicut poſſumus, adiiciamus virtutibus. s) Prius tamen ſit, vitiis carere: ne, dum volumus eſſe meliores veteribus, ſimus tantum diſſimiles.

CA-

s) Vt deterſo veterum horrori vitae ſucceſſit elegantia, quae ſi modum ſeruet, et in viris reprehendi non poteſt; ita antiquo dicendi mori, rudi aliquo modo et incompto, ſententiarum aliarumque virtutum decor additus eſt; qui, dum iudicio adhibeatur, orationem grauem non minus quam iucundam facit. Abuſum vituperat orator, non vſum: aeque parum rudis ille ſermo iam ad mores noſtros congruit, ac ſi viris noſtris pellibus tectis, aut barba horridis vt olim, neceſſe eſſet, incedere.

CAPVT V.

(L. VIII. C. VI.)

De Tropis.

Tropus est verbi vel sermonis a propria significatione in aliam cum virtute mutatio. Circa quem inexplicabilis et grammaticis inter ipsos, et philosophis, pugna est, quae sint genera, quae species, qui numerus, quis cuique subiiciatur. Nos omissis, quae nihil ad instruendum oratorem pertinent, cauillationibus, necessarios maxime atque in vsum receptos exsequemur: hoc modo in his annotasse contenti, quosdam gratia significationis, quosdam decoris assumi, et esse alios in verbis propriis, alios in translatis: vertique formas non verborum modo, sed et sensuum, et compositionis.

Incipiamus igitur ab eo, qui cum frequentissimus est, tum longe pulcherrimus, translatione dico, quae μεταφορα graece vocatur. Quae quidem cum ita est ab ipsa nobis concessa natura, vt indocti quoque ac non sentientes ea frequenter vtantur: tum ita iucunda atque nitida, vt in oratione, quam libet clara, proprio tamen lumine eluceat. Neque enim vulgaris esse, nec humilis, nec insuauis, recte modo adscita, potest. Copiam quoque sermonis auget permutando, aut mutuando, quod non habet: quodque difficillimum est, praestat, ne vlli rei nomen deesse videatur. t) Trans-

t) De metaphora egregie disputauit Cicero L, III, de oratore c. 38, et

Transfertur ergo nomen aut verbum ex eo loco, in quo proprium eſt, in eum, in quo aut proprium deeſt, aut translatum proprio melius eſt. Id facimus, aut quia neceſſe eſt, aut quia ſignificantius eſt, aut (vt dixi) quia decentius. Vbi nihil horum praeſtabit, quod transferetur, improprium erit. Neceſſitate ruſtici dicunt gemmam in vitibus, (quid enim dicerent aliud?) et ſitire ſegetes, et fructus laborare. Neceſſitate nos durum hominem, aut aſperum. Non enim proprium erat, quod daremus his affectionibus, nomen. Iam, incenſum ira: et inflammatum cupiditate: et lapſum errore, ſigni-

ficandi

et ſeqq. quae ne praetereas. Quid vero metaphora rationi excolendae conferat, Salzerus (*Anmerkungen über den gegenſeitigen Einfluß der Vernunft in die Sprache, und der Sprache in die Vernunft*, p. 188.) tradit: *Der Fortgang der Vernunft hängt ſehr von der Vollkommenheit des metaphoriſchen Theiles der Sprachen ab. Der Philoſoph vermehrt den Vorrath unſrer Kenntniſſe durch erweiſsliche Vernunfſchlüſſe, und der ſchöne Geiſt ſetzt die Schranken derſelben durch Erfindung glücklicher Metaphern weiter hinaus. Die Einbildungskraft iſt bisweilen eben ſo tiefdenkend, als der ſcharfſinnigſte Verſtand. Ihr hat man jene glückliche Ausdrücke zu danken, welche ſelbſt aus der Finſterniß glückliche Lichtſtrahlen hervorbrechen laſſen. Der witzige Kopf ſieht die feinſten und verborgenſten Aehnlichkeiten, und ſein glückliches Genie findet Mittel, ſie auszudrücken. Die Schriften der beſten alten und neuen Dichter enthalten Schätze dieſer Art. Wer ſich Mühe geben, und ſie aus denſelben hervorziehen wollte, würde der Philoſophie einen ſehr groſſen Dienſt leiſten. Ein ſolches Werk würde die nützlichſten Wahrheiten unter der einnehmendſten Geſtalt in ſich ſchlieſſen. Die Erfindung eines Ausdrucks oder Bildes kann alſo eben ſo viel werth ſeyn, als eine Entdeckung. Ein neuer Grund die ſchönen Geiſter zu ermuntern! Der Philoſoph ſucht ſtets die Wahrheit, und verfehlt ſie oft; der ſchöne Geiſt findet ſie oft, ohne ſie zu ſuchen.* — Quid Anglia, quid Gallia, quid Germania ingeniis poeticis debeat, neminem, qui monumenta eorum legerit, latere poteſt. Viros ſeculorum memoria dignos, qui aetatis noſtrae gloriam ornarunt, olim nominabunt, nunc intelligimus.

ficandi gratia. Nihil enim horum ſuis verbis, quam his arceſſitis, magis proprium erat. Illa ad ornatum, lumen orationis, et generis claritatem, et concionum procellas, et eloquentiae fulmina: vt Cicero pro Milone, Clodium fontem gloriae eius vocat, et alio loco, ſegetem ac materiam.

In totum autem metaphora breuior eſt ſimilitudo: eoque diſtat, quod illa comparatur rei, quam volumus exprimere, haec pro ipſa re dicitur. Comparatio eſt, cum dico feciſſe quid hominem, vt leonem; translatio, cum dico de homine, leo eſt. Huius vis omnis quadruplex maxime videtur: cum in rebus animalibus aliud pro alio ponitur, vt Liuius, Scipionem a Catone adlatrari ſolitum, refert. Inanima pro aliis generis eiusdem ſumuntur, vt, u)

- - Claſſique immittit habenas:

Aut pro rebus animalibus inanima,

Ferro an fato murus x) Argiuum occidit:

Aut contra,

- - - Sedet inſcius alto
Accipiens ſonitum ſaxi de vertice paſtor: y)

Praecipueque ex his oritur mira ſublimitas, quae audaci et proxima periculum translatione tolluntur,

M cum

u) Aen. VI. v. 1.

x) Achilles Graium *murus* dicitur apud Ouidium Met. L. XIII. v. 281.

y) Aen. II. v. 307. vbi tamen pro *ſedet*, *ſtupet* Legitur: *Vertex*, res animalis vtpote pars ſumma capitis, hic *ſaxo* attribuitur.

cum rebus ſenſu carentibus actum quemdam et animos damus, qualis eſt, z)

Pontem indignatus Araxes.

Et illa Ciceronis, Quid enim tuus ille, Tubero, deſtrictus in acie Pharſalica gladius agebat? Cuius latus ille mucro petebat? qui ſenſus erat armorum tuorum? Duplicatur interim haec virtus apud Virgilium,

- - - Ferrumque armare veneno.

Nam et veneno armare, et ferrum armare, translatio eſt.

Vt modicus autem atque opportunus eius vſus illuſtrat orationem: ita frequens et obſcurat, et taedio complet: continuus vero in allegoriam et aenigmata exit. Sunt quaedam etiam humiles translationes: vt id, de quo modo dixi, ſaxea eſt verruca. Et ſordidae. Non enim, ſi Cicero recte ſentinam Reipublicae dixit, foeditatem hominum ſignificans, idcirco probem illud quoque veteris oratoris, Perſecuiſti Reipublicae vomicas. Optimeque Cicero demonſtrat cauendum, ne ſit deformis translatio: qualis eſt (nam ipſis eius vtar exemplis) caſtratam morte Africani Rempublicam, et, ſtercus curiae Glauciam. Ne nimio maior: aut, quod ſaepius accidit, minor. Ne diſſimilis: quorum exempla nimium fre-

z) De hoc metaphorae genere vide, quae ex Mendelſohnio ſuperius, item ex Homio, ad ſimilitudinem attulimus; et quae infra de proſopopoeiae figura dicemus. Aen VIII. v. 728. Pro Lig. c. 3. Aen. IX. v. 773.

frequenter deprehendet, qui ſcierit haec vitia eſſe. Sed et copia quoque modum egreſſa vitioſa eſt, praecipue in eadem ſpecie. Sunt et durae, id eſt, a longinqua ſimilitudine ductae: vt, Capitis niues, a) et,

Iuppiter hibernas cana niue conſpuit Alpes.

In illo vero plurimum erroris, quod ea, quae poetis (qui et omnia ad voluptatem referunt, et plurima vertere etiam ipſa metri neceſſitate coguntur) permiſſa ſunt, conuenire quidam etiam proſae putant. At ego in agendo nec paſtorem populi auctore Homero b) dixerim: nec volucres pennis remigare: licet Virgilius in apibus ac Daedalo ſpecioſiſſime ſit vſus. c) Metaphora enim aut vacantem occupare locum debet, aut, ſi in alienum venit, plus valere eo, quod expellit.

Quod aliquanto paene iam magis de ſynecdoche dicam. Nam translatio permouendis animis plerumque et ſignandis rebus, ac ſub oculos ſubiiciendis reperta eſt: haec variare ſermonem poteſt, vt ex vno

 plu-

a) *Capitis niues Horat.* Od. L. IV. 13, v. 12. Non poetam, ſed, qui male in proſa imitantur, eos deridet Fabius. Interim in noſtrorum ſermone hominum eualuit, vt dicamus *ſchneeweiſe Haare.* Alterum, de Ioue Alpes conſpuente, eſt Furii Bibaculi a Flacco deriſi ſerm. II. Ecl. 5. v. 41.

b) Paſtoritia vita olim ſummus honor: Homerus temporibus et regionibus, in quibus paſtores vitam feliciſſimam viuerent, propior, hac ſane voce vti potuit: quod luſtratis Ioniae oris Wood in ſuo opere *über das Original Genie des Homers*, teſtis omni fide dignus, confirmat.

c) Huc illud Georg. L. IV. v. 59. de apibus:

Nare per aeſtatem liquidam ſuſpexeris agmen.

plures intelligamus, parte totum, ſpecie genus, praecedentibus ſequentia, vel contra. Omnia liberiora poetis, quam oratoribus. Nam proſa, vt mucronem pro gladio, et tectum pro domo recipiet: ita non puppim pro naui, nec abietem pro tabellis. d) Et rurſus, vt pro gladio ferrum, ita non pro equo quadrupedem. Maxime autem in orando valebit numerorum illa libertas. Nam et Liuius saepe ſic dicit, Romanus praelio victor: cum Romanos viciſſe ſignificat. Et contra, Cicero ad Brutum: populo, inquit, impoſuimus, et oratores viſi ſumus, cum de ſe tantum loqueretur. Quod genus non orationes modo ornat, ſed etiam quotidiani ſermonis vſus recipit.

Nec procul ab hoc genere diſcedit μετωνυμια, quae eſt nominis pro nomine poſitio, cuius vis eſt, pro eo, quod dicitur, cauſſam, propter quam dicitur, ponere. Haec inuenta ab inuentore, et ſubiecta ab obtinentibus ſignificat: vt, e)

Cererem corruptam vndis: Et, - - - Receptus

Terra Neptunus claſſes Aquilonibus arcet.

Quod fit retro durius. Refert autem, in quantum dictus tropus oratorem ſequatur. Nam, vt Vulcanum pro igne vulgo audimus, et, Vario Marte

pug-

d) Hoc factum a Plauto, qui Perſae Act. II. Sc. 2. v. 66, *obſignatam abietem* pro epiſtola ponit.

e) *Cererem corruptam undis.* Aen. I. v. 177. *Receptus terra Neptunus* Horat. art. poet. v. 63.

pugnatum, eruditus eſt ſermo: ita Liberum et Cererem pro vino et pane licentius, quam vt fori ſeueritas ferat. Sicut ex eo, quod continet, id quod continetur, vſus recipit: vt, bene moratas vrbes, et poculum epotum, et ſeculum felix. At id, quod contra eſt, raro audiat quis, niſi poeta, f)

- - - Iam proximus ardet Vcalegon.

Niſi forte hoc potius eſt, a poſſeſſore, quod poſſidetur: vt, Hominem deuorari, cuius patrimonium conſumatur.

Illud quoque et poetis et oratoribus frequens, quo eum, qui efficit, ex eo, quod efficitur, oſtendimus. Nam et carminum auctores, g)

Pallida mors aequo pulſat pede pauperum tabernas,
Regumque turres.

Et,

Pallentesque habitant morbi, triſtisque ſenectus.

Et orator praecipitem iram, hilarem adoleſcentiam, ſegne otium dicit.

Ἀντωνομασία, quae aliquid pro nomine ponit, poetis quoque modo frequentiſſima, et per epitheton, quia detracto eo, cui apponitur, valet pro nomine,

f) Aen. II. v. 311.

g) *Pallida mors*, Horat. od. L. I. 4. 13. *Pallentesque* Aen. L. VI. v. 275.

mine, Tydides, Pelides: et ex his, quae in quocunque ſunt praecipua, h)

- - - Diuum pater, atque hominum rex:

et ex factis, quibus perſona ſignatur,

- - - Thalamo quae fixa reliquit impius.

Oratoribus etiam ſi rarus eius rei, non nullus tamen vſus eſt. Nam, vt Tydiden et Peliden non dixerint, ita dixerunt impium pro parricida: euerſorem quoque Carthaginis et Numantiae pro Scipione, et Romanae eloquentiae principem pro Cicerone poſuiſſe non dubitent. Cicero ipſe certe vſus eſt hac libertate: i) Non multa peccas, inquit ille fortiſſimo viro ſenior magiſter, et, ſi peccas, te regere poſſum. Neutrum enim nomen poſitum eſt, et vtrumque intelligitur. Ονοματοποιια l) quidem, id eſt, fictio nominis, Graecis inter maximas habita virtutes, nobis vix permittitur. Et ſunt plurima ita poſita ab iis, qui ſermonem primi fecerunt, aptantes affectibus vocem. Nam mugitus, et ſibilus, et murmur inde venerunt. Deinde, tamquam conſummata

h) *Diuum Pater* Aen. I. v. 65. *Thalamo* - Aen. IV. v. 495. intelligitur *Aeneas*.

i) Pro Muraena c. 29. Sumtum procul dubio ex Fabula, quae tum nota eſſet, vt neminem fugeret. Quis ille fortiſſimus vir, quis ſenior Magiſter, cum iam ex fabula non conſtet, fruſtra eſt hariolari. Poteſt *fortiſſimus vir* eſſe Achilles, vel Agamemnon; *ſenior Magiſter* Phoenix aut Neſtor.

l) De onomatopoeis, in origine praeſertim linguarum, de vſu atque virtute etiam *in vernacula noſtra*, Herder Parte II. Sect. I. c. 4. a pag. 188. et ſeqq. Horat. Arte a v. 62.

mata ſint omnia, nihil generare audemus ipſi, cum multa quotidie ab antiquis ficta moriantur.

Eo magis neceſſaria Καταχρησιν, quam recte dicimus abuſionem, quae non habentibus nomen ſuum accommodat, quod in proximo eſt, ſic, m)

- - - Equum diuina Palladis arte
Aedificant:

et apud Tragicos, Et iam leo pariet, at pater eſt. Similia ſunt haec, et acetabula, n) quidquid habet; et pyxides, cuiuscumque materiae ſunt; et parricida, matris quoque aut fratris interfector. Diſcernendumque eſt hoc totum a translatione genus, quod abuſio eſt, vbi nomen defuit: translatio, vbi aliud fuit.

Cetera iam non ſignificandi gratia, ſed ad ornandam modo, non augendam orationem aſſumuntur. Ornat enim επιθετον, quod recte diximus appoſitum: a non nullis Sequens dicitur. Eo poetae et frequentius et liberius vtuntur. Namque illis ſatis eſt, conuenire verbo, cui apponitur: et ita dentes albi, et humida vina in his non reprehenduntur. Apud oratorem, niſi aliquid efficitur, redundat. Tum autem efficitur, ſi ſine illo, quod dicitur, minus eſt: qualia ſunt, O ſcelus abomi-

 nandum,

m) Aen. II. v. 15. vide notam Geſneri ad Quint.

n) Acetabula, id eſt vaſa ſeruando aceto deſtinata. Pyxides dicebantur a πυξω ſiue buxo materia, ex qua fiebant.

nandum, o deformem libidinem. Exornatur autem res tota maxime translationibus, Cupiditas effrenata, et, insanae substructiones. Et solet fieri aliis adiunctis epitheton tropus, vt apud Virgilium, Turpis egestas, et, Tristis senectus. Verum tamen talis est ratio huiusce virtutis, vt sine appositis nuda sit et velut incomta oratio. Ne oneretur tamen multis. Nam fit longa et impedita, vt in quaestionibus eam iudices similem agmini totidem lixas o) habenti, quot milites quoque, in quo et numerus est duplex, nec duplum virium: quamquam non singula modo, sed etiam plura verba apponi solent: p) vt,

Coniugio Anchisa Veneris dignate superbo,
Cura Deum, his Pergameis erepte ruinis.

Sed hoc quoque modo duo verba vni apposita, ne versum quidem decuerint. q)

Αλλη-

o) Lixae sunt, qui exercitum quaestus caussa sequuntur, distant a calonibus, quod calones serui, illi liberi homines sunt. Etymologiam dedit glossarium Vossianum.

p) Aen. III. v. 475.

q) Sequentia de epithetis sunt ex Sulzero, Art. eodem: *In der Geschichte des Geschmackes älterer und neuerer Zeiten findet man, daß ein Ueberfluß der Beywörter allemal die erste Anzeige des sich verderbenden Geschmackes gewesen ist. In Griechenland, in Rom und Frankreich hat sich dieser Ueberfluß gezeigt, sobald die goldnen Zeiten der Dichtkunst und Beredsamkeit anfiengen einer verdorbenen Periode Platz zu machen.* Recentioribus haec exemplis illustrari possunt. Klopstock Graecum hexametrum et Bardorum fortes cantus Lyra sua aemulatus est feliciter summo ingenio praeditus, vbique ardens et sublimis. Hunc Secuti ingenio minores, Graecorum versuum pedes iungere dedicerunt quidem, sed vim assequi cum non possent, factumest, vt epithetis indulgerent pedum gratia, et rebus carerent, non sine magno linguae adolescentis periculo: Sed quo virili literae nostrae aetati accederent propius, eo citius haec quoque secta euanuit.

Αλληγοϱια, r) quam inuerſionem interpretamur, aliud verbis, aliud ſenſu oſtendit, ac etiam interim contrarium. Prius, vt, s)

O nauis, referent in mare te noui
Fluctus: o quid agis? fortiter occupa portum.

totusque ille Horatii locus, quo nauim pro re publica, fluctuum tempeſtates pro bellis ciuilibus, portum pro pace atque concordia dicit. Tale Lucretius, t)

Auia Pieridum peragro loca. - - -

et Virgilius, u)

Sed nos immenſum ſpatiis confecimus aequor:

r) Homins c. 20. p. 368. ſagt: *Die Metapher iſt eine Wirkung der Einbildungskrafft, die ſich ein Ding unter dem Bilde eines andern vorſtellt. Die Allegorie erfodert keine Wirkung der Einbildungskraft; ſie ſtellt nicht ein Ding unter dem Bilde eines andern vor; ſie entſteht, wenn man ein Subiect wählet, in welchem ſich die Eigenſchafften oder Umſtände finden, die den Eigenſchafften oder Umſtänden des Hauptſubiects ähnlich ſind, und wenn man das erſte ſo beſchreibt, daß es das letzte vorſtellt. Das Subiect, das man auf dieſe Weiſe vorſtellt, wird entfernt gehalten; man überläßt dem Leſer, es durch Nachdenken zu entdecken; dem die Entdekung ergötzt, weil es ſein eignes Werk iſt.*

s) Horat. Od. L. I. 14. Dubitant auctores an hic vere allegoria ſit; Maxime dubium movet verſus ille, *Nuper ſollicitum, quae mihi taedium, nunc deſiderium.* Si allegoria eſt, auctor voluiſſet oſtendere, inuitum ſe ac cum taedio, Pompeianas partes ſecutum; ſed ſi proprie intelligas, nauſea et periculi metus, quamdiu in hac naui fuerit, notatur.

t) Lucretius IV. 1. allegorice dicit ſe primum philoſophiam naturalem apud Latinos carmine perſcribere, quae prioribus ſe illibata fuiſſet. Hinc multi *inuia* legunt.

u) Georg. II. v. 5. 42. *ſpumantia* Geſnerus praeferre videtur. In exercitis enim equis ſudorem non

Et iam tempus equum ſpumantia ſoluere colla.

Sine translatione vero in Bucolicis, x)

Certe equidem audieram, qua ſe ſubducere colles
Incipiunt, mollique iugum demittere cliuo,
Vsque ad aquam, et veteris iam fracta cacumina fagi,
Omnia carminibus veſtrum ſeruaſſe Menalcam.

Hoc enim loco praeter nomen cetera propriis deciſa ſunt verbis: verum non paſtor Menalcas, ſed Virgilius eſt intelligendus. Habet vſum talis allegoriae frequenter oratio, ſed raro totius: plerumque apertis permixta eſt. Tota apud Ciceronem y) talis. Hoc miror enim, querorque, quemquam hominem ita peſſumdare alterum verbis velle, vt etiam nauem perforet, in qua ipſe nauiget. Illud commixtum frequentiſſimum. z) Equidem ceteras tempeſtates et procellas in illis dumtaxat fluctibus concionum ſemper Miloni putaui eſſe ſubeundas. Niſi adieciſſet dumtaxat fluctibus concionum, eſſet allegoria: nunc eam miſcuit. Quo in genere et ſpecies ex

non in fumum modo, ſed in ſpumam etiam, frigidiore maxime aere, colligi animaduertimus. *Fumantia* probat Heyne.

x) Virgilius Ecloga IX. v. 7. Virgilius denotat, ſe poeſi agros ſuos recepiſſe, quos in calamitate Mantuanorum Atrius occupauerat.

y) Id eſt, tanto ſtudio alteri nocere velle, vt interim tibi ipſe etiam obſis.

z) *Equidem ceteras*, pro Milone c. 2.

ex arcessitis verbis venit, et intellectus ex propriis. Illud vero longe speciosissimum genus orationis, in quo trium permixta est gratia, Similitudinis, Allegoriae, et Translationis: a) Quod fretum, quem Euripum, tot motus, tantas, tam varias habere creditis agitationes, commutationes, fluctus, quantas perturbationes, et quantos aestus habet ratio comitiorum? Dies intermissus vnus, aut nox interposita saepe et perturbat omnia, et totam opinionem parua non numquam commutat aura rumoris. Nam id quoque in primis est custodiendum, vt, quo ex genere coeperis translationis, hoc desinas. Multi enim, cum initium a tempestate sumserunt, incendio aut ruina finiunt: quae est inconsequentia rerum foedissima. b) Ceterum allegoria paruis quoque ingeniis, et quotidiano sermoni frequentissime seruit.

Nam

(a Pro Muraena c. 17. Euripus est mare angustum, quod saepe fluit ac refluit; praecipue vero Euboicus intelligitur, qui septies refluit. De hoc Seneca in Hercule Oeteo v. 779.

Euripus vndas versat instabilis vagas,
Septemque cursus flectit, et totidem refert,
Dum Lapsa Titan mergit Oceano iuga.

b) Vario modo Allegoria sumitur: Vera imprimis ac propria est illa, quam inuersionem vocant; cuius finitionem Fabius dedit, et quo illa spectant, quae superius ex Homio attuli. Praecipue hic, ne aperta misceantur Allegoriae, custodiendum, vt docent Sulzerus et Homius, apud quem et exempla inuenies. Inde ironia descendunt et aenigma; multum etiam in pictura vsum habet, de quo genere scripsit Hagedorn in suo de pictura opere, et Winkelmann. Aliud Allegoriae genus sed valde improprium est, quod fit ex metaphorae continuatione; si enim metaphora, vt supra docuit Homius, plane aliud efficit quam allegoria, ex metaphora allegoria quoque fieri, nisi imperfecta, non potest. Hoc genere multum vtuntur oratores, vbi iuxta Fabium aperta translatis eleganter miscentur.

Nam illa in agendis cauſſis iam detrita, c) Pedem conferre, et iugulum petere, et ſanguinem mittere, inde ſunt: nec offendunt tamen. Eſt enim grata in eloqnendo nouitas, et commutatio: et magis inopinata delectant. Ideoque iam in his amiſimus modum, et gratiam rei nimia captatione conſumſimus. Eſt in exemplis allegoria, ſi non praedicta ratione ponantur. Nam, vt Dionyſium Corinthi eſſe, d) quo Graeci omnes vtuntur, ita plura ſimilia dici poſſunt.

Haec allegoria, quae eſt obſcurior, aenigma dicitur: vitium meo quidem iudicio, (ſi quidem dicere dilucide virtus) quo tamen et poetae vtuntur, e)

Dic, quibus in terris, et eris mihi magnus
Apollo,

Tres

c) *Pedem conferre* dicuntur oratores, ſi aduerſariorum argumenta adgrediantur: *iugulum petere*, ſi valido argumento pugnent: *ſanguinem mittere*, ſi aduerſariorum argumenta plane diſſoluant. Hic adnotandi duo Ciceronis loci ad Atticum L. I. ep. 16. *Miſſus eſt ſanguis* (id eſt, materia detracta) *inuidiae ſine dolore*, et VI. 1. *Appius dicitur curaſſe prouinciam ſanguinem ei mittendo.* Veteres, vt ait Hippocrates, vel ἐξ ἀφαιρέσεως, *diminuendo*, vel ἐξ ἀποθέσεως, *addendo* curabant. Et ſic vſus eſt Appius *diminutione*, prouinciam ſumtibus et iacturis exhauriendo.

d) *Dionyſius eſt Corinthi*, fortunae viciſſitudinem deſignat. Dionyſius enim Siculorum Tyrannus regno pulſus, Corinthi literas et muſicam docendo, ſe ſuſtentauit. *Aelian var hiſt. L.* 9. *c.* 8.

e) Virg. Ecl. III. v. 104. Virgilius interrogatus, ad agitandos Grammaticos a ſe tales verſus poſitos eſſe, reſpondit. Aenigma ſoluendum de *puteo.*

Tres pateat coeli ſpatium non amplius vlnas?

Et oratores non numquam.

In eo vero genere, quo contraria oſtenduntur, Ironia eſt: illuſionem vocant: quae aut pronuntiatione intelligitur, aut perſona, aut rei natura: nam, ſi qua earum verbis diſſentit, apparet diuerſam eſſe orationi voluntatem. Quanquam in plurimis id tropis accidit, vt interſit, quid de quo dicatur: quia (quod dicitur alibi) verum eſt, aut laudis ſimulatione detrahere, aut vituperationis laudare, conceſſum eſſe. Quale eſt, quod C. Verres, Praetor vrbanus, homo ſanctus et diligens, ſubſortitionem eius in eo codice non haberet. Et contra, Oratores viſi ſumus et populo impoſuimus. Aliquando cum riſu quodam contraria dicuntur iis, quae intelligi volunt. Quem ad modum in Clodium, Integritas tua te purgauit, mihi crede, pudor eripuit, vita ante acta ſeruauit, f)

Pluribus autem verbis cum id, quod vno aut paucioribus certe dici poteſt, explicatur, περιφρασιν vocant, circuitum loquendi, qui non numquam neceſſitatem habet, quoties dictu deformia operit: vt

f) Hoc explicat Sulzerus *Art. Spott.* Praeter veram huius tropi, quam dedit, notionem, pro recto et iuſto vſu, ne in petulantiam degeneret, prudentiſſima monita addit. Vti enim ſtupiditatis et ignorantiae optimum flagellum eſt Satyra; ita omni modo cohibenda, ne virtutem et bonitatem impie laceſſat.

vt Sallustius, Ad requisita naturae. Interim ornatum petit solum, qui est apud poetas frequentissimus: vt, g)

Tempus erat, quo prima quies mortalibus aegris
Incipit, et dono diuum gratissima serpit.

Et apud oratores non rarus, semper tamen adstrictior. Quidquid enim significari breuius potest, et cum ornatu latius ostenditur, περιφρασις est: ita, cum in vitium incidit, περισσολογια dicitur. Obstat enim, quidquid non adiuuat. Hyperbaton quoque, id est, verbi transgressionem, quam frequenter ratio compositionis et decor poscit, non immerito inter virtutes habemus. h) Fit enim frequentissime aspera et dura, et dissoluta et hians oratio, si ad necessitatem ordinis sui verba redigantur, et, vt quodque oritur, ita proximis, etiam si vinciri non potest, alligetur. Differenda igitur quaedam, et praesumenda, atque, vt in structuris lapidum impolitiorum, loco, quo conuenit, quidque ponendum. Non enim recidere ea, nec polire possumus, quo coagmentata se magis iungant, sed vtendum his, qualia sunt, eligendaeque sedes. Nec aliud potest sermonem facere numerosum, quam opportuna ordinis mutatio.

Verum id cum duobus verbis fit, ἀναστροφη dicitur, reuersio quaedam, qualia sunt vulgo, Mecum,

g) Aen. II. v. 268.

h) De Inuersione Auctor *Ueber Sprache der Deutschen*. p. 45.

cum, Secum: apud oratores et historicos, Quibus de rebus. At, cum decoris gratia distrahitur longius verbum, proprie hyperbati tenet nomen: vt, Animaduerti, iudices, omnem accusatoris orationem in duas diuisam esse partes. Nam in duas partes diuisam esse, rectum erat, sed durum et incomtum. Poetae quidem etiam verborum diuisionem faciunt, et transgressionem,

- - - Hyperboreo septem subiecta trioni.

quod oratio nequaquam recipiet.

Hyperbolen audacioris ornatus summo loco posui. Est haec ementiens superiectio. Virtus eius ex diuerso par augendi atque minuendi. i) Fit pluribus modis. Aut enim plus facto dicimus, Vomens frustis esculentis gremium suum et totum tribunal impleuit.

— — — Geminique minantur
In coelum scopuli. l)

Aut

i) Naturam hujus tropi explicavit Homius c. 20. p. 335. *Ein Gegenstand, der in Ansehung seines Umfanges außerordentlich ist, entweder sehr groß, oder sehr klein in seiner Art, setzt uns in Erstaunen; und diese Bewegung der Seele, die gleich andrer Bewegungen nach ihrer Befriedigung strebt, dringt uns einen Augenblick die Vorstellung auf, daß der Gegenstand größer oder kleiner sey als er wirklich ist. Und eben dieselbe Wirkung findet auch bey den figurlich großen und kleinen Statt. Daher kömmt die Hyperbol, welche diese augenblickliche Ueberzeugung ausdrückt.*

l) *Geminique* Aen. I. v. 163. *Credas innare* Aen. VIII. v. 691. *Fulminis* Aen. V. v. 319. *Illa vel.* Aen. VII. v. 808. — *Cicero in Antonium* Philipp. II. c. 27.

Aut res per ſimilitudinem attollimus:

— — — Credas innare reuulſas

Cycladas.

Aut per comparationem: vt,

— — — Fulminis ocior alis.

Aut ſignis quaſi quibusdam,

Illa vel intactae ſegetis per ſumma volaret
Gramina; nec teneras curſu laeſiſſet ariſtas.

Vel translatione, vt ipſum illud, volaret.

Creſcit interim hyperbole, alia inſuper addita: vt Cicero in Antonium dicit, Quae charybdis tam vorax? charybdin dico? quae, ſi fuit, fuit animal vnum: Oceanus, medius fidius, vix videtur tot res, tam diſſipatas, tam diſtantibus in locis poſitas, tam cito abſorbere potuiſſe. Exquiſitam vero figuram huius rei deprehendiſſe apud Principem Lyricorum Pindarum videor in libro, quem inſcribit ὕμνος. Is namque Herculis impetum aduerſus Meropas, qui in inſula Co dicuntur habitaſſe, non igni, nec ventis, nec mari, ſed fulmini dicit ſimilem fuiſſe: vt illa minora, hoc par eſſet. Quod imitatus Cicero, illa compoſuit in Verrem, Verſabatur in Sicilia longo interuallo non Dionyſius ille, nec Phalaris, (tulit enim illa quondam inſula multos et crudeles tyrannos) ſed nouum quoddam monſtrum ex vetere illa immanitate, quae in iisdem verſata locis dicitur. Non enim charybdin tam infeſtam ne-

neque Scyllam nauibus , quam iſtum in eodem freto fuiſſe arbitror. Nec pauciora ſunt genera minuendi,

-- vix oſſibus haerent.

Et quod Cicero in quodam ioculari libello,

Fundum Varro vocat, quem poſſim mittere funda:
Ni tamen exciderit, qua caua funda patet.

Sed huius quoque rei ſeruetur menſura quaedam. Quamuis enim eſt omnis hyperbole vltra fidem: non tamen eſſe debet vltra modum: nec alia via magis in κακοζηλίαν itur. Piget referre plurima hinc orta vitia, cum praeſertim minime ſint ignota et obſcura. Monere ſatis eſt, mentiri hyperbolen, nec ita, vt mendacio fallere velit. Quo magis intuendum eſt, quouſque deceat extollere, quod nobis non creditur. Peruenit haec res frequentiſſime ad riſum: qui ſi aptus eſt, vrbanitatis, ſin aliter, ſtultitiae nomen aſſequitur.

Eſt autem in vſu, vulgo quoque et inter eruditos, et apud ruſticos, videlicet quod a natura eſt omnibus augendi res vel minuendi cupiditas inſita, nec quiſquam vero contentus eſt. Sed ignoſcitur, quia non affirmamus. Tum eſt hyperbole virtus, cum res ipſa, de qua loquendum eſt, naturalem modum exceſſit. Conceditur enim amplius dicere, quia

dici, quantum eſt, non poteſt: meliusque vltra, quam citra, ſtat oratio. m)

C A P V T VI.

(L. IX. C. I.)

De Figuris.

Cum ſit proximo capite de tropis dictum, ſequitur pertinens ad figuras, quae ſchemata graece vocantur, locus, ipſa rei natura coniunctus ſuperiori. Nam plerique has tropos eſſe exiſtimarunt, quia ſiue ex hoc duxerint nomen, quod ſint formati quodam modo; ſiue ex eo, quod vertant orationem, vnde et motus dicuntur: fatendum erit, eſſe vtrumque eorum etiam in figuris. Vſus quoque eſt idem. Nam et vim rebus adiiciunt, et gratiam praeſtant. Nec deſunt, qui tropis figurae nomen imponant. Quo magis ſignanda eſt vtriusque rei differentia. Eſt igitur tropus, ſermo a naturali et principali ſignificatione translatus ad aliam ornandae orationis gratia: vel (vt plerique Grammatici finiunt) dictio ab eo loco, in quo propria eſt, translata in eum, in quo propria non eſt. Figura (ſicut no-

m) Hanc rationem Fabii impugnat Homius c.20.p.338. Si ad naturalem res augendi cupiditatem, de qua antea locutus eſt Fabius, mentem reflecto, mitius videtur mihi de eo eſſe iudicandum, vtut ratio, quae hic ponitur, ſola ſpectata, friuola omnino et inanis ſit. Addimus his, maxime in affectu valere Hyperbolen: timor enim *malum*, gaudia et ſpes *bonum* augent; et amor nonne pulchritudini exiguae diuinam quandam gratiam adſpirat? Pectoris igitur calidioris, non frigidae meditationis proles eſt.

nomine ipſo patet) eſt conformatio quaedam orationis, remota a communi et primum ſe offerente ratione. Quare in tropis ponuntur verba alia pro aliis. Horum nihil in figuras cadit. Nam et propriis verbis, et ordine collocatis figura fieri poteſt.

Eſt autem non mediocris inter auctores diſſenſio, n) et quae v.s nominis eius, et quot genera, et quae, quam multaeque ſint ſpecies. Quare primum intuendum eſt, quid accipere debeamus figuram. Nam duobus modis dicitur: vno, qualiscumque forma ſententiae, ſicut in corporibus, in quibus, quoquo modo ſint compoſita, vtique habitus eſt aliquis: altero, quod, proprie ſchema dicitur, in ſenſu vel ſermone aliqua a vulgari et ſimplici ſpecie cum ratione mutatio: ſicut nos ſedemus,

a) Quae Rhetores nuper in artibus ſuis praecepta figurarum dederunt, ad ſteriles, quae ingenia non alunt, ſed atterunt, ſcholaſticorum ſubtilitates relegemus. *Die, welche die Schriften der unſterblichen Alten nur deswegen leſen, um ſie zu zergliedern, und rhetoriſche Figuren, ſo wie ein Inſektenkenner die getrockneten Gerippe der Würmer, zu ſammeln, ſind zu bedauren. Sie ſuchen und finden die Regeln der Wohlredenheit; ſie werden Geſetzgeber der ſchönen Wiſſenſchaften; aber ſie empfinden die Schönheiten nicht, die ſie uns anpreiſen.* Mendelſohn. *Phil. Schriften, I. Theil p. 5.* Qui igitur naturae rerum et affectibus accomodatae ſint figurae; qui pro vario animorum habitu ſermo quoque noſter ſe formet, vt in quotidiana vita et apud ineruditos, rixantes e. g. aut lamentantes, obſeruare licet, doceamur: Natura arte iuuetur, non adulteretur: Inani vocabulorum numero bonorum iuuenum memoriam fatigare, aut ad infelicem figuras velut in rota tornandi operam damnare, nefas ſane et in teneram aetatem iniuria eſt. Quam multa adhuc in futuram obliuionem tradunt Scholae? Circumforaneos geſticulatores potius, an homines, formare malimus? [illegible] quando remedium!

mus, incumbimus, respicimus. Itaque, cum in eosdem casus, aut tempora, aut numeros, aut etiam pedes continue quis, aut certe nimium frequenter incurrit, praecipere solemus variandas figuras esse vitandae similitudinis gratia. In quo ita loquimur, tamquam omnis sermo habeat figuram. Itemque eadem figura dicimus cursitare, qua lectitare, id est, eadem ratione declinari. Quare illo intellectu priore et communi nihil non figuratum est.

Sed, si habitus quidam, et quasi gestus sic appellandi sunt, id demum hoc loco accipi schema oportebit, quod sit a simplici atque in promtu posito dicendi modo poetice vel oratorie mutatum. Sic enim verum erit, aliam esse orationem ἀσχημάτιστον, id est, carentem figuris, quod vitium non inter minima est: aliam ἐσχηματισμένην, id est, figuratam. Ergo figura sit arte aliqua nouata forma dicendi.

Duae sunt eius partes, διανοίας, id est, sententiarum; et λέξεως, id est, verborum. Quare, sicut omnem orationem, ita figuras quoque versari necesse est in sensu, et in verbis.

Vt vero natura prius est, concipere animo res, quam enuntiare: ita de iis figuris ante loquendum est, quae ad mentem pertinent: quarum quidem vtilitas cum magna, tum multiplex, in nullo non orationis opere clarissime elucet. Nam, et si minime

me videtur pertinere ad probationem, qua figura quidque dicatur, facit tamen credibilia, quae dicimus, et in animos auditorum, qua non obferuatur, irrepit. Namque, vt in armorum certamine et aduerfos ictus, et rectas ac fimplices manus cum videre, tum etiam cauere ac propulfare facile eft; auerfae tectaeque minus funt obferuabiles, et aliud oftendiffe, quam petas, artis eft: fic oratio, quae aftu caret, pondere, mole, et impulfu praeliatur; fimulanti, variantique conatus, in latera atque in terga incurrere datur, et arma auocare, et velut nutu fallere. Iam vero affectus nihil magis ducit. Nam fi frons, oculi, manus multum ad motum animorum valent, quanto plus orationis ipfius vultus ad id, quod intendimus efficere, compofitus? Plurimum tamen ad commendationem facit, fiue in conciliandis agentis moribus, fiue ad promerendum actioni fauorem, fiue ad leuandum varietate faftidium, fiue ad quaedam vel decentius indicanda, vel tutius.

CAPVT VII.

(L. IX. C. II.)

De Figuris Sententiarum.

Incipiamus ab iis, quibus acrior ac vehementior fit probatio, quod primo loco pofuimus. Simplex eft fic rogare,

Sed vos qui tandem? quibus aut veniſtis ab
oris? o)

Figuratum autem, quoties non ſciſcitandi gratia aſſumitur, ſed inſtandi: Quid enim tuus ille, Tubero, deſtrictus in acie Pharſalica gladius agebat? et, Quouſque tandem abutere, Catilina, patientia noſtra? et, Patere tua conſilia non ſentis? et totus denique hic locus. Quanto enim magis ardet, quam ſi diceretur, Diu abuteris patientia noſtra: et, Patent tua conſilia. Interrogamus etiam aut inuidiae gratia, vt Medea apud Senecam,

Quas peti terras iubes?

Aut miſerationis, vt Sinon apud Virgilium,

Heu quae me tellus, inquit, quae me
aequora poſſunt
Accipere? — —

Totum hoc plenum eſt varietatis: nam et indignationi conuenit,

— — — Et quisquam numen Iunonis
adoret?

Et admirationi,

— — --- Quid non mortalia pectora cogis,
Auri ſacra fames?

Eſt

o) *Sed uos.* Aen. I. v. 369. *Quouſque tandem.* Cat. I. c. 1. Medea apud Senecam v. 453. *Sinon* Aen. II. v 69. Et quisquam. Aen. I. v. 48. *Quid non.* Aen. III. v. 56. *Non arma.* Aen. IV. v. 592.

Maxima interrogationis vis in eo eſt, ſi maiore cum fiducia veritatem aſſerere videamur. Prouocando enim, vt quis aut contradicat aut neget, eo ipſo quae dicimus, negari non poſſe aſſeueramus. Animi veritatis ſibi maxime conſcii index eſt *interrogatio:* non, niſi rei grauitate motus ac veritatem aliis communicandi quaſi ſtimulo actus, hac figura vti poteſt.

Eſt interim acrius imperandi genus,

Non arma expedient, totaque ex vrbe ſequentur?

Eſt aliqua etiam in reſpondendo figura, cum aliud interroganti ad aliud, quia ſic vtilius ſit, occurritur, tum augendi criminis gratia, vt teſtis in reum rogatus, an ab reo fuſtibus vapulaſſet? Et innocens, inquit; tum declinandi, quod eſt frequentiſſimum. Quaero, an occideris hominem? reſpondetur, Latronem. An fundum occupaueris? reſpondetur, Meum.

Ceterum et interrogandi ſe ipſum, et reſpondendi ſibi, ſolent eſſe non ingratae vices: p) Vt Cicero pro Ligario, Apud quem igitur haec dico? nempe apud eum, qui, cum hoc ſciret, tamen me ante quam vidit, reipublicae reddidit. Cui diuerſum eſt, cum alium rogaueris, non exſpectare reſponſum, et ſtatim ſubiicere: Domus tibi deerat? at habebas. Pecunia ſuperabat? at egebas. Quod ſchema quidam per ſubiectionem vocant.

Mire vero in cauſſis valet praeſumtio, quae προληψις dicitur, cum id, quod obiici poteſt, occupamus.

p) Reſponſio inexſpectata et breuis, interrogationi ſubiecta, eandem mentis agitationem, et communicandae veritatis ardorem ſignificat: continuata vero interrogatio et reſponſio ſermocinationem facit; aliud veritatis demonſtrandae genus, quod compoſito et deliberanti animo conuenit.

pamus. q) Id neque in aliis partibus parum eſt, et praecipue prooemio conuenit.

Affert aliquam fidem veritatis et dubitatio, r) cum ſimulamus quaerere nos, vnde incipiendum, vbi deſinendum, quid potiſſimum dicendum ſit? Cuius modi exemplis plena ſunt omnia: ſed vnum interim ſufficit, Equidem, quod ad me attinet, quo me vertam, neſcio. A quo ſchemate non procul abeſt illa, quae dicitur communicatio, cum aut ipſos aduerſarios conſulimus, vt Domitius Afer pro Cloantilla, At illa neſcit trepida, quid liceat feminae, quid coniugem deceat: forte vos in illa ſolicitudine obuios caſus miſerae mulieri obtulit: tu, frater, vos, paterni amici, quod conſilium datis? Aut cum auditoribus quaſi deliberamus, quod eſt frequentiſſimum, Quid ſuadetis? et, Vos interrogo, quid tandem fieri oportuit? vt Cato: Cedo, ſi vos in eo loco eſſetis,

quid

q) Vt veritatem rite commendemus, nullum, quod illam in aliis impedire poſſit, dubium relinquere oportet. In euellendis ergo praeiudiciis aut falſis opinionibus laborant veritatis amici; vnde occupatio vim ſuam habet.

r) Eo certius perſuades, quo magis, quam proponis, nuda eſt veritas; quo minus fallere velle, aut falli poſſe, videris. Quae igitur incerta, quaeque dubia adhuc, aut plane inſolubilia ſunt, non occultare aut diſſimulare, ſed candide indicare oportet: quo ducit dubitatio; Ad haec ſi cum auditoribus tuis conſilia vſque adeo communicare, ſi aduerſariis tuis, quae poſſis, aequitatis ſtudio concedere non renuis; te et veritatem multum commendabis. Hoc in Ciceronis lectione intuendum; quod in perfectiſſimo hoc eloquentiae exemplo, non phraſes et formulas, orator ſacer ac profanus imitandum ſibi proponat.

quid aliud fecissetis? Et alibi, Communem rem agi putatote, ac vos huic rei praepositos esse.

Sed non numquam communicantes aliquid inexspectatum subiungimus, quod et per se schema est: vt in Verrem Cicero, Quid deinde? quid censetis? furtum fortasse, aut praedam aliquam? Deinde, cum diu suspendisset auditorum animos, subiecit, quod multo esset improbius. Hoc Celsus sustentationem vocat. Est autem duplex: nam contra frequenter, cum exspectationem grauissimorum fecimus, ad aliquid, quod sit leue, descendimus. Sed, quia non tantum per communicationem fieri solet, παράδοξον alii nominauerunt, id est, inopinatum.

Pene idem fons est illius, quam permissionem vocant, qui communicationis: cum aliqua ipsis auditoribus relinquimus aestimanda, alia non numquam aduersariis quoque.

Quae vero sunt augendis affectibus accommodatae figurae, constant maxime simulatione. s) Nam-

que

s) Fictas caussas spectanit Fabius, figuras mouendis affectibus aptas constare *simulatione*, si doceat. Qui orbum aut periclitantem egit in schola, inde laudem petebat, si veritati, quae diceret, assimilaret, et vera sentire ac pati videretur. Vera econtra agentibus nil minus, quam *simulatio*, aut quae eiusdem socia est, *cura* et *affectatio* conuenit. Qui Ciceronem in Catilinam exclamantem simulationis arguit, plurimum eiusdem virtuti detrahet. Vtrum grauitate commotus, vtrum ex virtutis ac veritatis sensu, an ideo, quia didicisti vel legisti, exclames, statim apparet. Auditor quiuis, et lector, quin aduertat, veris afficitur, et aegritudinem suam ipse

que et irasci nos, et gaudere, et timere, et admirari, et dolere, et indignari, et optare, quaeque sunt similia his, fingimus. Inde sunt illa, Liberatus sum. Respiraui. Et, Bene habet. et, Quae amentia est haec? et, O tempora! o mores! et, Miserum me! consumtis enim lacrimis infixus tamen pectori haeret dolor. Quod exclamationem quidam vocant, ponuntque inter figuras orationis. Haec quoties vera sunt, non sunt in ea forma, de qua nunc loquimur. Sed assimulata, et arte composita, procul dubio schemata sunt existimanda.

Quod idem dictum sit de oratione libera, quam Cornificius licentiam vocat, Graeci παρρησιαν. Quid enim minus figuratum, quam vera libertas? t)

Sed

ipse leuat exclamando; cum simulationis maximo etiam clamori frigiduli adsimus. En quae in *meditationibus uniuersi* Auctor Illustr. ex intimo plane sensu scripserit. p. 78. *Mit zärtlich geschliefnen Perioden, mit ängstlich gesuchtem Wohlklang, mit schicklichst angebrachten Tropen, mit* GENAU NACHGEAEFTEM SEELENFEUER, *da wird der künstliche Redner kalte Bewunderung erregen; aber nie die Seelen der Zuhörer entzünden, ihnen nie das Wahrheits-Gefühl tief einsitzen. Aber wenn seine Seele von Vaterlands-Liebe, von Tugend-Liebe glühet, wenn sein Herz sich gegen ungerechten Gegner empört; wenn Wahrheits-Gefühl recht in ihm ruhet: dann werden seine Worte mächtig und wirksam niederdonnern, seine Glut wird schnell seine Zuhörer ergreifen; sie werden die hohe unwiederstehliche Kraft der Wahrheit fühlen.*

t) Accedit his Iulius Scaliger acer sane veterum iudex, et duplicem libertatis rationem facit, alteram, quam oratione tota prae se ferat orator, vt quiuis vir grauis et bonus vita: alteram, quae sit huiusce libertatis commoda ostentatio, fiatque, si coram iis, quos vereri debemus, liberius quaedam, non tamen sine gratia et venustate, pronuntiemus; in quibus tamen non laudis modo, sed turpis etiam adulationis (quibus enim abuti nescit malus?) occasio est.

Sed frequenter ſub hac facie latet adulatio. Nam Cicero cum dicit pro Ligario, Suſcepto bello, Caeſar, geſto iam etiam ex parte magna, nulla vi coactus, conſilio ac voluntate mea ad ea arma profectus ſum, quae erant contra te ſumta: non ſolum ad vtilitatem Ligarii reſpicit, ſed magis laudare victoris clementiam non poteſt. In illa vero ſententia, Quid autem aliud egimus, Tubero, niſi vt, quod hic poteſt, nos poſſemus? admirabiliter vtriusque partis facit bonam cauſſam: Sed hoc eum demeretur, cuius mala fuerat.

Illa adhuc audaciora, et maiorum (vt Cicero exiſtimat) laterum, fictiones perſonarum, quae προσωποποιιαι dicuntur. Mire namque cum variant orationem, tum excitant. His aliorum cogitationes, velut ſecum loquentium, protrahimus: quae tamen ita demum a fide non abhorrent, ſi ea locutos finxerimus, quae cogitaſſe eos non ſit abſurdum: et noſtros cum aliis ſermones, et aliorum inter ſe credibiliter introducimus: et ſuadendo, obiurgando, querendo, laudando, miſerando, perſonas idoneas damus. u) Quin deducere deos in hoc genere dicendi, et inferos excitare, conceſſum eſt. Vrbes etiam populique vocem accipiunt.

Sed in his, quae natura non permittit, hoc modo mollior fit figura: Etenim ſi mecum patria, quae

u) Vt Cicero pro Coelio c. 14. 15. 16.

quae mihi vita mea multo eſt carior, ſi cuncta Italia, ſi omnis respublica ſic loquatur, M. Tulli, quid agis? Illud audacius genus: Quae tecum, Catilina, ſic agit, et quodam modo tacita loquitur, Nullum iam aliquot annis facinus exſtitit, niſi per te. Commode etiam aut nobis aliquas ante oculos eſſe rerum perſonarumue imagines fingimus, aut eadem aduerſariis aut auditoribus non accidere miramur: qualia ſunt, Videtur mihi, et, Nonne videtur tibi? Sed magna quaedam vis eloquentiae deſideratur. Falſa enim et incredibilia natura neceſſe eſt aut magis moueant, quia ſupra vera ſunt: aut pro vanis accipiantur, quia vera non ſunt.

Sed formas quoque fingimus ſaepe, vt Famam Virgilius, x) vt voluptatem ac virtutem (quem ad modum

x) Aen IV. v. 174. Vide commentationem De variis Famae apud veteres Latii poetas imaginibus Helmſtadii 1774. *Prodicus in opere ὥραι inſcripto* virtutem inter et voluptatem Herculem medium proponit, quarum quaelibet iuuenem alliceret. *Xenophon Mem. Socratis L. II. c. 1. Maximus Tyrius imitatus eſt in Diſſertat. IV. de adulatore ab amico diſcernendo.* — Hic illa proſopopoeiae ſpecies omitti non debet, quam Homius indicauit, et qua rebus inanimis vitam quidem, ſed non ſermonem damus. Ab origine ſua ſi figuram repetas; vel affectus vehementioris vel imaginationis incaleſcentis proles eſt. Vt res, niſi magnae, non mouent; ita commoti nil videmus, niſi magnum: et cum animus, et formatae in illo imagines in ſe quaſi mutuo agant, eo deuenimus, vt res abſentes nobis praeſentes eſſe, inanimes viuere et loqui nobis videantur. Potiſſimum triſtitia et gaudium nos eo ducunt. Aeger animus maxime ſympathia leuatur; et hoc ſolatio inter homines deſtitutus, ſiluis, ripis, ſaxis queritur, ſibique reſpondere fingit. In gaudio et fortuna maxime communicandi inſtinctus agit, qui, ſi homines deſideret, aliis quoque ſe rebus prodit. Hoc genus vocat Homius, *leidenſchaftliche Proſopopoee.* Subinde ſola imaginatio agit, ejusque tan-

modum a Xenephonte traditur) Prodicus, vt mortem ac vitam, quas contendentes in Satyra tradit Ennius.

Auerſus quoque ab auditore ſermo, qui dicitur αποστροφη, mire mouet, ſiue aduerſarios inuadimus, Quid enim tuus ille, Tubero, in acie Pharſalica gladius agebat? ſiue ad inuocationem aliquam conuertimur, Vos enim iam ego, Albani tumuli atque luci: ſiue ad inuidioſam implorationem, O leges Porciae, legesque Semproniae! y)

Illa vero (vt ait Cicero) ſub oculos ſubiectio tum fieri ſolet, cum res non geſta indicatur, ſed, vt ſit geſta, oſtenditur: nec vniuerſa, ſed per partes: quem locum proximo libro ſubiecimus euidentiae: et Celſus hoc nomen iſti figurae dedit. Ab aliis ὑποτυπωσις dicitur propoſita quaedam forma rerum ita expreſſa verbis, vt cerni potius videatur, quam audiri: Ipſe, inflammatus ſcelere ac furore, in forum venit: ardebant oculi: toto ex ore crudelitas emicabat. Nec ſolum, quae facta ſint aut

fiant,

ta vis eſt, vt, ſicut quotidie in nobis experimur, quaſi vigiles ſomniemus, et rebus vitae pariter ac materiae expertibus formas et actiones demus, vt Horatius *ſedentem poſt equitem atram curam finxit.* Quod genus vocat *beſchreibende Proſopopoee* Homius; ad quartum vero metaphorae genus Fabius reduxit.

y) Haec figura ex eodem prope, quo ſuperior, fonte fluit; Exemplum elegans Aen. II. v. 55.

Si non fata Deum, ſi mens non laeua fuiſſet,
Troiaque nunc ſtaret, Priamique arx alta maneres!

ſiant, ſed etiam, quae futura ſint aut futura fuerint, imaginamur. Mire tractat haec Cicero pro Milone, quae facturus fuerit Clodius, ſi praeturam inuaſiſſet.

Ειρωνειαν, inueni, qui diſſimulationem vocarent: quo nomine, quia parum totius huius figurae videntur vires oſtendi, nimirum ſicut in plerisque, graeca erimus appellatione contenti. Igitur ειρωνεια, quae eſt Schema, ab illa, quae eſt tropus, genere ipſo nihil admodum diſtat: (in vtroque enim contrarium ei, quod dicitur, intelligendum eſt) ſpecies vero prudentius intuenti diuerſas eſſe facile eſt deprehendere. Primum, quod tropus apertior eſt: et, quamquam aliud dicit ac ſentit, non tamen aliud ſimulat. Nam et omnia circa fere recta ſunt: vt illud in Catilinam, A quo repudiatus, ad ſodalem tuum, virum optimum, M. Marcellum demigraſti. In duobus demum verbis eſt ironia, ergo etiam breuior eſt tropus. At in figura totius voluntatis fictio eſt, apparens magis, quam confeſſa: vt illic verba ſint verbis diuerſa, hic ſermoni ſenſus, loci, et tota interim cauſſae conformatio: tum etiam vita vniuerſa ironiam habere videtur, qualis eſt viſa Socratis. z) Nam ideo dictus ειρων, id eſt, agens imperitum, et admirator aliorum tamquam ſapientium: vt, quem ad modum αλλεγοριαν facit

con-

z) De Ironia Socratis vide *Mendelſohn*, *Karakter des Socrates* p. 13. et ſeqq.

continua *μεταφορα*, ſic hoc ſchema faciat troporum ille contextus.

Ειρωνεια eſt et, cum ſimiles imperantibus vel permittentibus ſumus, a)

I, ſequere Italiam ventis. - - -

Et, cum ea, quae nolumus videri aduerſariis eſſe, concedimus eis. Id acrius fit, cum eadem in nobis ſunt, et in aduerſario non ſunt:

- - - Meque timoris
Argue tu, Drance, quando tot caedis acervos
Teucrorum tua dextra dedit.

Quod idem contra valet, cum aut ea, quae a nobis abſunt, aut etiam, quae in aduerſarios recidunt, quaſi fatemur:

Me duce Dardanius Spartam expugnauit adulter.

Nec in perſonis tantum, ſed et in rebus verſatur haec contraria dicendi, quam quae intelligi velis, ratio, vt totum pro Q. Ligario prooemium, et illae eleuationes, Videlicet, O Dii boni!

Scilicet is ſuperis labor eſt.

Αποσιωπησισ, quam idem Cicero reticentiam appellat, et ipſa oſtendit aliquid affectus vel irae, vt, b)

Quos

a) *I ſequere*, Aen. IV. v. 381. *Meque timoris*, Aen. XI. v. 383. *Me Duce*, Aen. X. v. 92. *Scilicet is*, Aen. IV. v. 379.

b) Aen. I. v. 135. *An huius.* Haec verba ex Tullii pro Milone oratione ſumta videntur: non illa, quam iam habemus, ſed quam dixit, quamque a Fabio lectam aliunde conſtat.

> Quos ego: ſed motos praeſtat componere fluctus:

vel ſolicitudinis, et quaſi religionis, An huius ille legis, quam Clodius a ſe inuentam gloriatur, mentionem facere auſus eſſet viuo Milone, ne dicam Conſule? De noſtrum enim omnium: non audeo totum dicere: Cui ſimile eſt in prooemio pro Cteſiphonte Demoſthenis. c)

Imitatio morum alienorum, quae ἠθοποιια, vel, vt alii malunt, μιμησις dicitur, iam inter leniores affectus numerari poteſt. Eſt enim poſita fere in eludendo: ſed verſatur et in factis, et in dictis. d) In factis, quod eſt ὑποτυπωσει vicinum: in dictis, quale eſt apud Terentium:

> At ego neſciebam, quorſum tu ires. Paruula
> Hinc eſt abrepta, eduxit mater pro ſua,
> Soror

c) Ἀλλ ἐμοι μεν; *ſed quid ego?* poſtulabat ſententia dicere, quid de ſe futurum eſſet, ſi populi beneuolentia excideret; ſed reticet et ſubiungit: ἐ βελομαι δε δυσχερες ἐιπειν ἐδεν ἀρχομενος τε λογε, *dicere incipiens, nolo vobis querelis moleſtus eſſe.*

d) Etopoeiam hic deſcripſit Fabius vt figuram, qua in iudiciali genere vterentur maxime oratores ad eludendos, quos peterent. — Sed magnae paſſim artis eſt; mores ſingulorum hominum rite exprimere, et characteres ſignare, qui tam diuerſi ſunt, quam vultus. Hoc non tam figura, quam poematis aut hiſtoriae totius color eſt. Vide Sulzeri Art. *Sitten.* Ariſtotelis de moribus doctrinam illuſtrauit Breitinger *kritiſcher Dichtkunſt I. Theils* §. 13. Inter veteres Homerus et Tacitus; inter recentiores Molierius et Shakeſpearius, optime characteres ſignarunt.

e) Terent. Eun. Act. I. ſc. 2. vt intelligi figura poſſit, totum locum oportet legere.

Soror dicta eſt: cupio abducere, vt reddam ſuis.

Sunt et illa iucunda, et ad commendationem cum varietate, tum etiam ipſa natura plurimum proſunt, quae ſimplicem quamdam, et non praeparatam oſtendendo orationem, minus nos ſuſpectos auditori faciunt. Hinc eſt quaſi poenitentia dicti: vt pro Coelio, Sed quid ego ita grauem perſonam induxi? Et quibus vtimur vulgo, Imprudens incidi. Vel cum quaerere nos, quid dicamus, fingimus, Quid reliquum eſt? et, Num quid omiſi? et cum ibidem in Verrem ait Cicero, Vnum etiam mihi reliquum huiusmodi crimen eſt: et, Aliud ex alio ſuccurrit mihi. Vnde etiam venuſti tranſitus f) fiunt; non, quia tranſitus ipſe ſit ſchema: vt Cicero, narrato Piſonis exemplo, qui annulum ſibi cudi ab aurifice in tribunali ſuo iuſſerat, velut hoc in memoriam adductus adiecit, Hic modo me com-

O mo-

f) Tranſitus fiunt vel *re*, id eſt, quae natura connexa ſunt, iungendo; vel *formula*, qua indicatur, finito loco priore, nouum inchoari. Qui artes in ſcholis et ſcientias tradunt, in recitationibus ſuis recte formulis vtuntur, quoties rem nouam explanandam, aut eandem nouis argumentis confirmandam aſſumunt; ne quid audientes fugiat, ſed vt eo magis attenti fiant. Orator contra, vt qui, ſiue dicat, ſcribatue, praemeditatum opus affert, parcius adhibeat: cogitando enim res apte iungens, lege adſociationis veras quoque in audiente ideas excitabit: quod eo magis delectabit animos, ſi inueniſſe ipſi, non ab alio moniti videantur. Affectus vero nil minus, quam aperti tranſitus, decent. Tum idea celeriter ideam perſequitur; non raro tranſilit; ſubin huc illucue fluctuat: quid huc formulae? Ideo Poeſis lyrica, in qua maxime ſe enthuſiaſmus commendat, inexſpectatos tranſitus, imo ſaltus amat, vt Horatius egregium exemplum eſt.

monuit Pifonis annulus, quod totum effluxerat. Quam multis iftum putatis hominibus honeftis de digitis annulos aureos abftuliffe? Et cum aliqua velut ignoramus, Sed earum rerum artificem, quem? quemnam? recte admones, Polycletum effe dicebant. Quod quidem non in hoc tantum valet. Quibusdam enim, dum aliud agere videmur, aliud efficimus: ficut hic Cicero confequitur, ne, cum morbum in fignis atque tabulis obiiciat Verri, ipfe quoque earum rerum ftudiofus effe credatur. Et Demofthenes iurando g) per interfectos in Marathone et Salamine id agit, vt minore inuidia cladis apud Chaeroneam acceptae laboret. Eft emphafis etiam inter figuras, cum ex aliquo dicto latens aliquid eruitur.

CAPVT VIII.

(L. IX. C. III.)

De Figuris Verborum.

Verborum vero figurae et mutatae funt femper, et, vtcumque valuit confuetudo, mutantur. Itaque fi antiquum fermonem noftro comparemus, paene iam, quidquid loquimur, figura eft: vt, huic rei inuidere, non, vt omnes veteres, et Cicero praecipue, hanc rem: et, incumbere illi, non in illum: et, plenum vino, non vini: et, huic, non hunc adu-

g) De hoc iureiurando multa eft in oratione pro Corona Longinus differit S. 16. Locus c. 60.

adulari, iam dicitur, et mille alia: vtinamque non peiora vincant Verum schemata λεξεωσ duorum sunt generum: alterum loquendi rationem vocant, alterum quod ad collocationem maxime exquisitum est. Quorum tametsi vtrumque conuenit orationi, tamen possis illud grammaticum, hoc rhetoricum magis dicere. Prius fit iisdem generibus, quibus vitia. Esset enim omne schema vitium, si non peteretur, sed accideret. Verum auctoritate, vetustate, consuetudine plerumque defenditur, saepe etiam ratione quadam. Ideoque, cum sit a simplici rectoque loquendi genere deflexa, virtus est, si habet probabile aliquid, quod sequatur. Vna tamen in re maxime vtilis, vt quotidiani et semper eodem modo formati sermonis fastidium leuet, et nos a vulgari dicendi genere defendat. Quo si quis parce, et, cum res poscet, vtetur, velut asperso quodam condimento iucundior erit: at qui nimium affectauerit, ipsam illam gratiam varietatis amittet. Quamquam sunt quaedam figurae ita receptae, vt paene iam hoc ipsum nomen effugerint; quae etiam si fuerint crebriores, aures consuetas minus ferient. Nam et secretae, et extra vulgarem vsum positae, ideoque magis nobiles, vt nouitate aurem excitant, ita copia satiant: nec se obuias fuisse dicenti, sed conquisitas, et ex omnibus latebris extractas congestasque declarant. Fiunt ergo et circa genus figurae

in nominibus: nam et oculis capti talpae, et timidi damae dicuntur a Virgilio: ſed ſubeſt ratio, quia ſexus vterque altero ſignificatur: tam enim mares eſſe talpas damasque quam feminas, certum eſt: et in verbis, vt, fabricatus eſt gladium, et, inimicos punitus eſt. Quod mirum minus eſt, quod in natura verborum eſt, et, quae facimus, patiendi modo ſaepe dicere, vt arbitror, ſuſpicor; et contra faciendi, quae patimur, vt vapulo: ideoque frequens permutatio eſt, et pleraque vtroque modo efferuntur, luxuriatur, luxuriat; fluctuatur, fluctuat; aſſentior, aſſentio; reuertor, reuerto. Eſt figura et in numero, vel cum ſingulari pluralis ſubiungitur, Gladio pugnaciſſima gens Romani, gens enim ex multis: vel e diuerſo,

— — — Qui non riſere parentes, h)
Nec Deus hunc menſa, dea nec dignata cubili eſt.

Ex illis enim, qui non riſere, hunc non dignatus Deus, nec dea dignata. Et mutatione partium, vt in Satyra, i)

— — — Et noſtrum iſtud viuere triſte
Aſpexi,

Cum infinito verbo ſit vſus pro appellatione: noſtram

h) Ecl. IV. v. 62. Geſnerus legit, *qui*, in plurali: *qui non riſere ad parentes:* vide de la Cerda. — Voſſius ad Catullum p. 146 et Heyne in Virgilium, legi malunt *cui*.

i) Perſius Sat. I. v. 9. *Magnum dat* Aen. V. v. 248.

ſtram enim vitam vult intelligi. Vtimur et verbo pro participio, vt,

Magnum dat ferre talentum,

tamquam ferendum: et participio pro verbo, Volo datum.

Haec ſchemata, et his ſimilia, quae erunt per mutationem, adiectionem, detractionem, ordinem, et conuertunt in ſe auditorem, nec languere patiuntur ſubinde aliqua notabili figura excitatum: et habent quamdam ex illa vitii ſimilitudine gratiam, vt in cibis interim acor ipſe iucundus eſt. Quod continget, ſi neque ſupra modum multae fuerint, nec eiusdem generis aut iunctae aut frequentes: quia ſatietatem, vt varietas earum, ita raritas effugit.

Illud eſt acrius genus, quod non tantum in ratione poſitum eſt loquendi, ſed ipſis ſenſibus cum gratiam, tum etiam vires accommodat. E quibus primum ſit, quod ſit per adiectionem. Plura ſunt genera. Nam et verba geminantur, vel amplificandi gratia: vt, 1) Occidi, occidi, non Sp. Melium; alterum eſt enim, quod indicat, alterum, quod affirmat: vel miſerandi, vt,

Ah Corydon, Corydon: — — —

 Quae

1) *Occidi, occidi.* pro Milone II. c. 26. *vivis* Cat. I. c. 2. c. 27. *Ah Corydon*, Virg. *Nihilne te* c. 1. Ecl. II. v. 69. *Bona.* Philipp.

Quae eadem figura non numquam per ironiam ad eleuandum conuertitur. Similis geminationis post aliquam interiectionem repetitio est, sed paullo etiam vehementior, Bona, miserum me! (consumtis enim lacrimis tamen infixus animo haeret dolor) bona, inquam, Cn. Pompeii acerbissimae voci subiecta praeconis. Viuis, et viuis non ad deponendam, sed ad confirmandam audaciam. Et ab iisdem verba plura acriter et instanter incipiunt, Nihilne te nocturnum praesidium palatii, nihil vrbis vigiliae, nihil timor populi, nihil consensus bonorum omnium, nihil hic munitissimus habendi senatus locus, nihil horum ora vultusque mouerunt? Et iisdem desinunt, m) Quis eos postulauit? Appius. quis produxit? Appius. Quamquam hoc exemplum ad aliud quoque schema pertinet, cuius initia inter se et fines iidem sunt, quis et quis, Appius et Appius. Quale est, Qui sunt, qui foedera saepe ruperunt? Carthaginenses. Qui sunt, qui crudele bellum in Italia gesserunt? Carthaginenses. Qui sunt, qui Italiam deformauerunt? Carthaginenses. Qui sunt, qui sibi ignosci postulant? Carthaginenses. Etiam in contrapositis vel comparatiuis solet respondere primorum verborum alterna repetitio: Vigilas tu de nocte, vt tuis consultoribus respondeas; ille,

vt

m) *Quis eos postulauit.* pro Mil. c. 22. *Qui sunt.* L. IV. ad Her. c. 14. *Vigilas.* pro Mur. c. 9.

vt eo, quo intendit, mature cum exercitu perueniat. Te gallorum; illum buccinarum cantus exsuscitat. Tu actionem instituis; ille aciem instruit. Tu caues, ne consultores tui; ille, ne vrbes aut castra capiantur. Sed hac gratia non fuit contentus orator, vertit in contrarium eamdem figuram: Ille tenet et scit, vt hostium copiae; tu, vt aquae pluuiae arceantur. Ille exercitatus est in propagandis finibus, tu in regendis. Possunt media quoque respondere vel primis, vt, n)

Te nemus Anguitiae, vitrea te Fucinus vnda;

vel vltimis, Haec nauis onusta praeda Siciliensi, cum ipsa quoque esset ex praeda. Nec quisquam dubitabit, idem posse fieri iteratis vtrimque mediis. Respondent primis et vltima, Multi et graues dolores inuenti parentibus, et propinquis multi. Est et illud repetendi genus, quod semel proposita iterat et diuidit,

Iphitus et Pelias mecum, quorum Iphitus aeuo
Iam grauior, Pelias et vulnere tardus Vlixi.

Ἐπάνοδος dicitur Graece, nostri regressionem vocant. Nec solum in eodem sensu, sed etiam in diuerso eadem verba contra sumuntur, Principum dignitas erat paene par, non par fortasse eorum, qui sequebantur.

 In-

n) *Te nemus* — Aen. VII. v. 759. *Haec nauis.* In Verrem Act. II, L. V. c. 17. *Multi et.* Act. II. L. V. c. 45. *Iphitus.* Aen. II. v. 435. *Principum dignitas* pro Lig. c, 6.

Interim variatur caſibus haec et generibus iteratio, Magnus eſt labor dicendi, magna res eſt: et apud Rutilium longiore περιοδω, et haec initia ſententiarum ſunt, Pater hic tuus? Patrem hunc appellas? patris tu huius filius es? Fit caſibus modo hoc ſchema, quod πολυπτωτον vocant.

Prioris ſententiae verbum vltimum, ac ſequentis primum frequenter eſt idem: Quo quidem ſchemate vtuntur poetae ſaepius,

Pierides, vos haec facietis maxima Gallo,
Gallo, cuius amor tantum mihi creſcit in horas. o)

Sed ne oratores quidem raro: Hic tamen viuit: viuit? immo vero etiam in Senatum venit.

Congregantur quoque verba idem ſignificantia: Quae cum ita ſint, Catilina, perge quo coepiſti: egredere aliquando ex vrbe: patent portae: proficiſcere. Et in eundem alio libro, Abiit, exceſſit, erupit, euaſit.

Nec verba modo, ſed ſenſus quoque idem facientes, aceruantur: Perturbatio iſtum mentis, et quaedam ſcelerum offuſa caligo, et ardentes furiarum faces excitarunt. Congeruntur et idem et diuerſum ſignificantia: Quaero ab inimicis, ſintne haec inue-

o) *Pierides* Ecl. X. v. 72. *Hic tamen.* Cat. I. c. 1. *Quae cum* c. 5. *Abiit* Cat. II. c. 1.

inueſtigata, comperta, patefacta, ſublata, deleta, exſtincta per me?

Hoc exemplum aliam quoque efficit figuram, quae, quia coniunctionibus caret, diſſolutio vocatur; apta, cum quid inſtantius dicimus. Nam ſingula inculcantur, et quaſi plura fiunt. Ideoque vtimur hac figura non in ſingulis modo verbis, ſed ſententiis etiam: vt Cicero dicit contra concionem Metelli, Qui indicabantur, eos vocari, cuſtodiri, ad Senatum adduci iuſſi; in ſenatu ſunt poſiti. Et totus hic locus. Contrarium eſt ſchema, quod coniunctionibus abundat. Illud ἀσύνδετον, hoc πολυσύνδετον dicitur,

— — — Tectumque, laremque,
Armaque, Amyclaeumque canem, Creſſamque pharetram: p)

vtrumque horum coaceruatio. Fons quidem vnus, quia acriora facit et inſtantiora, quae dicimus, et vim quamdam prae ſe ferentia, velut ſaepius erumpentis affectus. Gradatio, quae dicitur κλίμαξ, apertiorem habet artem, et magis affectatam, ideoque eſſe rarior debet. Eſt autem ipſa quoque adiectionis; repetit enim, quae dicta ſunt: et, priusquam ad aliud deſcendat, in prioribus reſiſtit. Eius exemplum ex Graeco notiſſimo q) transferatur, Nec

O 5 haec

p) *Tectumque* Georg. III. v. 344.

q) Demoſthenes pro Cteſiphonte et corona c. 55. de Lectione Fabii Geſnerus.

haec dixi quidem, ſed nec ſcripſi: nec ſcripſi quidem, ſed nec obii legationem: nec obii quidem, ſed nec perſuaſi Thebanis. Sunt tamen erudita et latina: Africano virtutem induſtria, virtus gloriam, gloria aemulos comparauit.

At quae per detractionem fiunt figurae, breuitatis nouitatisque maxime gratia petuntur: quarum vna eſt ſynecdoche, cum ſubtractum verbum aliquod ſatis ex ceteris intelligitur: vt Coelius in Antonium, ſtupere gaudio Graecus. Simul enim auditur, coepit Altera eſt per detractionem figura, de qua modo dictum eſt, cui coniunctiones eximuntur. Tertia, quae dicitur συνεζευγμενον, in qua vnum ad verbum plures ſententiae referuntur, quarum vnaquaeque deſideraret illud, ſi ſola poneretur. Id accidit aut praepoſito verbo, ad quod reliqua reſpiciant: Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia. r) Aut illato, quo plura cluduntur: Neque enim is es, Catilina, vt te aut pudor vmquam a turpitudine, aut metus a periculo, aut ratio a furore reuocauerit. Medium quoque poteſt eſſe, quod et prioribus et ſequentibus ſufficiat.

Tertium eſt genus figurarum, quae aut ſimilitudine aliqua vocum, aut paribus, aut contrariis vertunt in ſe aures, et animos excitant. Huic nomen

r) Pro Cluent. c. 6. *Neque enim.* Cat. I. c. 9.

men est παρωνομασια, quae dicitur agnominatio. Cui confinis est ἀντανακλασις, eiusdem verbi contraria significatio. Cum Proculeius quereretur de filio, quod is mortem suam exspectaret, et ille dixisset, se vero non exspectare: immo, inquit, rogo exspectes. Non ex eodem, sed ex diuerso, vicinum accipitur, cum supplicio afficiendum dicas, quem supplicatione dignum iudicaris. Aliter quoque voces aut eaedem diuersa in significatione ponuntur, aut productione tantum vel correptione mutatae: quod etiam in iocis frigidum, equidem tradi inter praecepta miror: eorumque exempla vitandi potius, quam imitandi gratia, pono. Amari iucundum est, si curetur, ne quid insit amari. Auium dulcedo ad auium ducit.

Sed elegantius, quod est positum in distinguenda rei proprietate: Hanc reipublicae pestem paulisper reprimi, non in perpetuum comprimi posse. s) Et quae praepositionibus in contrarium mutantur, Non emissus ex vrbe, sed immissus in vrbem esse videatur. Melius atque acrius, quod cum figura iucundum est, tum etiam sensu valet, Emit morte immortalitatem. Illa leuior est, Non Pisonum, sed pistorum; et, Ex oratore arator. Pessimum vero, Ne patres conscripti videantur circumscripti;

Raro

s) Cat. I. c. 12. Non emissus Cat. I. c. 2. *Ex oratore*. Philipp. III. c. 9.

Raro euenit, ſed vehementer venit. Sic contingit, vt aliquis ſenſus vehemens et acer venuſtatem aliquam, non eodem ex verbo non diſſonam, accipiat. Et cur me prohibeat pudor vti domeſtico exemplo? Pater meus contra eum, qui ſe legationi immoriturum dixerat, deinde vix paucis diebus inſumtis re infecta redierat, Non exigo, vt immoriaris legationi, immorare. Nam et valet ſenſus ipſe, et in verbis tantum diſtantibus iucunde conſonat vox, praeſertim non captata, ſed velut oblata: cum altero ſuo ſit vſus, alterum ab aduerſario acceperit.

Magnae veteribus curae fuit, gratiam dicendi e paribus contrariis acquirere. Gorgias in hoc immodicus, copioſus vtique prima aetate Iſocrates fuit. Delectatus eſt his etiam M. Tullius, verum et modum adhibuit non ingratae (niſi copia redundet) voluptati, et rem, alioqui leuem, ſententiarum pondere implevit. Nam per ſe frigida et inanis affectatio, cum in acres incidit ſenſus, innata videtur eſſe, non arceſſita. Similium fere quadruplex ratio eſt. Nam eſt primum, quoties verbum verbo ſimile, aut non diſſimile valde quaeritur: vt,

--- Puppesque tuae, pubesque tuorum. t)

et, ſic in hac calamitoſa fama, quaſi in aliqua pernicioſiſſima flamma. et, Non enim tam ſpes laudanda,

t) Aen. I. v. 399. *Sic in hac* pro Cluent. c. 1.

danda, quam res eſt. Aut certe par eſt extremis ſyllabis conſonans, Non verbis, ſed armis. Et hoc quoque, quoties in ſententias acres incidit, pulchrum eſt: Quantum poſſis, in eo ſemper experire, vt proſis. Hoc eſt παϱισον, vt plerisque placuit. Secundum, vt clauſula ſimiliter cadat, vel iisdem in vltimam partem collatis, ὁμοιοτελευτον, ſimilem duarum ſententiarum vel plurium finem: u) Non modo ad ſalutem eius exſtinguendam, ſed etiam gloriam per tales viros infringendam.

Tertium eſt, quod in eosdem caſus cadit, ὁμοιοπτωτον dicitur: vt eſt apud Afrum, Amiſſo nuper infelicis aulae, ſi non praeſidio inter pericula, tamen ſolatio vitae inter aduerſa. Ea vero videntur optima, in quibus initia ſententiarum et fines conſentiunt: vt hic, praeſidio, ſolatio. Etiam vt ſint, quod eſt quartum, membris aequalibus, quod ἰσοκωλον dicitur: Si, quantum in agro locisque deſertis audacia poteſt, tantum in foro atque iudiciis impudentia valeret. (Ισοκωλον eſt, et ὁμοιοπτωτον habet.) Non minus nunc in cauſſa cederet Aulus Caecina Sexti Ebutii impudentiae, quam tum in vi facienda ceſſit audaciae. (Ισοκωλον, ὁμοιοπτωτον, ὁμοιοτελευτον.) Accedit et ex illa figura gratia, qua nomina dixi mutatis caſibus repeti, Non minus cederet, quam ceſſit.

Con-

u) *Non modo ad ſalutem* pro Mil. c. 2. *Si quantum* pro Caecin. c. 1.

Contrapositum autem, vel, vt quidam vocant, contentio (ἀντίθετον dicitur) non vno fit modo. Nam et fit, si singula singulis opponuntur: vt, x) Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia. Et bina binis: Non nostri ingenii, vestri auxilii est. Et sententiae sententiis: Dominetur in concionibus, iaceat in iudiciis. Odit populus Romanus priuatam luxuriam, publicam magnificentiam diligit. Fit etiam assumta illa figura, qua verba declinata repetuntur, quod ἀντιμεταβολὴ dicitur: Non, vt edam, viuo; sed, vt viuam, edo. y) Et quod apud Ciceronem conuersum ita est, vt, cum mutationem casus habeat, etiam similiter desinat: vt et sine inuidia culpa plectatur, et sine culpa inuidia ponatur. z) Quod et eodem clauditur verbo: vt quod dicit de Roscio, Etenim, cum artifex eiusmodi sit, vt solus dignus videatur esse, qui scenam introeat; tum vir eiusmodi sit, vt solus videatur dignus, qui eo non accedat. a)

Ego illud de figuris adiiciam breuiter, sicut ornant orationem opportune positae, ita ineptissimas esse, cum immodice petuntur. Sunt, qui neglecto

x) *Vicit pudorem.* pro Cluent. c. 6. *Dominetur.* c. 2. quod de inuidia dicitur. — *Odit populus*, R. pro Mur. c. 36.

y) Socratis vox teste Musonio apud Stobaeum serm. 18. de incont. Item Macrob. Sat. L. II, c. 8. De Socratis continentia Eberhard *in der neuen Apologie des Socrates*, a p. 472. —

z) Pro Cluentio c. 2.

a) Pro Quintio c. 25. Nec, quae pro Roscio Comoedo c. 17. omittas.

glecto rerum pondere, et viribus ſententiarum, ſi vel inania verba in hos modos deprauarint, ſummos ſe iudicent artifices, ideoque non deſinunt eas nectere: quas ſine ſententia ſectari tam eſt ridiculum, quam quaerere habitum geſtumque ſine corpore. Sed ne hae quidem, quae recte fiunt, denſandae ſunt nimis. Nam et vultus mutatio, oculorumque coniectus, multum in actu valet: ſed ſiquis ducere os exquiſitis modis, et frontis ac luminum inconſtantia trepidare non deſinat, rideatur. Et oratio habeat rectam quamdam velut faciem: quae vt ſtupere immobili rigore non debebit, ita ſaepius in ea, quam natura dedit, ſpecie continenda eſt. Sciendum vero in primis, quid quiſque in orando poſtulet locus, quid perſona, quid tempus. Maior enim pars harum figurarum poſita eſt in delectatione. Vbi vero atrocitate, inuidia, miſeratione pugnandum eſt, quis ferat contrapoſitis, et pariter cadentibus, et conſimilibus iraſcentem, flentem, rogantem? Cum in his rebus cura verborum deroget affectibus fidem: et vbicumque ars oſtentatur, veritas abeſſe videatur.

CAPVT IX.

(L. IX. C. IV.)

De Compoſitione.

De compoſitione non equidem poſt Marcum Tullium ſcribere auderem, (cui neſcio an vlla pars ope-

operis huius ſit magis elaborata) niſi et eiusdem aetatis homines, ſcriptis ad ipſum etiam literis, reprehendere id collocandi genus auſi fuiſſent, b) et poſt eum plures multa ad eamdem rem pertinentia memoriae tradidiſſent. Itaque accedam in pleriſque Ciceroni, atque in iis ero, quae indubitata ſunt, breuior: in quibusdam paullum fortaſſe diſſentiam. Nam etiam cum iudicium meum oſtendero, ſuum tamen legentibus relinquam.

Neque ignoro quosdam eſſe, qui curam omnem compoſitionis excludant, atque illum horridum ſermonem, vt forte effluxerit, modo magis naturalem, modo etiam magis virilem eſſe contendant. Qui ſi id demum naturale eſſe dicunt, quod a natura primum ortum eſt, et quale ante cultum fuit, tota haec ars orandi ſubuertetur. Neque enim loquuti ſunt ad hanc regulam et diligentiam primi homines, nec proemiis praeparare, docere expoſitione, argumentis probare, affectibus commouere ſcierunt. Ergo his omnibus, non ſola compoſitione caruerunt: quorum ſi fieri nihil melius licebat, ne domibus quidem caſas aut veſtibus pellium tegmina, aut vrbibus montes ac ſiluas mutare oportuit. Quae porro ars ſtatim fuit? quid non cultu niteſ-

b) Brutum ſignat, de quo ad Atticum L. XIV. ep. 20. *Cum ſcripſiſſem ad eum de optimo genere dicendi non modo mihi ſed etiam tibi ſcripſit, ſibi illud, quod mihi placeret, non probari.* Brutus orationis vim et grauitatem damnabat atticos oratores imitans, in humili quodam genere verſantes, de quo plura ſuo loco.

nitescit? cur vites coercemus manu? cur eas fodimus? rubos aruis excidimus? terra et haec generat. mansuefacimus animalia? indomita nascuntur. Verum id est maxime naturale, quod fieri natura optime patitur. Fortius vero qui incompositum potest esse, quam iunctum, et bene collocatum? Neque si parui pedes vim detrahant rebus, vt Sotadeorum c) et Galliiamborum, et quorumdam in oratione simili paene licentia lasciuientium, compositionis est iudicandum. Ceterum quanto vehementior fluminum cursus est prono alueo, ac nullas moras obiiciente, quam inter obstantia saxa fractis aquis ac reluctantibus; tanto, quae connexa est, et totis viribus fluit, fragosa atque interrupta melior oratio. Cur ergo vires ipsas specie solui putent, quando nec vlla res sine arte satis valeat, et comitetur semper artem decor? An non eam, quae emissa optime est, hastam speciosissime contortam ferri videmus? et arcu dirigentium tela, quo certior manus, hoc est habitus ipse formosior? Iam in certamine armorum, atque in omni palaestra, quid satis recte cauetur ac petitur, cui non artifex motus, et certi qui-

P dam

c) Versus *Sotadei* a suo inuentore sic dicti, multis caesuris concisi erant, et retrogradi, qualis apud Fabium occurrit:

Astra tenet coelum, mare classes, area messem.

Vide Scaligeri artem poet. L. II. c. 30. Ab his parum distant *Galliiambi*, a Gallis, Cybeles sacerdotibus, sic dicti. De his Terentianus p. 2447

Nomenque Galliiambis memoratur hinc datum,
Tremulos quod esse Gallis habiles putant modos.

dam pedes adſint? Quare mihi compoſitione velut amentis quibusdam neruisue intendi et concitari ſententiae videntur.

Ideo eruditiſſimo cuique perſuaſum eſt, valere eam quam plurimum, non ad delectationem modo, ſed ad motum quoque animorum. Primum, quia nihil intrare poteſt in affectum, quod in aure, velut quodam veſtibulo, ſtatim offendit. Deinde, quod natura ducimur ad modos. d) Neque enim aliter eueniret, vt illi quoque organorum ſoni, quamquam verba non exprimunt, in alios tamen atque alios motus ducerent auditorem. In certaminibus ſacris non eadem ratione concitant animos ac remittunt: nec eosdem modos adhibent, cum bellicum eſt canendum, et cum poſito genu ſupplicandum: nec idem ſignorum concentus eſt procedente ad proelium exercitu, idem receptui carmen. Pythagoreis certe moris fuit, et, cum euigilaſſent, animos ad lyram excitare, quo eſſent ad agendum erectiores:

d) De muſicae in animos noſtros vi, vide Rouſſeau dictionair de Muſique: Sulzerus ita: *Die Natur hat eine ganz unmittelbare Verbindung zwiſchen dem Gehör und Herzen geſtiftet: iede Leidenſchaft kündigt ſich durch eigne Töne an, und eben dieſe erwecken bey andern ähnliche Empfindungen.* Cic. L. III. de orat. c. 51. *Nihil eſt tam cognatum mentibus noſtris, quam numeri atque voces; quibus et excitamur, et incendimur, et lenimur, et languescimus, et ad hilaritatem, et ad triſtitiam ſaepe deducimur: quorum illa ſumma vis carminibus eſt aptior et cantibus, non neglecta, vt mihi videtur, a Numa, rege doctiſſimo, maioribusque noſtris, vt epularum ſolennium fides ac tibiae, ſaliorumque verſus indicant; maxime autem a Graecia vetere celebrata.*

res: et, cum ſomnum peterent, ad eamdem prius lenire mentes, vt, ſi quid fuiſſet turbidiorum cogitationum, componerent. e) Quod ſi numeris et modis ineſt quaedam tacita vis, in oratione eſt vehementiſſima: quantumque intereſt, ſenſus idem quibus verbis efferatur, tantum, verba eadem qua compoſitione vel in exitu iungantur, vel fine claudantur. Nam quaedam et ſententiis parua, et elocutione modica, virtus haec ſola commendat. Denique quod cuique viſum erit vehementer, dulciter, ſpecioſe dictum, ſoluat et turbet: abierit omnis vis, iucunditas, decor. Soluit quaedam ſua in oratore Cicero, f) Nam neque me diuitiae mouent, quibus omnes Africanos et Laelios multi venalitii mercatoresque ſuperarunt. Immuta paullulum, vt ſit, Multi ſuperarunt mercatores, venalitiique, et ſequentes deinceps periodos: quas ſi ad illum modum perturbes, velut fracta aut tranſuerſa tela proieceris. Idem corrigit, quae a Graccho compoſita durius putat. Illum decet: nos hac ſimus probatione contenti, quod in ſcribendo quae ſe nobis ſolutiora obtulerint, componimus. Quid enim attinet eorum exempla quaerere, quae ſibi quiſque experiri poteſt? Illud notaſſe ſatis habeo, quo pulchri-

e) Iamblichus de vita Pythagorae c. 25. De ſchola et ſocietate a Pythagora inſtituta erudite ſcripſit Meiners in opere nuperrime edito: *Geſchichte des Urſprungs, Fortgangs und Verfalles der Wiſſenſchaften in Griechenland und Rom.* c. III. p. 403. et ſeqq.

f) C. 70.

ora et ſenſu et elocutione diſſolueris, hoc orationem magis deformem fore: quia negligentia collocationis ipſa verborum luce deprehenditur.

Itaque vt confiteor paene vltimam oratoribus artem compoſitionis, quae perfecta ſit, contigiſſe: ita illis priſcis habitam inter curas, in quantum adhuc profecerant, puto. Neque enim mihi, quamlibet magnus auctor, Cicero g) perſuaſerit, Lyſiam, Herodotum, Thucydidem, parum ſtudioſos eius fuiſſe. Genus fortaſſe ſint ſecuti non idem, quod Demoſthenes, aut Plato, quamquam et ii ipſi inter ſe diſſimiles fuerunt. Nam neque illud in Lyſia dicendi textum tenue atque rarum laetioribus numeris corrumpendum erat. Perdidiſſet enim gratiam, quae in eo maxima eſt, ſimplicis atque inaffectati coloris: perdidiſſet fidem quoque. Nam ſcribebat aliis, non ipſe dicebat, vt oportuerit eſſe illa rudibus et incompoſitis ſimilia: quod ipſum compoſitio eſt. At hiſtoriae (quae currere debet ac ferri) minus conueniſſent interſiſtentes clauſulae, et debita actionibus reſpiratio, et cludendi inchoandique ſententias ratio. In concionibus quidem etiam ſimi-

g) In orat. c. 44. in Bruto c. 17. Attentius ſi rem conſideres, nulla Fabium inter et Ciceronem pugna fuit. Non negauit Cicero numeroſam Thucydidi orationem fuiſſe; ſed *comprehenſionum*, id eſt, *periodorum* diilgentiam negauit. Ita enim in orat. c. 65., *ſi quae veteres illi (Herotodum dico et Thucydidem, totamque eam aetatem) apte numeroſeque dixerunt; ea non numero quaeſito, ſed verborum collocatione ceciderunt.*

ſimiliter cadentia quaedam, et contrapoſita deprehendas. Jn Herodoto vero cum omnia (vt ego quidem ſentio) leniter fluunt, tum ipſa διαλεκτοσ h) habet eam iucunditatem, vt latentes etiam numeros complexa videatur. Sed de propoſitorum diuerſitate poſt paullum. Nunc, quae prius iis, qui recte componere volent, diſcenda ſint.

Eſt igitur ante omnia oratio alia vincta, alia contexta, ſoluta i) alia, qualis in ſermone et epiſtolis: niſi cum aliquid ſupra naturam ſuam tractant, vt de philoſophia, de republica, ſimilibusque. l) Quod non eo dico, quia non illud quoque ſolutum habeat ſuos quosdam, et forſitan difficiliores etiam pedes, neque enim aut hiare ſemper vocalibus, aut deſtitui temporibus m) volunt ſermo et epiſtola: ſed non fluunt, nec cohaerent, nec verba de verbis trahunt, vt potius laxiora in his vincula, quam nulla ſint. Non numquam in cauſſis quoque minoribus decet eadem ſimplicitas, quae nonnullis, ſed aliis vtitur numeris, diſſimulatque eos, et tantum communit occultius. At illa con-

 nexa

h) *Ionica*, quae ſuauis ſimul et grauis eſt.

i) Oratio ſoluta hic non opponitur ligatae in verſu, ſed *perpetuae*, id eſt, *periodicae*.

l) Epiſtolae Senecae de morali Philoſophia tractant: multae hodie materiae in omni ſcientiarum genere forma epiſtolica tractantur. Plurimum ſuauitatis reperi in illis, quarum Duſch et Sturz Auctores ſunt.

m) *Temporibus*, id eſt, longis breuibusque ſyllabis inter ſe alternantibus.

nexa feries tres habet formas: Incifa, quae κομματα dicuntur, Membra, quae κολα, et περιοδον, quae eft vel ambitus, vel circumductum, vel continuatio, vel conclufio. In omni porro compofitione tria funt neceffaria, ordo, iunctura, numerus.

Primum igitur de ordine. Eius obferuatio in verbis eft fingulis, et contextis. Singula funt, quae dicimus ἀσυνδετα. In his cauendum eft, ne decrefcat oratio, et fortiori fubiungatur aliquid infirmius, vt facrilego fur, aut latroni petulans. Augeri enim debent fententiae et infurgere, vt optime Cicero, Tu, inquit, iftis faucibus, iftis lateribus, ifta gladiatoria totius corporis firmitate. Aliud enim maius alio fuperuenit. At fi coepiffet a toto corpore, non bene ad latera faucesque defcenderet. Eft et alius naturalis ordo, vt viros ac feminas, diem ac noctem, ortum et occafum dicas potius, quam retrorfum. Quaedam ordine permutato fiunt fuperuacua, vt fratres gemini. Nam fi praeceflerint gemini, fratres addere non eft neceffe. Illa nimia quorumdam fuit obferuatio, vt vocabula verbis, verba rurfus aduerbiis, nomina appofitis, et pronominibus rurfus effent priora. Nam fit contra quoque frequenter non indecore. Nec non et illud nimiae eft fuperftitionis, vt quaeque fint tempore, facere etiam ordine priora: non quin frequenter

ter ſit hoc melius, ſed quia interdum plus valent ante geſta, ideoque leuioribus ſuperponenda ſunt. Verbo ſenſum cludere, multo, ſi compoſitio patiatur, optimum eſt. In verbis enim ſermonis vis ineſt. At ſi id aſperum erit, cedat haec ratio numeris, vt fit apud ſummos Graecos Latinoſque oratores frequentiſſime. Sine dubio enim omne, quod non cludet, hyperbaton eſt: ipſum hoc inter tropos vel figuras, quae ſunt virtutis, receptum eſt. Non enim ad pedes verba dimenſa ſunt: ideoque ex loco transferuntur in locum, vt iungantur, quo congruunt maxime: ſicut in ſtructura ſaxorum rudium etiam ipſa enormitas inuenit, cui applicari, et in quo poſſit inſiſtere. Feliciſſimus tamen ſermo eſt, cui et rectus ordo, et apta iunctura, et cum his numerus opportune cadens contingit. n) Quaedam vero tranſgreſſiones et longae ſunt nimis, vt in ſuperioribus diximus libris, et interim etiam compoſitione

n) Compoſitioni plurimum indulgere oportet; nunquam tamen idearum propter hanc ſeries interrumpenda. Haec eſt linguae perfectio, ſi ita in omnem partem flecti poſſit, vt ordo numeros non confundat, et numeris nihilominus ſe accomodet oratio. Noſtrae linguae prae francogallica in hoc praerogatiuam expoſuit citatus ſaepe Auctor *über die Sprache der Deutſchen p. 39 et 45.* vbi de Inuerſione. Multum quoque illuſtrantur ex iis, quae Ramlerus ad Batteuſium in appendice ſcripſit *von den Wortfügungen der lateiniſchen Sprache, p. 332. Wenn Scaeuola dem Porſenna anzeigen will, daß er ein Römer ſey, ſo ſagt er: Romanus ſum* CIVIS. *Wenn Gauius von ſeinem Kreuze herabſchreyt, ſo ſagt er:* CIVIS *Romanus ſum. Woher dieſer Unterſchied? Die Eigenſchaft eines Römers war bey dem erſten der vornehmſte Gegenſtand; bey dem andern war es die Eigenſchaft eines Bürgers.* Vide etiam c. 2.

ne vitiosae, quae in hoc ipsum petuntur, vt exsultent atque lasciuiant: quales illae Maecenatis, o) Sole et aurora rubent plurima. Inter sacra mouit aqua fraxinos. Ne exsequias quidem vnus inter miserrimos viderem meas. Quod inter haec pessimum est, quia in re tristi ludit compositio. Saepe tamen est vehemens aliquis sensus in verbo: quod si in media parte sententiae latet, transiri intentione, et obscurari circumiacentibus solet; in clausula positum assignatur auditori, et infigitur, quale est illud Ciceronis, Vt tibi necesse esset in conspectu populi Romani vomere postridie. Transfer hoc vltimum, minus valebit. Nam totius ductus hic est quasi mucro, vt per se foedae vomendi necessitati, iam nihil vltra exspectantibus, hanc quoque adiiceret deformitatem, vt cibus teneri non posset postridie.

Iunctura sequitur. Ea est in verbis, incisis, membris, periodis. Omnia namque ista et virtutes et vitia in complexu habent. Atque vt ordinem sequar, primum quae imperitis quoque ad reprehensionem notabilia videntur, id est, quae, commissis inter se verbis duobus, ex vltima prioris, ac prima sequentis syllaba, deforme aliquod nomen efficiunt. Tum vocalium concursus: qui

cum

o) De molli Maecenatis compositione, ab Augusto exagitata, vide, quae Suetonius c. 86.

cum accidit, hiat, et interſiſtit, et quaſi laborat oratio. Peſſime longae, quae easdem inter ſe literas committunt, ſonabunt. Praecipuus tamen erit hiatus earum, quae cauo aut patulo maxime ore efferuntur. p) E, plenior litera eſt, I, anguſtior: ideoque obſcurius in his vitium Minus peccabit, qui longis breues ſubiiciet, et adhuc, qui praeponet longae breuem. Minima eſt in duabus breuibus offenſio. Atque cum aliae ſubiunguntur aliis, perinde aſperiores erunt, prout oris hiatu ſimili aut diuerſo pronuntiabuntur. Non tamen id, vt crimen ingens, expaueſcendum eſt, ac neſcio negligentia in hoc, an ſollicitudo ſit peior. Inhibeat enim neceſſe eſt hic metus impetum dicendi, et a potioribus auertat. Quare vt negligentiae pars eſt hoc pati, ita humilitatis, vbique perhorreſcere, nimiosque non immerito in hac cura putant omnes Iſocratem ſecutos, praecipue Theopompum. q) At Demoſthenes et Cicero modice reſpexerunt ad hanc partem. Nam et coeuntes literae, quae συναλοιφη dicitur, etiam leniorem faciunt orationem, quam ſi omnia verba ſuo fine cludantur; et nonnunquam hiulca etiam decent, faciuntque ampliora quaedam: vt, pulchra oratione acta omnino iactare. Tum longae per ſe,

p) *O. u. i.* pronuntiantur cauo; *a* patulo.

q) Theopompus ex Chio oriundus et orator et hiſtoricus erat. Cicero in Bruto c. 17. et in orat. c. 44. Inter ejus opera extitit hiſtoria Philippi Macedonis libros 55 complexa. Fragmenta inueniuntur apud Longinum S. 43.

et velut opimae ſyllabae aliquid etiam medii temporis inter vocales, quaſi interſiſtatur, aſſumunt. Qua de re vtar Ciceronis potiſſimum verbis, r) Habet, inquit, ille tamquam hiatus et concurſus vocalium molle quiddam, et quod indicet non ingratam negligentiam de re hominis magis, quam de verbis, laborantis.

Ceterum conſonantes quoque, eaeque praecipue, quae ſunt aſperiores, in commiſſura verborum rixantur, et S vltima cum X proxima, quarum triſtior etiam, ſi binae collidantur, ſtridor eſt: vt, ars ſtudiorum. Quae fuit cauſſa et Seruio ſubtrahendae S literae, quoties vltima eſſet, aliaque conſonante ſuſciperetur. Quod reprehendit Lauranius, Meſſala defendit. Nam neque Lucilium putant vti eadem vltima, cum dicit, Serenu' fuit, et dignu' loco. Quin etiam Cicero in oratore plures antiquorum tradit ſic locutos. Inde belligerare, po' meridiem: et illa Cenſorii Catonis, Die' hanc, aeque M litera in E mollita. Quae in veteribus libris reperta mutare imperiti ſolent: et, dum librariorum inſectari volunt inſcitiam, ſuam confitentur. Atqui eadem illa litera, quoties vltima eſt, et vocalem verbi ſequentis ita contingit, vt in

eam

r) In orat. c. 23. Huc et ad ſequentia ſpectant, quae Auctor *über die Sprache der Deutſchen* de emendanda linguae noſtrae duritie tradit p. 20 et ſeqq.

eam tranſire poſſit, etiam ſi ſcribitur, tamen parum exprimitur: vt,

Multum ille. Et,

Quantum erat,

adeo, vt paene cuiusdam nouae literae ſonum reddat. Neque enim eximitur, ſed obſcuratur, et tantum aliqua inter duas vocales velut nota eſt, ne ipſae coeant. Videndum etiam, ne ſyllabae verbi prioris vltimae ſint primae ſequentis. Id nequis praecipi miretur, Ciceroni in epiſtolis excidit, Res mihi inuiſae viſae ſunt, Brute. Et in carmine,

O fortunatam natam me Conſule Romam.

Etiam monoſyllaba, ſi plura ſunt, male continuabuntur: quia neceſſe eſt, compoſitio multis clauſulis conciſa ſubſultet. Ideoque etiam breuium verborum ac nominum vitanda continuatio, et ex diuerſo quoque longorum: afferunt enim quamdam dicendi tarditatem. Illa quoque vitia ſunt eiusdem loci, ſi cadentia ſimiliter, et ſimiliter deſinentia, et eodem modo declinata, multa iungantur. Nec verba quidem verbis, aut nomina nominibus, ſimiliaque his continuari decet: cum virtutes etiam ipſae taedium pariant, niſi gratia varietatis adiutae. Membrorum, inciſorumque iunctura non eo modo eſt obſeruanda, quo verborum, quamquam et in his extrema et prima coeunt. Sed plurimum refert compoſitionis, quae quibus anteponas. Nam et,

vo-

Vomens fruſtis eſculentis, vinum redolentibus, gremium ſuum et totum tribunal impleuit: et contra (nam frequentius vtar iisdem diuerſarum quoque rerum exemplis, quo ſint magis familiaria) Saxa atque ſolitudines voci reſpondent, beſtiae ſaepe immanes cantu flectuntur, atque conſiſtunt. Magis id inſurgebat, ſi verteretur: nam plus eſt, ſaxa, quam beſtias commoueri: vicit tamen compoſitionis decor.

Sed transeamus ad numeros. Omnis ſtructura ac dimenſio et copulatio vocum conſtat aut numeris (numeros ῥυθμȣς accipi volo) aut μετρῳ, id eſt, dimenſione quadam. Quod etiam ſi conſtat vtrumque pedibus, habet tamen non ſimplicem differentiam. Nam rhythmi, id eſt, numeri, ſpatio temporum conſtant: metra etiam ordine: ideoque alterum eſſe quantitatis videtur, alterum qualitatis. s) Ρυθμος aut par eſt, vt dactylus. Vnam enim

s) Tempora, ad quae ſyllabae dimenſae pronuntiantur, *rhythmum* ſiue *numerum;* modus vero, quo ſyllabae in numero adhibentur, *metrum* faciunt. Sic cum duo longarum ſyllabarum tempora ſpondeum efficiant; *dactylus* vna longa et duabus breuibus, anapaeſtus duabus breuibus et longa idem plane tempus conſtituunt, ſed diuerſo modo. Ex metro, quo ſyllabae leniter in aures influunt fit melodia, quae eſt in verſu et periodica oratione, eo ſolo diſcrimine, quod verſus ad certas clauſulas adſtrictos, oratio liberiores pedes habeat: in qua idem *numerus. oratorius* dicitur: de quo infra Fabius. Recentiores addunt *Harmoniam* quoque: Auctor *über die Sprache der Deutſchen* ita exponit p. 16. *Es giebt in der Schreibart, wie in der Muſik, Melodie und Harmonie. Melodie, wenn die Töne, Sylben und Wörter auf*

enim ſyllabam parem breuibus habet. Eſt quidem vis eadem et aliis pedibus, ſed nomen illud tenet: (Longam eſſe duorum temporum, breuem vnius, etiam pueri ſciunt) aut ſeſcuplex, vt paeon: cuius vis eſt ex longa et tribus breuibus: quique ei contrarius, ex tribus breuibus et longa, vel alia quoque modo tempora tria ad duo relata ſeſcuplum faciunt: aut duplex, vt iambus: nam eſt ex breui et longa: quique eſt ei contrarius. t) Sunt hi et metrici pedes: ſed hoc intereſt, quod rhythmo indifferens eſt, dactylusne ille priores habeat breues, an ſequentes. Tempus enim ſolum metitur, vt a ſublatione ad poſitionem iisdem ſit ſpatiis pedum. In verſu pro dactylo poni non poterit anapaeſtus aut ſpondeus: nec paeon eadem ratione a breuibus incipiet ac deſinet. Neque ſolum alium pro alio pedem metrorum ratio non recipit, ſed ne dactylum quidem, aut forte ſpondeum alterum pro altero.

Ita

auf eine dem Ohre ſchmeichelnde Art hintereinander folgen: Harmonie in ſo fern die Anordnung der Perioden vnd der Fall der Wörter nicht nur mit dem Gedanken und der Empfindung, ſondern auch mit dem Ganzen übereinſtimmen cet. Vide etiam, quae Homius *von der Verſification p.* 130. vbi diſcrimen verſum inter et proſam dedit. Item Sulzer Articulis *Metrum, numerus, Rhythmus.*

t) *Tempora* ſunt momenta, quae in ſyllaba pronuntianda conficiuntur: ſi in verbo tempora ſint *aequalia*, vt vnum momentum metiatur aliud, numerus eſt *par*, vt in dactylo duae breues, aequales longae ſunt ◡◡ –; ſi diuerſa ſint tempora, vt vnum metiatur aliud, et aliud tamen ſuperſit momentum; numerus eſt *inaequalis*, et dicitur ſexcuplex, vt in paeone – ◡◡◡; ſi duo tantum ſint diuerſa momenta vt in iambo ◡ – aut trochaeo – ◡; numerus eſt duplex.

Itaque si quinque continuos dactylos, vt sunt in illo,

Panditur interea domus omnipotentis Olympi,

confundas, solueris versum.

Sunt et illa discrimina, quod rhythmis libera spatia, metris finita sunt: et his certae clausulae, illi, quo modo coeperant, currunt vsque ad μεταβολὴν, id est, transitum in aliud genus rhythmi. Metrici quidem pedes adeo reperiuntur in oratione, vt in ea frequenter non sentientibus nobis omnium generum excidant versus; contra nihil est in prosa scriptum, quod non redigi possit in quaedam versiculorum genera. Igitur posco hoc mihi, vt, cum pro composito dixero numerum, et vbicumque iam dixi, oratorium dicere intelligar.

Collocatio autem verba iam probata, et electa, et velut assignata sibi debet connectere: nam vel dura inter se commissa potiora sunt inutilibus. Tamen et eligere quaedam, dum ex iis, quae idem significent, atque idem valeant, permiserim: et adiicere, dum non otiosa: et detrahere, dum non necessaria: sed et figuris mutare et casus et numeros, quorum varietas, frequenter gratia compositionis adscita, etiam sine numero solet esse iucunda. Etiam vbi aliud ratio, aliud consuetudo poscit, vtrum volet, sumat compositio, Vitauisse vel vitasse,

taſſe, Deprehendere vel deprendere. Coitus etiam ſyllabarum non negabo, et quidquid ſententiis aut eloquentiae non nocebit. Praecipuum tamen in hoc opus eſt, ſcire quod quoque loco verbum maxime quadret. Atque is optime componet, qui hoc ſolum componendi gratia faciet.

Ratio vero pedum in oratione eſt multo, quam in verſu, difficilior: primum, quod verſus paucis continetur, oratio longiores habet ſaepe circuitus, deinde quod verſus ſemper ſimilis ſibi eſt, et vna ratione decurrit, orationis compoſitio niſi varia eſt, et offendit ſimilitudine, et affectatione deprehenditur. Et in omni quidem corpore, totoque (vt ita dixerim) tractu, numeris inſerta eſt. Neque enim loqui poſſumus, niſi e ſyllabis breuibus ac longis, ex quibus pedes fiunt. Magis tamen et deſideratur in clauſulis, et apparet: primum, quia ſenſus omnis habet ſuum finem, poſſidetque naturale interuallum, quo a ſequentis initio diuidatur: deinde, quod aures, continuam vocem ſecutae, ductaeque velut prono decurrentis orationis flumine, tum magis iudicant, cum ille impetus ſtetit, et intuendi tempus dedit. Non igitur durum ſit, neque abruptum, quo animi velut reſpirant ac reficiuntur. Haec eſt ſedes orationis, hoc auditor exſpectat, hic laus omnis declamat. u) Proximam clauſulis diligen-

tiam

u) Ramler *von der Wortfügung* ita p. 346. *Das Ohr, der Geiſt;*

tiam poſtulant initia: nam et ad haec intentus auditor eſt. Sed eorum facilior ratio eſt. Non enim cohaerent aliis, nec praecedentibus ſeruiunt, ſed nouum exordium ſumunt; cum illa, quam libet ſit compoſita, ipſam gratiam perdat, ſi ad eam rupta via veniamus. Mediis quoque non ea modo cura ſit, vt inter ſe cohaereant, ſed ne pigra, ne longa ſint: ne, quod nunc maximum vitium eſt, breuium contextu reſultent, ac ſonum reddant pane puerilium crepitaculorum. Nam vt initia clauſulaeque plurimum momenti habent, quoties incipit ſenſus, aut deſinit: ſic in mediis quoque ſunt quidam conatus, qui leuiter interſiſtunt, vt currentium pes etiam ſi non moratur, tamen veſtigium facit. Itaque non modo membra atque inciſa bene incipere atque cludi decet, ſed etiam in iis, quae non dubie contexta ſunt, nec reſpiratione vtuntur, ſpiritum ſuſtinemus. Quis enim dubitet, vnum ſenſum et vnius ſpiritus eſſe, Animaduerti, iudices, omnem accuſa-

Geiſt, das Herz haben einen gemeinſchaftlichen Einfluſs n eine Rede. Das Ohr beſchäftigt ſich mit dem Numerus und Harmonie; der Geiſt mit dem Verſtand und Gedanken; das Herz mit dem Intereſſe desjenigen, der redet, oder zu wem er redet. Der Geiſt hat keinen andern Endzweck, als ſeinen Gedanken zu verfolgen und zu Ende zu bringen, welches mehrentheils durch das Zeitwort geſchieht. Wenn die Redensart und der Gedanke geendigt iſt; ſo verweilet ſich der Geiſt und ruhet aus: ibi ſedes orationis. *Eben ſo verweilet das Ohr nothwendiger Weiſe an den Ruhſtellen des Geiſtes. Hier beurtheilt es nach Bequemlichkeit die Töne, die es getroffen haben. Aus dieſer Urſache will auch die Kunſt, die allzeit mit der Natur übereinſtimmt, daſs die Endeſyllben aus den allerangenehmſten und ausgeſuchteſten Tönen der ganzen Perioden beſtehen ſollen. cet.*

cuſatoris orationem in duas diuiſam eſſe partes? tamen et duo prima verba, et tria proxima, et deinceps duo rurſus, ac tria, ſuos quaſi numeros habent. Illi velut occulti gradus: ſicut apud rhythmicos aeſtimantur.

Hae particulae, prout ſunt graues, acres, lentae, celeres, remiſſae, exultantes; proinde id, quod ex illis conficitur, aut ſeuerum, aut luxurioſum, aut quadratum aut ſolutum erit. Quaedam etiam clauſulae ſunt claudae atque pendentes, ſi relinquantur; ſed ſequentibus ſuſcipi ac ſuſtineri ſolent, eoque facto, vitium, quod erat in fine, continuatio emendat. Non vult P. R. obſoletis criminibus accuſari Verrem. durum, ſi deſinas: Sed cum eſt continuatum iis, quae ſequuntur, quanquam natura ipſa diuiſa ſint, Noua poſtulat, inaudita deſiderat: ſaluus eſt curſus.

Verſum in oratione fieri, multo foediſſimum eſt, totum; ſicut etiam in parte, deforme: vtique ſi pars poſterior in clauſula deprehendatur, aut rurſus prior in ingreſſu. Nam quod eſt contra, ſaepe etiam decet, quia et cludit interim optime prima pars verſus, dum intra paucas ſyllabas, praecipue ſenarii atque octonarii. In Africa fuiſſe, initium ſenarii eſt, primum pro Q. Ligario caput cludit. Eſſe videtur, nunc nimis frequens, octonarium inchoat.

choat. Et vltima verſuum initio conueniunt orationis: Etſi vereor, iudices. et, Animaduerti, iudices. Sed initia initiis non conueniunt. T. Liuius hexametri exordio coepit, x) Facturusne operae pretium ſim. Nam ita edidit, eſtque melius, quam quo modo emendatur. Nec clauſulae clauſulis: vt Cicero, Quo me vertam, neſcio, qui trimetri y) finis eſt. Peius claudit finis hexametri: vt Brutus in epiſtolis, Neque enim illi malunt habere tutores aut defenſores, quamquam ſciunt placuiſſe Catoni.

Sed quia orationem omnem conſtare pedibus dixi, aliqua de iis quoque: quorum nomina quoniam varia eſſe traduntur, conſtituendum eſt, quo quemque appellemus. Et quidem Ciceronem ſequar,

x) Putat Rykius ad Taciti annales, non temere hoc factum a Liuio; vti nec Salluſtio, qui *Bellum Iugurthinum* a *ſpondaico* incipit, *Bellum ſcripturus ſum, quod populus cet.* nec ab ipſo adeo Tacito, cuius prima annalium verba ſunt: *Vrbem Romam a principio Reges habuere.* Et ſane difficile adducor, vt credam, id in Principio tribus ſummis ſcriptoribus imprudentibus excidiſſe, vbi prima attentio eſſe ſolet. Hexametri verſus naturam ſi accuratius ſpectes, laudatorum ſcriptorum numeroſa oratio a Fabii regulis non recedit. Hexameter non tam pedibus, quam caeſura et accentu pedum conſtat, cuius doctrinam exactiſſime dedit Homius c. 18. p. 140. et ſeqq. Itaque ſi Fabius doceat verſum Hexametri a proſa abeſſe debere, caeſuram non pedes videtur intelligere, quod adhuc manifeſtius fit, cum initia verſus in fine orationis, et finem in principio adhiberi poſſe ſuadet.

y) Trimeter verſus eſt iambus ſex conſtans pedibus, ſed, quod quilibet pes breuem habet et longam ſyllabam; duo ſe metiuntur et aequales fiunt tribus longis: ◡ – ◡ – idem tempus inſumunt ac hi – – –: ideoque in menſurae percuſſionibus bini habentur pro vno, inde Horat. art. poet. v. 252.

Vnde et trimetris adcreſcere iuſſit
Nomen iambeis, ſenos cum redderet ictus.

quar, (nam is eminentiſſimos Graecorum eſt ſecutus) excepto, quod pes tres ſyllabas non videtur excedere: quamquam ille paeone dochimoque, quorum prior in quatuor, ſecundus in quinque excurrit, vtatur. Nec tamen ipſe diſſimulat, quibusdam numeros videri, non pedes: nec immerito. Quidquid enim ſupra tres ſyllabas habet, id ex pluribus eſt pedibus. Ergo cum conſtent quatuor pedes, binis, octo, ternis: ſpondeum longis duabus, pyrrhichium, quem alii periambum vocant, breuibus; iambum breui longaque; huic contrarium e longa et breui, choreum nos, non vt alii trochaeum, nominemus. Ex iis vero, qui ternas ſyllabas habent, dactylum longa duabusque breuibus; huic temporibus parem, ſed retro actum, appellari conſtat anapaeſton. Media inter longas breuis faciet amphimacrum, ſed frequentius eius nomen eſt creticus. Longa inter breues, amphibrachys; duabus longis breuem ſequentibus, bacchius; totidem longis breuem praecedentibus, huic contrarius palimbacchius erit. Tres breues trochaeum, quem tribrachyn dici volunt, qui choreo trochaei nomen imponunt; totidem longae moloſſon efficiunt. Horum pedum nullus non in orationem venit, ſed quo quique ſunt temporibus pleniores longisque ſyllabis magis ſtabiles, hoc grauiorem faciunt orationem, breues celerem ac mobilem. V-

 trum-

trumque locis vtile. Nam et illud, vbi opus eſt velocitate, tardum et ſegne, et hoc, vbi pondus exigitur, praeceps ac reſultans, merito damnetur.

Totus vero hic locus non ideo tractatur a nobis, vt oratio, quae ferri debet ac fluere, dimetiendis pedibus ac perpendendis ſyllabis conſeneſcat. Nam id tum miſeri, tum in minimis occupati eſt. Neque enim, qui ſe totum in hac cura conſumſerit, potioribus vacabit: ſiquidem relicto rerum pondere, ac nitore contemto, teſſerulas (vt ait Lucilius) ſtruet, et vermiculate inter ſe lexeis committet. z) Nonne ergo refrigeretur ſic calor, et impetus pereat, vt equorum curſum qui dirigit, minuit: et paſſus qui aequat, curſum frangit? Quaſi numeri non fuerint in compoſitione deprehenſi: a) ſicut poema nemo dubitauerit imperito quodam initio fuſum, et aurium menſura, et ſimiliter decurrentium ſpatiorum obſeruatione eſſe generatum, mox in eo re-

pertos

z) *Teſſerulae* ſunt lapilli quadrati apte formati, quibus pauimenta ſternebant, *teſſelata* dicta. *Vermiculatum* appellamus opus, quod conſtat minutis quidem, ſed variis formis, repraeſentatque diuerſas ſpecies. Ad hunc Lucilii verſum alludit Cicero de orat. L. III. c. 43. *Quam lepide lexeis* (id eſt, verba) *compoſtae*, *vt teſſerulae omnes Endo pauimento atque emblemate vermiculato.* Viſuntur inter reliquias Herculani. Ad hoc referenda ſunt opera Muſiua, in quibus magnus erat luxus veterum. Vide Winkelmanns *Geſchichte der Kunſt des Alterthums Th. II. p.* 406. 7. item Sulzer Art. *Moſaiſch.*

a) Id eſt, in compoſita Herotodi, Thucydidis aliorumque oratione numeri deprehenſi ſunt, ex quorum obſeruatione, ſicut in verſu, *ars compoſitionis* formari coepta eſt.

pertos pedes. Satis igitur in hoc nos componit multa ſcribendi exercitatio, vt ex tempore etiam ſimilia fundamus. Neque vero tam ſint intuendi pedes, quam vniuerſa comprehenſio: vt verſum facientes totum illum decurſum, non ſex vel quinque partes, ex quibus conſtat verſus, aſpiciunt. b) Ante enim carmen ortum eſt, quam obſeruatio carminis. Indeque illud:

Fauni vatesque canebant. c)

Ergo quem in poemate locum habet verſificatio, eum in oratione compoſitio. Optime autem de illa iudicant aures, quae et plena ſentiunt, et parum expleta deſiderant, et fragoſis offenduntur, et lenibus mulcentur, et contortis excitantur, et ſtabilia probant, clauda deprehendunt, redundantia et nimia faſtidiunt. d) Ideoque docti rationem componendi intelligunt, etiam indocti voluptatem. Quaedam vero arte tradi non poſſunt. Mutandus eſt caſus, ſi durius is, quo coeperamus, feratur. Num, in quem tranſeamus ex quo, praecipi poteſt? Figu-

 rae,

b) Repete quae Homius c. 18. de ſyllabis, caeſura, et accentu Hexametri verſus, p. 140. et ſeqq.

c) Hoc verſu ſignificare voluit Ennius, ſe primum Latinis carmen apte condidiſſe: quaſi priores poetae vſi fuiſſent verſibus incomtis et impolitis, cuiuscemodi olim Fauni in oraculis reddebant.

d) Iudicium aurium adquiritur alte recitando iuxta declamationis leges, ſicut muſicus fit canendo: a verſibus aptis et mollibus inchoes, a quibus ad ſolutae orationis numeros deſcendendum. Virgilius et Ouidius inter poetas; Liuius et Cicero in proſa omnes antecellunt, quibus diligenter lectis pro noſtra etiam expolienda lingua aures formabuntur.

rae laboranti etiam compositioni variatae saepe succurrunt. Quae? cum orationis, tum etiam sententiae. Num praescriptum eius rei vllum est? Occasionibus vtendum, et cum re praesenti deliberandum. Enimuero spatia ipsa, quae in hac quidem parte plurimum valent, quod possint, nisi aurium, habere iudicium? Cur alia paucioribus verbis satis plena, vel nimium, alia pluribus breuia et abscissa sunt? Cur in circumductionibus, etiam cum sensus finitus est, aliquid tamen loci vacare videtur? Neminem vestrum ignorare arbitror, iudices, hunc per hosce dies sermonem vulgi, atque hanc opinionem populi Romani fuisse. Cur hosce potius, quam hos? Neque enim erat asperum. Rationem fortasse non reddam, sentiam esse melius. Cur non satis sit, sermonem vulgi fuisse? Compositio enim patiebatur. Ignorabam; sed ita vt audio, hoc animus accipit plenum sine hac geminatione non esse. Ad sensum igitur referenda sunt. Nequeas satis forte, quid seuerum, quid iucundum sit, intelligere: facias quidem natura duce melius, quam arte: sed naturae ipsi ars inerit.

Illud prorsus oratoris, scire vbi quoque genere compositionis sit vtendum. Ea duplex obseruatio: altera, quae ad pedes refertur; altera, quae ad comprehensiones, quae efficiuntur ex pedibus. Et de his prius. Diximus igitur esse incisa, membra,

bra, circuitus. Incisum (quantum mea fert opinio) erit sensus non expleto numero conclusus; plerisque pars membri. Tale est enim, quo Cicero vtitur, Domus tibi deerat? at habebas. pecunia superabat? at egebas. Fiunt autem etiam singulis verbis incisa, vt, Diximus, testes dare volumus: incisum est, diximus. Membrum autem est sensus numeris conclusus, sed a toto corpore abruptus, et per se nihil efficiens. Id enim, O callidos homines, perfectum est: at, remotum a ceteris, vim non habet, vt per se manus, et pes, et caput: et, O rem excogitatam, o ingenia metuenda. Quando ergo incipit corpus esse? cum venit extrema conclusio, Quem, quaeso, nostrum fefellit, id vos ita esse facturos? quam Cicero breuissimam putat. Itaque fere incisa et membra mixta sunt, et conclusionem vtique desiderant. Periodo plurima nomina dat Cicero, ambitum, circuitum, comprehensionem, continuationem, circumscriptionem. Genera eius duo sunt: alterum simplex, cum sensus vnus longiore ambitu circumducitur; alterum, quod constat membris et incisis, quae plures sensus habent. Habet periodus membra minimum duo. Medius numerus videtur quatuor: sed recipit frequenter et plura. Modus ei a Cicerone e) aut quatuor senariis versibus, aut ipsius spiritus

 modo

e) In oratore c. 66.

modo terminatur. Praeſtare debet, vt ſenſum concludat: ſit aperta, vt intelligi poſſit: non immodica, vt memoria contineri. Membrum longius iuſto, tardum: breuius, inſtabile eſt. f)

Vbicumque acriter erit et inſtanter pugnaciterque dicendum, membratim coeſimque dicemus. Nam hoc in oratione plurimum valet: adeoque rebus accommodanda compoſitio, vt aſperis aſperos etiam numeros adhiberi oporteat, et cum dicente aeque audientem inhorreſcere. Membratim plerumque

rumque

f) Quam neceſſaria eſt periodi faciendae ars, tam male in ſcholis et tradi et exerceri, ſummo ingeniorum malo, ſolebat: μεχανικως didicimus, natura et vis aeſthetica ſemper latuit. Res naturae ſimpliciſſimae vacuis et ſenſu carentibus diuaricabantur ſententiis, vt *pauca multis* dicere tum plane virtus eſſet; cum ſit vera periodi ac prope diuina vis, vt plures, ſicut pictor in tabula facit, res apte in vnum conferantur, et ſimul quaſi in conſpectu ponantur. En. quae Sulzerus diſſerat: *Man muß die Wirkung vor Augen haben, die überhaupt darinn beſteht, daß durch den Perioden viele Vorſtellungen und Urtheile in eins verbunden werden; mithin auf eins abzielen, und eine deſto größere und ſchnellere Wirkung hervorbringen. Die Rede hat allemal die Schilderung einer Sache, oder die Feſtſetzung eines Urtheils zum Zweck. Im erſten Fall iſt ſie ein wirkliches Gemälde, darinn alles auf eine Hauptvorſtellung übereinſtimmet. Wo alles ſo ziemlich colorirt und angeordnet werden muß, wie es der lebhafteſte Eindruck des Ganzen erfodert. In dem andern Fall iſt ſie ein Vernunftſchluß, darinn iedes einzelne auf die Gewißheit und unumſtoßliche Wahrheit eines einzigen Satzes abzielet. Wie vortheilhaft und wie ſogar unentbehrlich die Perioden zu beyden Abſichten ſind, läßt ſich am beſten in Beyſpielen zeigen.* Prouocatur ad Liuii narrationem de Antiocho, L. XXXIII. c. 2. Vbi periculoſiſſimo implicitus bello, tanquam in media pace, voluptatibus ſuis rex indulgere dicitur, quod dictione periodica, cuius inter omnes facile peritiſſimus eſt Liuius, eleganter exprimitur. De linguae noſtrae periodis Heinze *Ep. I. von den Abſichten eines Ueberſetzers; von den deutſchen Perioden, und ob es eine deutſche Beredſamkeit gäbe.*

rumque narrabimus, aut ipsas periodos maioribus interuallis, et velut laxioribus nodis resoluemus: exceptis quae non docendi gratia, sed ornandi narrantur: vt in Verrem Proserpinae raptus. g) Hic enim lenis et fluens contextus decet. Periodus apta prooemiis maiorum caussarum, vbi solicitudine commendatione, miseratione res eget. Item communibus locis, et in omni amplificatione: sed poscitur tum austera, si accuses; tum fusa, si laudes. Multum et in epilogis pollet. Totum autem adhibendum est, quo sit amplius compositionis genus, cum auditor non solum rem tenet, sed etiam captus est oratione, et se credit actori, et voluptate iam ducitur. Historia non tam finitos numeros, quam orbem quemdam contextumque desiderat. Namque omnia eius membra connexa sunt, quoniam lubrica est, ac fluit: vt homines, qui manibus inuicem apprehensis gradum firmant, continent et continentur. Demonstratiuum genus omne fusiores habet, liberioresque numeros. Iudiciale et concionale, vt materia varium est, sic etiam ipsa collocatione verborum. Vbi iam nobis pars ex duabus, quas modo fecimus, secunda tractanda est. Nam quis dubitat alia lenius, alia concitatius, alia sublimius, alia pugnacius, alia grauius esse dicenda? Grauibus, sublimibus, ornatis, longas magis syllabas conueni-

 re?

g) Act. II. L. IV. c. 48.

re? Ita vt lenia ſpatium, ſublimia et ornata claritatem quoque vocum poſcant, potius quam his contraria.

In vniuerſum autem, ſi ſit neceſſe, duram potius atque aſperam compoſitionem malim eſſe, quam effeminatam et eneruem, qualis apud multos: et quotidie magis laſciuimus ſyntonorum modis ſaltitantes. h) At ne tam bona quidem vlla erit, vt debeat eſſe continua, et in eosdem ſemper pedes ire. Nam et verſificandi genus eſt, vnam legem omnibus ſermonibus dare: et id cum manifeſta affectatione, (cuius rei maxime cauenda ſuſpicio eſt) tum etiam ſimilitudine taedium ac ſatietatem creat: quoque eſt dulcius, magis perit: amittitque et fidem, et affectus, motusque omnes, qui eſt in hac cura deprehenſus: nec poteſt ei credere, aut propter eum dolere et iraſci auditor, cui putat hoc vacare. Ideoque initia quaedam quaſi ſoluenda de induſtria ſunt, illa quidem maximi laboris ne laborata videantur. Sed neque longioribus, quam oportet, hyperbatis compoſitioni ſeruiamus, ne, quae eius gratia fecerimus, propter eam feciſſe videamur. Et certe nullum

h) *Syntoni* ſunt iuxta Turnebum ſymphoniaci, qui inſtrumentis pulſatis et harmoniam efficientibus modos ſaltantibus ſuggerunt, aut qui tonis et cantus modulationi, conueniente corporis motu, reſpondent: Geſnerus rem confici putat, ſi legatur, *Sybaritarum*; notum enim ex Athenaei L. IX. c. 16. adeo illos numeris deditos fuiſſe, vt equos ſaltare docerent, quod illis exitio fuit.

lum aptum atque idoneum verbum praetermittemus gratia lenitatis. Neque enim erit vllum tam difficile, quod non commode inferi possit: nisi quod in euitandis eius modi verbis non decorem compositionis quaerimus, sed facilitatem. Non tamen mirabor, Latinos magis indulsisse compositioni, quam Atticos, quamuis minus in verbis habeant varietatis et gratiae. Nec vitium dixerim, si Cicero a Demosthene paullulum in hac parte desciuit. Sed quae sit differentia nostri Graecique sermonis, explicabit summus liber. Compositio (nam finem imponere egresso destinatum modum volumini festino) debet esse honesta, iucunda, varia. Eius tres partes, ordo, coniunctio, numerus. Ratio, adiectione, detractione, mutatione. Vsus pro natura rerum, quas dicimus. Cura magna, vt sentiendi atque loquendi prior sit. Dissimulatio curae praecipua, vt numeri sponte fluxisse, non arcessiti et coacti esse videantur.

CAPVT X.

(L. X. C. I.)

De Copia verborum.

Sed haec eloquendi praecepta, sicut cognitioni sunt necessaria, ita non satis ad vim dicendi valent, nisi illis firma quaedam facilitas, quae apud Graecos ἕξις nominatur, accesserit: quam scribendo plus, an

an legendo, an dicendo consequamur, solere quaeri scio. Quod esset diligentius nobis examinandum, si qualibet earum rerum possemus vna esse contenti. Verum ita sunt inter se connexa et indiscreta omnia, vt, si quid ex his defuerit, frustra sit in ceteris laboratum. Nam neque solida atque robusta fuerit vmquam eloquentia, nisi multo stilo vires acceperit: et citra lectionis exemplum labor ille, carens rectore, fluit. i) Qui autem scierit, quo sint quaeque modo dicenda, nisi tamquam in procinctu, paratam quidem ad omnes casus habuerit eloquentiam, velut clausis thesauris incubabit. Non autem vt quidque praecipue necessarium est, sic ad efficiendum oratorem maximi protinus erit momenti. Nam certe cum sit in eloquendo positum oratoris officium, dicere ante omnia est; atque hinc initium eius artis fuisse manifestum est; proximam deinde imitationem, nouissimam scribendi quoque diligentiam. Sed vt perueniri ad summa, nisi ex principiis non potest: ita procedente iam opere, minima incipiunt esse, quae prima sunt. Verum nos non, quo modo sit instituendus orator, hoc loco dicimus: (nam id quidem aut satis, aut certe vti potuimus, a nobis dictum est) sed vt athletam, qui omnia iam perdidicerit a praeceptore, nimirum quo genere exercitationis ad certamina praeparandus sit;

ita

i) Id est, fluctuat.

ita eum, qui res inuenire et diſponere ſciet, verba quoque et eligendi et collocandi rationem perceperit, inſtruamus, qua ratione, quae didicit, facere quam optime et quam facillime poſſit. Non ergo dubium eſt, quin ei velut opes ſint quaedam parandae, quibus vti, vbicumque deſideratum erit, poſſit. Eae conſtant copia rerum ac verborum.

Sed res propriae ſunt cuiusque cauſſae, aut paucis communes: verba in vniuerſas paranda: quae ſi rebus ſingulis eſſent ſingula, minorem curam poſtularent: nam cuncta ſeſe cum ipſis protinus rebus offerrent. Sed cum ſint aliis alia aut magis propria, aut magis ornata, aut plus efficientia, aut melius ſonantia, debent eſſe non ſolum nota omnia, ſed in promtu, atque (vt ita dicam) in conſpectu, vt, cum ſe iudicio dicentis oſtenderint, facilis ex his optimorum ſit electio. Equidem ſcio, quosdam collecta, quae idem ſignificarent, vocabula ſolitos ediſcere, quo facilius et occurreret vnum ex pluribus; et, cum eſſent vſi aliquo, ſi breue intra ſpatium rurſus deſideraretur, effugiendae repetitionis gratia ſumerent aliud, quo idem intelligi poſſet. Quod cum eſt puerile, et cuiusdam infelicis operae, tum etiam vtile parum: turbam enim modo congregat, ex qua ſine diſcrimine occupet proximum quodque.

Nobis

Nobis autem copia cum iudicio paranda eſt, vim orandi, non circulatoriam volubilitatem ſpectantibus. Id autem conſequemur optima legendo atque audiendo. Non ſolum enim nomina ipſa rerum cognoſcemus hac cura, ſed cui quodque loco ſit aptiſſimum. Omnibus enim fere verbis, praeter pauca, quae ſunt parum verecunda, in oratione locus eſt. Nam ſcriptores quidam iamborum, veterisque comoediae, etiam in illis ſaepe laudantur, ſed nobis noſtrum opus interim tueri ſatis eſt. Omnia verba (exceptis de quibus dixi) ſunt alicubi optima: nam et humilibus interim et vulgaribus eſt opus, et quae cultiore in parte videntur ſordida, vbi res poſcit, proprie dicuntur.

Haec vt ſciamus, atque eorum non ſignificationem modo, ſed formas etiam menſurasque l) norimus, vt, vbicumque erunt poſita, conueniant, niſi multa lectione atque auditione aſſequi non poſſumus; cum omnem ſermonem auribus primum accipiamus. Propter quod infantes a mutis nutricibus iuſſu regum m) in ſolitudine educati, etiam ſi verba quaedam emiſiſſe traduntur, tamen loquendi facultate caruerunt. Sunt autem alia huius naturae,

vt

l) Cui rei verbum accurate conueniat, ſi ſcierimus; *forma* eſt: ſi, quam late pateat, ſitne latius an anguſtius ſumendum; *menſura.*

m) Pſametichus Aegyptiorum rex experimentum feciſſe dicitur: *Herod. L. II. Sub. initium.* Notum coeteroquin, ſurdos a natura eo ipſo mutos quoque eſſe, quod loquentes alios non audiant; ſonos tamen aliquos, internorum motuum indices, edunt.

vt idem pluribus vocibus declarent, ita, vt nihil ſignificationis, quo potius vtaris, interſit: vt enſis et gladius. Alia, quae etiam ſi propria rerum aliquarum ſint nomina, τροπικως tamen ad eumdem intellectum feruntur, vt ferrum et mucro. Nam per abuſionem ſicarios etiam omnes vocamus, qui caedem telo quocumque commiſerint. Alia circuitu verborum plurium oſtendimus: quale eſt,

- - - Et preſſi copia lactis.

Plurima vero mutatione figuramus, Scio, Non ignoro, et, Non me fugit, Non me praeterit, et, Quis neſcit? Nemini dubium eſt. Sed etiam ex proximo mutuari licet. Nam et intelligo, et ſentio, et video, ſaepe idem valent, quod ſcio. [1] Quorum nobis vbertatem ac diuitias dabit lectio, vt his non ſolum quo modo occurrerint, ſed etiam quo modo oporteat, vtamur. Non ſemper enim haec inter ſe idem faciunt: nec ſicut de intellectu animi recte dixerim, Video, ita de viſu oculorum, Intelligo: nec vt mucro gladium, ſic mucronem gladius oſtendit. Sed vt copia verborum ſic paratur, ita non verborum tantum gratia legendum vel audiendum eſt. Nam omnium, quaecumque docemus, hoc ſunt exempla potentiora etiam ipſis, quae traduntur, artibus, cum eo, qui diſcit, perductus eſt, vt intelligere ea ſine demonſtrante, et ſequi iam ſuis viribus poſſit: quia, quae doctor praecipit, orator oſtendit.

Alia

Alia vero legentes, alia audientes magis adiuuant. Excitat, qui dicit, spiritu ipso, nec imagine et ambitu rerum, sed rebus incendit. Viuunt enim omnia, et mouentur, excipimusque noua illa, velut nascentia, cum fauore ac solicitudine. Praeter haec, vox et actio decora, commoda, vt quisque locus postulabit, pronuntiandi vel potentissima in dicendo ratio, et vt semel dicam, pariter omnia docent. In lectione certius iudicium, quod audienti frequenter aut suus cuique fauor, aut ille laudantium clamor extorquet. Pudet enim dissentire, et velut tacita quadam verecundia inhibemur plus nobis credere, cum interim et vitiosa pluribus placeant, et a corrogatis laudentur etiam, quae non placent. Sed e contrario quoque accidit, vt optime dictis gratiam praua iudicia non referant. n) Lectio libera est, nec actionis impetu transcurrit: sed repetere saepius licet, siue dubites, siue memoriae penitus affigere velis. Repetamus autem, et tractemus, et vt cibos mansos ac prope liquefactos demittimus, quo facilius digerantur, ita lectio non cru-

n) Communis plausus plerumque suspectus, et vt Seneca ait, *pessimi signum turba. Hippomachus*, vt Ael. var. hist. L. II. c. 6. refert, *pugillandi magister discipulum, qui publicum artis specimen dedit, baculo percussit, quod omnes applausissent. Qui enim vnumquodque rite gerunt, non multitudini, sed iis, qui scientiam rei habent, placere debent:* ii vero sunt pauci semper. Inter mille ad summum quadraginta, et sic inter centum quatuor tantum bono gustu praediti censendi sunt, vt calculum instituit Auctor *über die Sprache der Deutschen* p. 291.

cruda, ſed multa iteratione mollita, et velut confecta, memoriae imitationique tradatur.

Ac diu non niſi optimus quiſque, et qui credentem ſibi minime fallat, legendus eſt, ſed diligenter, ac paene ad ſcribendi ſolicitudinem· nec per partes modo ſcrutanda omnia, ſed perlectus liber vtique ex integro reſumendus, praecipueque oratio, cuius virtutes frequenter ex induſtria quoque occultantur. Saepe enim praeparat, diſſimulat, inſidiatur orator, eaque in prima parte actionis dicit, quae ſunt in ſumma profutura. Itaque ſuo loco minus placent, adhuc nobis, quare dicta ſint, ignorantibus: Ideoque erunt cognitis omnibus repetenda.

Illud vero vtiliſſimum, noſſe eas cauſſas, quarum orationes in manus ſumſerimus; et quoties continget, vtrimque habitas legere actiones: vt Demoſthenis atque Aeſchinis inter ſe contrarias.

Neque id ſtatim legenti perſuaſum ſit, omnia, quae magni auctores dixerint, vtique eſſe perfecta. Nam et labuntur aliquando, et oneri cedunt, et indulgent ingeniorum ſuorum voluptati: nec ſemper intendunt animum, et nonnumquam fatigantur: cum Ciceroni dormitare interim Demoſthenes, Horatio vero etiam Homerus ipſe vi-

deatur. Summi enim ſunt, homines tamen: o) acciditque iis, qui, quidquid apud illos repererunt, dicendi legem putant, vt deteriora imitentur, (id enim eſt facilius) ac ſe abunde ſimiles putent, ſi vitia magnorum conſequantur. Modeſte tamen et circumſpecto iudicio de tantis viris pronuntiandum eſt, ne (quod plerisque accidit) damnent, quae non intelligunt. Ac ſi neceſſe eſt in alteram errare partem, omnia eorum legentibus placere, quam multa diſplicere maluerim.

Plurimum dicit oratori conferre Theophraſtus lectionem poetarum: multique eius iudicium ſequuntur: neque immerito. Namque ab his et in rebus ſpiritus, et in verbis ſublimitas, et in affectibus motus omnis, et in perſonis decor petitur, praecipueque velut attrita quotidiano actu forenſi ingenia, optime rerum talium blanditia reparantur. Ideoque in hac lectione Cicero requieſcendum putat. p)

Me-

o) Multi ad Terentianum illud, *Homo ſum, humani nihil a me alienum puto.* Heautont. Act. I. ſc. 1. v. 25. referunt. Sed minime ad excuſanda vitia trahatur hic locus, qui homines, vt alius alium participet, factos innuit.

p) Pro Archia c. 6. Vide Plutarchi libellum de audiendis poetis. Alit ingenia et ad magna excitat poetarum lectio: quae cauſſa fuit, cur ab Homero et Virgilio inciperent olim iuuenes. Iacet in quouis negotio; torpet illi ſtilus; vitia ipſa areſcit, cuius ingenium poetae non formarunt. Artifices, an ignem inde conceperint, quouis opere produnt. Emollit mores et componit, vt omnes ingenuae artes, ita maxime poeſis. Ad forenſem vſum plurimum

Meminerimus tamen, non per omnia poetas esse oratori sequendos, nec libertate verborum, nec licentia figurarum, totumque illud studiorum genus ostentationi comparatum, praeter id, quod solam petit voluptatem, eamque, fingendo non falsa modo, sed etiam quaedam incredibilia, sectatur, patrocinio quoque aliquo iuuari: quod alligati ad certam pedum necessitatem, non semper propriis vti possint, sed depulsi a recta via, necessario ad eloquendi quaedam deuerticula confugiant: nec mutare quaedam modo verba, sed extendere, corripere, conuertere, diuidere cogantur: nos vero armatos stare in acie, et summis de rebus decernere, et ad victoriam niti decet.

mum facit, vt ostendit nupertime *Ekartshausen* in commentatione *von dem Einfluß der schönen Wissenschaften auf die Jurisprudenz. München* 1782. Antiqui doctores christiani in poetarum monumentis multum errant versati: quoties Homeri versus citant Iustinus, Clemens et alii apologetae? Iulianus nullam expeditiorem viam ad vera sacra euertenda putauit esse, quam si a literarum studiis et lectione Auctorum arcerentur Christiani: quod promulgato efficere edicto voluit, teste Rufino Hist. Eccl. c 32. Qui vero arte pulcherrima ad inanes lusus et inhonestas voluptates abutuntur, his, vt Fabius malis oratoribus, poetae nomen nego. Virtutem commendare et ad excelsa quaeuis ac fortia erigere animos debet; alias perire artem, quam mores in periculum vocari, malim. Selectus fiat; et iuuentutis ratio habeatur: non eliminatur medicina, quod venena in illa sunt, sed ne mali aut imprudentes iis abutantur, prouidetur. Bonus praeceptor vt rector animorum, amouebit omnia, quae minus honesta videbuntur; nec quae ipse non legerit et probauerit, umquam suadebit: bona iuuentus contra praeceptores suos vt parentes amans, duci se facile permittet, nec imprudentibus his librum in manus sumet. Vide quoque Basilii dissertationem ad adolescentes de gentilium libris cum fructu legendis.

Neque ego arma ſqualere ſitu ac rubigine velim, ſed fulgorem his ineſſe, qui terreat, qualis eſt ferri, quo mens ſimul viſuſque perſtringatur, non qualis auri argentique, imbellis, et potius habenti periculoſus. q)

Hiſtoria quoque alere orationem quodam molli iucundoque ſucco poteſt. Eſt enim proxima poetis, et quodam modo carmen ſolutum: totumque opus ad memoriam poſteritatis, et ingenii famam componitur: ideoque et verbis liberioribus, et remotioribus figuris narrandi taedium euitat.

Sed, vt dixi, neque illa Salluſtiana breuitas, qua nihil apud aures vacuas atque eruditas poteſt eſſe perfectius, apud occupatum variis cogitationibus auditorem, et ſaepius ineruditum, captanda nobis eſt; Neque illa Liuii lactea vbertas ſatis docebit eum, qui non ſpeciem expoſitionis, ſed fidem quaerit. Adde, quod M. Tullius r) ne Thucydidem quidem aut Xenophontem vtiles oratori putat, quamquam illum bellicum canere, huius ore Muſas eſſe locutas exiſtimet. Licet tamen nobis in digreſſionibus vti vel hiſtorico non numquam

quam

q) Alexander Illyrios Thraces rapto viuere aſſuetos, vt aciem auro purpuraque fulgentem intueantur, praedam non arma geſtantem, commonuit: *irent, et imbellibus foeminis aurum viri eriperent.* Curtius L. III. c, 10. n. 9. in quae plura Freinshemius.

r) In orat. c. 9. in Bruto c. 83. de optimo genere orat. c. 5.

quam nitore, dum in iis, de quibus erit quaeſtio, meminerimus non athletarum toros; ſed militum lacertos eſſe: s) nec verſicolorem illam, qua Demetrius Phalereus dicebatur t) vti, veſtem bene ad forenſem puluerem facere. Eſt et alius ex hiſtoriis vſus, et is quidem maximus, ex cognitione rerum exemplorumque, quibus in primis inſtructus eſſe debet orator, vt pleraque ex vetuſtate diligenter ſibi cognita ſumat, hoc potentiora, quod ea ſola criminibus odii et gratia vacant.

A philoſophorum vero lectione vt eſſent nobis multa petenda, vitio factum eſt oratorum, qui quidem illis optima ſui operis parte ceſſerunt. u) Nam et de iuſtis, honeſtis, vtilibus, quaeque ſunt his contraria, et de rebus diuinis maxime dicunt, et argumentantur acriter: et altercationibus atque interrogationibus oratorem futurum optime Socratici

s) Athletae exquiſito victu ad id alebantur, vt ſpecioſa pulpis et toris haberent corpora, et vulnerati copioſiorem ſanguinem emitterent. Militem quoque decebant latera neruis adſtricta, ſed in hoc, vt ad laborem magis durati eſſent. Sic oratorem, vti et quemcumque virum doctum, hiſtoriae ac poetarum flores decent, dum ad vtilitatem, non vanitatem referantur. Pro quouis enim vitae negotio valet Horatianum illud:

Omne tulit punctum, qui miſcuit vtile dulci.

t) Quis illa, de Demetrii veſte, vſus ſit metaphora, non conſtat.

u) De hoc Fabius in praefatione operis ſui: *fuiſſe, quemadmodum iuncta natura, ſic officio quoque copulata; vt iidem ſapientes atque eloquentes haberentur. Scidit deinde ſe ſtudium atque inertia factum eſt, vt artes eſſe plures viderentur.*

tici praeparant. x) Sed his quoque adhibendum est simile iudicium, vt etiam cum in rebus versemur iisdem, non tamen eamdem esse conditionem sciamus litium ac disputationum, fori et auditorii, praeceptorum et periculorum. y)

Credo exacturos plerosque, cum tantum esse vtilitatis in legendo iudicemus, vt id quoque adiungamus operi, qui sint legendi, quae in quoque auctore praecipua virtus. Sed persequi singulos, infiniti fuerit operis. Quippe cum in Bruto M. Tullius tot millibus versuum de Romanis tantum oratoribus loquatur, et tamen de omnibus aetatis suae, quibuscum viuebat, exceptis Caesare atque Marcello, silentium egerit: quis erit modus, si et illos

x) Praecipue vero hic intelliguntur academici, qui caput illud et praecipuam quasi notam Magistri sui ignorantiae professionem, dubitationem, disputationem in vtramque partem tenerent. Haec est illa philosophia opposita stoicae, qua se plus vti ait in Paradoxis Cicero, *quae peperit dicendi copiam et in qua dicuntur ea, quae non multum discrepant ab opinione populari. Stoicus et ea sentit, quae non sane probantur in vulgus, et in ea est haeresi, quae nullum sequitur florem orationis, neque dilatat, sed minutis interrogatiunculis quasi punctis, quod proposuit, efficit.*

y) Recentior philosophia, quae exuta veteri barbarie nouum cultum induit, maxime ad formanda ingenia valet, et negotiis praeparat, non eruditionis solum organon, sed Magistra etiam vitae socialis. Maxime excoluere Cartes, Locke, Heluetius, Leibnitz, Flögel, Feder, Meiners: inter quos apud nos silere nefas esset Rœsslerum per VII. annos professorem nostrum; et amicum meum, laborum et consiliorum societate mihi coniunctissimum: qui sanam philosophandi rationem nos docuit, et cuius praematura mors ab auida discendi iuuentute diu defleta memoriam sui immortalem fecit. Haec sane optima, quam ille exercuit, ingenii cultura, in euoluendis veterum scriptis ducem philosophiam sequi, et philosophiam a vitae elegantia non separare.

los, et qui postea fuerunt, et Graecos omnes, et philosophos, et poetas, persequi velim? Fuerit igitur breuitas illa tutissima, quae est apud Liuium in epistola ad filium scripta, legendos Demosthenem atque Ciceronem: tum ita, vt quisque esset Demostheni et Ciceroni simillimus.

Non est tamen dissimulanda nostri quoque iudicii summa. Paucos enim, vel potius vix vllum ex iis, qui vetustatem pertulerunt, existimo posse reperiri, qui iudicium adhibentibus non allaturus sit vtilitatis aliquid, cum se Cicero ab illis quoque vetustissimis auctoribus, ingeniosis quidem, sed arte carentibus, plurimum fateatur adiutum. Nec multo aliter de nouis sentio. Quotus enim quisque inueniri tam demens potest, qui ne minima quidem alicuius certae fiducia partis memoriam posteritatis sperauerit? z) qui si quis est, intra primos statim versus deprehendetur, et citius nos dimittet, quam vt eius nobis magno temporis detrimento constet experimentum Sed non quidquid ad aliquam partem scientiae pertinet, protinus ad faciendam etiam φρασιν, de qua loquimur, accommodatum est. a)

z) Sensus est, nemo est tam demens scriptor, qui non possit, alicuius certe partis, memoriam posteritatis sperare: nullus tam malus liber est, qui non aliquo modo prodesse possit; et siquis omnino sit, intra primos versus deprehendetur.

a) Sic scrutamur scriptores medii æui, e quibus multa vtilia colligit historicus, iurisperitus et polyhistor: sed tamquam in alienas terras excurrimus, sparsa hinc et inde bona colligentes: Contra in classicis auctoribus velut in patrio solo haeremus atque

Verum ante quam de ſingulis loquar, pauca in vniuerſum de varietate opiniorum dicenda ſunt. Nam quidam ſolos veteres b) legendos putant, neque in vllis aliis eſſe naturalem eloquentiam, et robur viris dignum, arbitrantur: alios recens haec laſciuia, deliciaeque, et omnia ad voluptatem multitudinis imperitae compoſita, delectant: ſunt etiam, qui rectum dicendi genus ſequi volunt. Alii preſſa demum et tenuia, et quae minimum ab vſu quotidiano recedant, ſana et vere Attica putant: quosdam elatior ingenii vis, et magis concitata, et plena ſpiritus capit: ſunt et lenis, et nitidi, et compoſiti generis non pauci amatores. c) De qua diffe-

que alimur. Illos, niſi formatis viribus, non adimus, et vix libatos iterum deponimus; his a pueris dediti ſumus; hos ſenes non deponimus.

b) Fabius inter veteres intelligit illos, qui in prima quaſi linguae infantia ſcripſere: nos, quos Graecorum ac Romanorum aurea literarum aetas tulit.

c) De ſcriptoribus legendis binae igitur erant ſectae in ternas rurſus claſſes diuiſae: I, circa *aetatem*: alii a) ſolos *veteres*, alii b) ſolos *recentiores* laudabant, alii c) ſine diſcrimine aetatis rectum dicendi genus ſectabantur: II. circa *genus dicendi* alii a) *tenue*, alii b) *ſublime*, alii denique c) *medium* dicendi genus probabant. Iuuenibus inculcare non ſatis poſſum Horatianum illud: *Vos exemplaria graeca nocturna verſate manu, verſate diurna:* A quo tempore formandis ingeniis praeſum; qui duci a me volunt, hos diu in veterum ſcriptis exerceo, quod vt ſemper faciam, indies magis confirmor, ſatis operae meae pretio iam facto. Vnicum exemplum ſufficiat: noui inſignem iuuenem, eminens ingenium, recentiorum lectione tandem fatigatum literis graecis ſe dediſſe, et, vt illuſtre teſtimonium praebuit, in his demum, quod diu magnus illius deſideraſſet animus, maximo ſuo gaudio inueniſſe. In veterum autem lectione illud maxime prouidendum, ne, dum contra ſcholae ſquallorem media quaerimus, in nouas rurſus minutias incidamus: Recte monet Auctor *über die Spra-*

differentia differam diligentius, cum de genere dicendi quaerendum erit.

Interim summatim, quid a qua lectione petere possint, qui confirmare facultatem dicendi volunt, attingam. Paucos enim, qui sunt eminentissimi, excerpere in animo est. Facile est autem studiosis, qui sint his simillimi, iudicare: ne quisquam queratur, omissos forte aliquos eorum, quos ipse valde probet. Fateor enim plures legendos esse, quam qui a me nominabuntur. Sed nunc genera ipsa lectionum, quae praecipue conuenire intendentibus, vt oratores fiant, existimem, persequar.

Sprache der Deutschen p. 197. Der Schriftsteller, der die Alten benutzen will, muß sie in ihrer eignen Sprache lesen. Die Kunst des Ausdrucks, die Anordnung und Stellung der Ideen und eine gewisse Mäßigung im Gebrauch der Schönheit, eine Nüchternheit, die vor der Ueberladung und dem Gigantischen in der Schreibart, Ausdrucke und Bildern bewahrt, und endlich das Gesetzte, Männliche und Gleiche im Tone, das sind Vortheile, die er durch die Alten erlangen kann. - - Auch wer sie in der Ursprache lesen kann, macht seinen Styl steif, holzern und ungelenk, wenn er sie zu sehr kopiert. Man muß sie studieren, beobachten, ihnen mit sorgfältiger Unterscheidung ihre Kunstgriffe ablernen, aber nie nachahmen. Vide etiam Beattie's *Bemerkungen über die klassische Gelehrsamkeit.*

AD ACQVIRENDAM AVCTORVM NOTITIAM LITERARIAM SVNTO:

1) *Fabricii Bibliotheca Graeca et latina.*

2) *Io. Walchii historia critica Latinae Linguae Lipsiae* 1761.

3) *Funccius de origine Linguae latinae.*

4) *Thomae Pope Blount Censura auctorum celebrium.*

5) *Nahmachers Anleitung zur kritischen Kenntniss der lateinischen Sprache. Lipsiae* 1768.

6) *Hambergers zuverlässige Nachrichten von den vornehmsten Schriftstellern. Lemgo* 1756. — 64. *Vol. IV. Item Auszug aus dem grössern Werke. Lemgo* 1766.

7) *Müllers historisch kritische Einleitung zur nöthigen Kenntniss und nutzlichen Gebrauche der alten lateinischen Schriftsteller. Dresden* 1747.

8) *Harlesii Introductio in Notitiam Literaturae Romanae. Norimbergae* 1781.

9) *Classische Biographie, vitas Auctorum erudite describens.*

10) *Clodius Versuche aus der Litteratur und Moral.* 1767 — 69.

11) *Mertens hodegetischer Entwurf.*

12) *Bergsträssers Real Wörterbuch ueber die klassischen Schriftsteller der Griechen und Lateiner. Editus iam est Tomus VII. Quo vtilior est liber, eo magis optamus, vt absoluatur.*

13) *Christian Heinrich Schmids Anweisung zur Kenntniss der vornehmsten Bücher in allen Theilen der Dichtkunst. Leipzig* 1781. *cuius iudiciis saepius vtor.*

SCRIP-

SCRIPTORES GRAECI.

§. I. POETAE.

Igitur, vt Aratus ab Ioue d) incipiendum putat, ita nos rite coepturi ab Homero videmur. Hic enim (quem ad modum ex oceano dicit ipſe amnium vim fontiumque curſus initium capere e) omnibus eloquentiae partibus exemplum et ortum dedit. Hunc nemo in magnis ſublimitate, f) in paruis proprietate ſuperauerit. Idem laetus ac preſſus, iucundus et grauis, tum copia, tum breuitate mirabilis: nec poetica modo, ſed oratoria virtute eminentiſſimus. Nam vt de laudibus, exhortationibus, conſolationibus taceam: nonne vel nonus liber, quo miſſa ad Achillem legatio continetur, vel in primo inter duces illa contentio, vel dictae in ſecundo ſententiae, omnes litium ac conſiliorum explicant artes? Affectus quidem, vel illos mites, vel hos concitatos, nemo erit tam indoctus, qui non in ſua poteſtate hunc auctorem habuiſſe fateatur. Age vero, nonne in vtriusque ſui operis ingreſſu pauciſſimis verſibus legem prooemiorum, non dico, ſeruauit, ſed conſtituit? Nam et beneuolum auditorem inuocatione Dearum, quas praeſidere vatibus creditum eſt, et intentum propoſita rerum magnitudine, et docilem,

ſu-

d) Arati notum initium Ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα. A Ioue principium.

e) Iliados L. XXI. — v. 195.

f) Clodius in commentatione ſuper Quintiliani Iudicio de ſublimitate Homeri. 1765.

ſumma celeriter comprehenſa, facit. Narrare vero quis breuius, quam qui mortem nuntiat Patrocli? g) quis ſignificantius poteſt, quam qui Curetum Aetolorumque praelium exponit? h) Iam ſimilitudines, amplificationes, exempla, digreſſus, ſigna rerum, et argumenta cetera quaeque probandi ac refutandi, ſunt ita multa, vt etiam, qui de artibus ſcripſerunt, plurima earum rerum teſtimonia ab hoc poeta petant. Nam epilogus quidem quis vmquam poterit illis Priami rogantis Achillem precibus aequari? i)

Quid? in verbis, ſententiis, figuris, diſpoſitione totius operis, nonne humani ingenii modum excedit? Vt magni ſit viri, virtutes eius non aemulatione, (quod fieri non poteſt) ſed intellectu ſequi. Verum hic omnes ſine dubio, et in omni genere eloquentiae procul a ſe reliquit, Heroicos tamen praecipue, videlicet quia clariſſima in materia ſimili comparatio eſt. l) Raro

g) Iliados L. XVIII. v. 20. In exemplum breuitatis adducit Plin. L. IV. ep. 11. n. 12.

h) Iliad. L. IX. a v. 530.

i) Iliad. L. XXIV. a verſu 486.

l) Editiones praecipuae ſunt:

BARNESIANA *cum ſcholiis Graecis et notis variorum Cantabrigiae* 1711. 4.

CLARKIANA *cum notis Erneſti* 1759. *et* 64. 8. 5 Vol.

NIEMEYER *edidit cum doctis animaduerſionibus pro guſtu literario formando.* 1778.

Inter verſiones,

STOLLBERGIANA et BODMERIANA, eruditorum calculo palmam tulerunt: illa Hexametri propria ſibi grauitate; haec Homericis virtutibus in noſtram linguam translatis excellens. VOSS *Odyſſeam* nuperrime vertit.

Scrip-

Raro assurgit Hesiodus, m) magnaque pars eius in nominibus est occupata, tamen vtiles circa praecepta sententiae lenitasque verborum, et compositionis probabilis: daturque ei palma in illo medio dicendi genere.

Con-

Scripta in Homerum:

BLAKWALL *Untersuchung über Homers Leben und Schriften aus dem Englischen mit Anmerkungen übersetzt von Voss* 1776.

WOODS *Versuch über das Originalgenie des Homers übersetzt vom jungen Michaelis. neuste Ausgabe* 1777. Auctor philosophico ingenio regiones perlustrans, obseruationes praeclaras instituit: vnde animaduersiones eius tum geographicae tum philosophicae maxime commendantur.

HARLESIVS commentationes edidit de interpretatione Homeri. 1770.

Legi quoque merentur RICCII dissertationes Homericae.

De clypeo Achillis LESSING *im Laokoon*.

Schmidius citatus antea auctor ita de Iliade et Odyssea: *Ilias oder der gerochene Achill in 24 Büchern: mannichfaltige und interessante Scenen, große, natürliche und kontrastirende Karaktere, gutbenutzte Landesreligion, zärtliche und sanfte Empfindungen, lebhaftes Pathos, Fiction und Bilder, Natur und Naivität, Erhabenheit und Simplicität findet sich bey ihm vereinigt. 2do. Odyssee, oder die Abentheuer des Ulysses in 24 Büchern: mehr Reisebeschreibung, mehr häusliche Gemälde, aber sowohl das Wunderbare in jener, als die Natur in dieser ist Homers würdig.* Id vnicum addo, varia fuisse aetatum et gentium de Iliade et Odyssea iudicia: gentem ferocem et asperam Ilias non potuit non afficere: quo magis vero emolliti homines populari philosophia excolerentur; eo magis Odyssea prae Iliade placuit: sic vtrumque opus in suo quidem genere perfectissimum, varios pro vario, quem refert, colore amatores habuit.

m) Hesiodi scripta erant 1. Ἔργα καὶ ἡμέραι *opera* et *dies*: regulas primum oeconomicas, post etiam de agricultura tradit. Θεογονία mythicae religionis historiam complectitur.

Editiones praecipue HEINSIANA *cum glossario* 1603. 4.

GRAEVIANA *Amstelodami* 1701. 8.

OXONIANA *cum notis variorum et* TH. ROBINSON 1737. 4.

Ol.

Contra in Antimacho n) vis et grauitas, et minime vulgare eloquendi genus habet laudem. Sed quamuis ei ſecundas fere Grammaticorum conſenſus deferat; et affectibus, et iucunditate, et diſpoſitione, et omnino arte deficitur, vt plane manifeſto appareat, quanto ſit aliud proximum eſſe, aliud ſecundum. Panyaſin ex vtroque mixtum putant, in eloquendo neutrius aequare virtutes: alterum tamen ab eo materia, alterum diſponendi ratione ſuperari.

Apollonius o) in ordinem a grammaticis datum non venit, quia Ariſtarchus atque Ariſtophanes, poetarum iudices, neminem ſui temporis in numerum redegerunt: non tamen contemnendum edidit opus aequali quadam mediocritate. Arati p) mate-

Cl. Heyne commentationem ſcripſit de theogenia Heſiodi. vide commentarios Gottingenſ.

n) Antimachus et Panyaſis poetae cyclici erant, non, niſi nomine, nobis cogniti. Antimachus Adriano ita placuiſſe dicitur, vt Homeri poemata abolere, et Antimachi in ſcholas inducere in animo haberet. Sed Homerus iudicio ſeculorum vicit. Vindicauit egregie Fabius, Antimachum non *proximum* Homero, ſed *ſecundum* cum dixerit: *ſecundus* enim eſt, qui pone e veſtigio ſequitur, *proximus*, quo nemo propior, longe licet diſtet.

o) Appollonius Rhetor, Rhodius dictus, ſcripſit *argonauticorum* libros IV. Longinus ſ. 33. ἄπτωτον, id eſt, *vitiis carentem* vocat, addens ſtatim, *an non malis fuiſſe Homerus, quam Appollonius?*

Editio ſplendidiſſima eſt oxonienſis, per Io. SCHAW 1777. 4. T. 2. Brunkiana 1780.

p) Aratus Antigoni Macedoniae regis familiaris ſcripſit *Phaenomena.*

Editio GROTIANA *in ſyntagmate Arateorum* 1600.

materia motu caret, vt in qua nulla varietas, nullus affectus, nulla persona, nulla cuiusquam sit oratio: sufficit tamen operi, cui se parem credidit. Admirabilis in suo genere Theocritus, sed musa illa rustica et pastoralis non forum modo, verum ipsam etiam vrbem reformidat. q)

Audire videor vndique congerentes nomina plurimorum poetarum. Quid? Herculis acta non bene Pisandros? r) Quid? Nicandrum frustra secuti Macer atque Virgilius? Quid? Euphorionem transibimus? quem nisi probasset Virgilius, idem num-

q) Huc faciunt, quae cel. Heynius de carmine bucolico p. CCIII. disseruit: Non abhorrebant Graecorum ingenia a simplicitate et natiua aliqua modestaque venustate: ipsius sermonis ac dialecti doricae natura non potest dici, sentiri potest, quantam simplicitatem prae se ferat: imo, vt Probus ait, apud Graecos sermo rusticanus a ciuili diuidi potest: Quod fecit, vt scriptores latini et sermonis et dialecti suauitate destituti multa ex vitae pastoritiae veritate relinquere deberent. Ideo Theocriti musa vrbem reformidare a Fabio dicitur: quae caussa fuit; cur Virgilius, inter homines politos, elegantiam vrbis cum fastu sectantes, simplicitate Graeca cedat Theocrito, vt ars naturae.

Editio elegans Reiskiana *cum notis Stephani, Scaligeri et Casauboni Viennae et Lipsiae* 1765. — 66. *Tom. II.* 4.

Schwabe, Grillo et Küttner *versiones instituere.*

Addi merentur Bion et Moschus. *Adonis mors* Bionis, *et Europae raptus* Moschi opus, omni gratia et venere condita sunt.

Edidit Harlesius 1780. Gesner inter nostros horum aemulus.

r) Pisander scripsit Heracleam, id est, *acta Herculis*, vide Kusterum ad Suidam. Nicander poeta Coliphonius scripsit Theriaca et Alexipharmaca, *vom Biß der giftigen Thiere und vom Gegengift gegen giftige Speis und Trank:*

numquam certe conditorum Chalcidico verſu carminum feciſſet in Bucolicis mentionem. Quid? Horatius fruſtra Tyrtaeum s) Homero ſubiungit? Nec ſane quiſquam eſt tam procul a cognitione eorum remotus, vt non indicem certe ex bibliotheca ſumtum transferre in libros ſuos poſſit. t) Nec ignoro igitur quos transeo, nec vtique damno, vt qui dixerim eſſe in omnibus vtilitatis aliquid: ſed ad illos iam perfectis conſtitutisque viribus reuertemur. Quod etiam in coenis grandibus ſaepe facimus, vt, cum optimis ſatiati ſimus, varietas tamen nobis ex vilioribus grata ſit.

Tunc et elegiam vacabit in manus ſumere, cuius princeps habetur Callimachus. u) Secundas con-

Trank: item GEORGICA, quae imitatus eſt Virgilius. EVPHORION Chalcidenſis edidit 1mo *Georgica*, *Heſiodus* inſcripta, ad quae Virgilius alludit Ecl. X. v. 50.

Ibo, et Chalcidico quae ſunt mihi condita verſu
Carmina, paſtoris Siculi modulabor auena.

2do. *Mopſopia* ſiue de rebus Atticis. vide notam Heynii ad Eclogae VI. v. 72.

s) Tyrtaeus Lacedaemonios, quorum dux erat, carmine ſuo ita accendit, vt Athenienſes praelio vincerent. Horat. art. poet. 402. WEISSE in noſtram vernaculam vertit.

Edidit KLOTZIVS *cum diſſertatione de carminibus bellicis* 1766.

GLEIM vt *Anacreontis*, ita et *Tyrtaei*, felix imitator eſt.

t) Pungit Fabius leuiter doctos, qui auctores vituperant, quos non legerunt, ſed ex indicibus didicerunt.

u) CALLIMACHI vitam deſcripſit FRISCHLINVS. Octingentos ſcripſiſſe libros dicitur, cuius rei ex eo fides eſt, quod nimis parui eſſent; dicere enim ſolebat μεγα βιβλιον ισον ειναι τω μεγαλω κακω. *Magnus liber ſimilis magno malo.*

De

confessione plurimorum Philetas occupauit. Sed dum assequimur illam firmam (vt dixi) facilitatem, optimis assuescendum est: et multa magis, quam multorum lectione firmanda mens, et ducendus est color.

Itaque ex tribus receptis Aristarchi iudicio scriptoribus iamborum, ad ἕξιν maxime pertinebit vnus Archilochus. x) Summa in hoc vis elocutionis, cum validae, tum breues vibrantesque sententiae, plurimum sanguinis atque neruorum, adeo vt videatur quibusdam, quod quoquam minor est, materiae esse, non ingenii vitium.

Nouem vero Lyricorum longe Pindarus y) princeps, spiritus magnificentia, sententiis, figu-

De ingenio et eruditione Callimachi vide SCHIRACH *Magazin der Kritik. Tom. II. p. 5. seqq.* Inter opera eius extant hodie 1mo *Hymni*, 2do *Epigrammata*, 3tio *Coma Berenicis ex versione* CATVLLI.

Editio absolutissima est Graece et latine cum notis variorum, praesertim EZECH. SPANHEMII et GRAEVII, Vltraiecti 1697. 8. vol. 2.

De PHILETO collecta tantum quaedam restant fragmenta.

x) Alii duo nesciuntur; Archilochus Hexametri loco, qui solus in vsu Graecis erat, inuenisse iambos dicitur; quo versus genere maxime ad insectandos homines vsus, vt Horatius docet Art. poet. v. 79. *Archilochum proprio rabies armauit iambo.* Lycambum enim, totamque eius familiam eo adegit; vt laqueo se suspenderent.

Fragmenta inueniuntur *in Edd. Pindari et in corpore poetarum Graecorum, Geneuae.* 1640.

y) De Pindaro ad Fabii iudicium adiicio aliqua ex Schmidio: *Er ist der Homer der lyrischen Poesie, unerreichbar und unerreicht, voll kühner Erhabenheit*

ris, beatiſſima rerum verborumque copia, et velut quodam eloquentiae flumine: propter quae Horatius eum merito credit nemini imitabilem. Steſichorum, z) quam ſit ingenio validus, materiae quoque oſtendunt, maxima bella et clariſſimos canentem duces, et epici carminis onera lyra ſuſtinentem. Reddit enim perſonis in agendo ſimul loquendoque debitam dignitatem: ac, ſi tenuiſſet modum, videtur aemulari proximus Homerum potuiſſe: ſed redundat, atque effunditur: quod vt eſt reprehendendum, ita copiae vitium eſt. Alcaeus in

benheit und Enthuſiaſmus, voll edler Sittenſprüche. Die Kämpfer waren damals ein ſehr wichtiger Gegenſtand, da die Nation ſie bewunderte und belohnte: die Spiele waren Gottesdienſt, daher viele Mythologie. Es müßten allemal zugleich die Götter dabey gelobt, und die Ahnen des Siegers erzählt werden; daher die Digreſſionen in die Geſchichte der Götter und Familien: Außerdem wird theils das Vaterland, theils die übrigen guten Eigenſchaften des Dichters gerühmt. Exempel, Vergleichungen, Phantaſie führen den Pindar zuweilen weiter ab, als wir von unſern Dichtern gewohnt ſind. Das höchſte poetiſche Kolorit, die kühnſte, abgeriſſenſte, gedrängteſte Sprache Allegorien und Anſpielungen erſchweren ſeine Lektüre. Der doriſche Dialect macht ſeinen Ausdruck volltönend. Superſunt 45 odae.

Editio Oxonii Graece et latine cum ſcholiis Graecis et notis variorum cura R. West et Welsted *in F.* 1697. *cui acceſſit verſio metrica latina.*

2do. Cel. Heynii 1773.

Verſio germanica a Gedike inſtituta multam laudem tulit.

De Pindaro vide Clodius *Verſuche über die Vernunft und Moral, Erſtes Stück. Seite* 49.

Schneiders *Verſuch über Pindars Leben und Schriften* 1774. Commentatio eſt plane philoſophica.

z) Steſichori fragmenta edidere Stephanus et Ursinus: Quae de Alcaeo extant, aliorum poetarum editionibus ſubiecta ſunt. Cum Tyrannos *inſectari* a Fabio dicitur; reſpicit Horatium (L. IV. od 9.) qui Alcaei *camenas minaces* vocat: in quae Scholiaſtes dicit,

in parte operis aureo plectro merito donatur, qua tyrannos insectatur: multum etiam moribus confert: in eloquendo quoque breuis et magnificus, et diligens, plurimumque Homero similis, sed in lusus et amores descendit, maioribus tamen aptior. Simonides tenuis, a) alioqui sermone proprio et iucunditate quadam commendari potest: praecipua tamen eius in commouenda miseratione virtus, vt quidam in hac eum parte omnibus eiusdem operis auctoribus praeferant.

Antiqua comoedia b) cum sinceram illam sermonis Attici gratiam prope sola retinet, tum facundissimae libertatis, etsi est in insectandis vitiis praecipua, plurimum tamen virium etiam in ceteris partibus habet. Nam et grandis, et elegans, et venusta, et nescio an vlla, post Homerum tamen, quem, vt Achillem, semper excipi par est, aut similior sit oratoribus, aut ad oratores faciendos aptior. Plures

cit, adeo amarum fuisse Alcaeum, vt carminis austeritate multos e ciuitate eiecerit. de eius morte vide Vossium ad Cat. p. 42.

a) Simonides a Platone et Cicerone non suauis solum, sed *sapiens* quoque et doctus dicitur. Quibus addere oportet Anacreontem Teium et Sapphonem. Dulcissimum est Anacreontis melos.

Editio praecipua est BARNESIANA *Cantabrigiae* 1721. 8.

Cl. DEGEN edidit cum claue 1781. qui et commentationem scripsit *über die Philosophie des Anacreon*. Sapphonis paucas tantum reliquias habemus: edidit Wolfius cum notis variorum Hamburgi 1732. 4.

b) Comoedia Graecorum in tres diuiditur epochas. *Ima* in *veterem*,

res eius auctores: Ariſtophanes tamen, et Eupolis, Cratinusque praecipui.

Tragoedias primus in lucem Aeſchylus c) protulit, ſublimis et grauis, et grandiloquus ſaepe vſque ad vitium, ſed rudis in plerisque et incompoſitus: propter quod correctas eius fabulas in certamen deferre poſterioribus poetis Athenienſes permiſére, ſuntque eo modo multi coronati. Sed longe clarius illuſtrauerunt hoc opus Sophocles atque

rem, quae viguit temporibus belli Peloponneſiaci: mordaciſſima erat; nominatim et multa cum libertate perſtringebat vitam moresque primatum, quo nihil auribus popelli iucundius eſſe poterat. Vide Horat. Serm. L. I. Ecl IV. a v. 1. 2do *in mediam*, cum triginta tyranni impoſiti eſſent Athenis et imperium paucis commiſſum: quo reſtricta eſt, poetarum licentia, lege inſuper (Horat. art. poet. v. 282.) et poenis in transgreſſores latis, quas Eupolis ſubmerſus vndis expertus eſt. Chorus praecipue ſublatus, in quo maledicentia regnabat: vitia vniuerſim et modeſtius perſtricta; nominibus parcitum, et velut per aenigmata ciues laceſſiti. 3tio. *in nouam*, quae omnem reprehendendi poteſtatem amiſit, et tempore Alexandri M. floruit, fictis vſa argumentis, pro choris prologum vſurpans. Fuſius haec inuenies apud Voſſium Inſt. poet. L. II. v. 27.

Ariſtophanes veteris princeps, comoedias ſcripſit 54. ſuperſunt 11. inter quas praecipuae *Nubes* et *ranae*.

Edidit ſummo ſtudio LVDOLPHVS KUSTERVS *Amſtelodami* 1710. *Fol.*

Cum noua verſione et notis BERGLERI *et* DVKERI *per Burmannum ſecundum* 1760. *Tom II.* 4.

De Ariſtophane vide etiam Clodius Verſuche 1. 2. 3. *St. Nubes vertit in Germanicum Herwig* 1772. *Wirceburgi.*

Menander auctor et princeps nouae comaediae antiquis valde celebratus eſt, quem ex Terentio, qui eum non modo imitatus eſt, ſed ſaepius etiam vertit, nouimns.

Fragmenta ſuperſunt, quae collegit et edidit GROTIVS.

c) Aeſchylus propriam tragoediae formam, ſermonem, ſcenam

que Euripides: quorum in dispari dicendi via vter sit poeta melior, inter plurimos quaeritur. Idque ego sane, quoniam ad praesentem materiam nihil pertinet, iniudicatum relinquo. Illud quidem nemo non fateatur necesse est, iis, qui se ad agendum comparant, vtiliorem longe Euripidem fore. Namque is et in sermone (quod ipsum reprehendunt, quibus grauitas, et cothurnus, et sonus Sophoclis videtur esse sublimior) magis accedit oratorio generi: et sententiis densus, et in iis, quae a sapientibus tradita sunt, paene ipsis est par, et in dicendo ac respondendo cuilibet eorum, qui fuerunt in foro diserti, comparandus. In affectibus vero cum omnibus mirus, tum in iis, qui miseratione constant, facile praecipuus. d)

nam et vestes dedit, Horat. in art. poet. v. 280. Phrynichus vocat των τραγικων μεγαλοφωνοτατον, de quo Sulzerus: *Er sucht das Ohr sowohl mit starken Schlägen zu erschüttern, als mit sanften Tönen zu schmeicheln.*

Editio praecipua Londinensis G. et L. cum scholiis graecis et noua versione et notis Thomae Stanleii 1664. F. *Correctas* fuisse Aeschyli tabulas quo modo scribere potuerit Fabius, vide Gesneri notam in hunc locum.

d) De Sophocle atque Euripide ita Cl. Schmidius: *Sophocles das größte tragische Genie der Griechen gab dem Trauerspiele Majestät ohne des Aeschylus Dunkelheit; legte mehr Interesse in den Plan, obgleich der Plan der Griechen viel einfacher ist als der Neuern: verband den Chor mit der Handlung; erschütterte die Zuschauer ohne sie zu betäuben. — Euripides der Socrates der tragischen Bühne in Sittensprüchen, minder feurig in Affecten und minder idealisch in Karakteren als Sophocles, aber zärtlich und Empfindungsvoll.*

Euripides philosophiam e schola, in qua Socratem et Ana-

Hunc et admiratus maxime eſt (vt ſaepe teſtatur) et ſecutus, quamquam in opere diuerſo, Menander: qui vel vnus, meo quidem iudicio, diligenter lectus, ad cuncta, quae praecipimus, efficienda ſufficiat: ita omnem vitae imaginem expreſſit: tanta in eo inueniendi copia, et eloquendi facultas: ita eſt omnibus rebus, perſonis, affectibus accommodatus. Nec nihil profecto viderunt, qui orationes, quae Chariſii nomine eduntur, a Menandro ſcriptas putant. Sed mihi longe magis orator probari in opere ſuo videtur, niſi forte aut illa mala iudicia, quae Ἐπιτρεποντεσ, Ἐπικληροσ, λοκροι habent, aut meditationes in Ψοφοδεει, Νομοθετῃ, Ὑποβολιμαιῳ, e) non omnibus oratoriis numeris ſunt abſolutae.

Ego tamen plus adhuc quidam collaturum declamatoribus puto, quoniam his neceſſe eſt, ſecundum

Anaxagoram audiuit; Sophocles hauſtam ex conſuetudine vitae animi humani ſcientiam, in ſcenam adduxiſſe videntur. Is ſane mihi maior philoſophus, qui poeta melior; aut in quo Molierius Lockio cedit? Quot ſunt, qui, cum in ſchola ſubtiliter diſputent, turpiter halluccinentur in theatro vitae! —

Editus eſt Sophocles G. et L. cum ſcholiis graecis et notis THOMAE IOHNSON *Oxonii* 1703. 8. *Vol.* 3.

Aiacem edidit HOERIVS 1765.

Electram BRVNKIVS 1779.

REISKE *ſcripſit animaduerſiones ad Sophoclem, et Schirach de Oedipo* 1770. —

Euripidem edidit BARNES *Cantabrigiae* 1694. F. in quo criſis deſideratur.

Feliciter laborarunt in emendando Euripide VALKENAER, MVSGRAVE et BRVNK.

e) Fabularum a Menandro actarum nomina ſunt, de quibus vide Burmannum et Geſnerum:

dum conditionem controuersiarum plures subire personas, patrum, filiorum, maritorum, militum, rusticorum, diuitum, pauperum, irascentium, deprecantium, mitium, asperorum. In quibus omnibus mire custoditur ab hoc poeta decorum. Atque ille quidem omnibus eiusdem operis auctoribus abstulit nomen, et fulgore quodam suae claritatis tenebras obduxit.

Habent tamen alii quoque Comici, si cum venia legantur, quaedam, quae possis decerpere; et praecipue Philemon, qui vt prauis sui temporis iudiciis Menandro saepe praelatus est, f) ita consensu omnium meruit credi secundus.

§. II. Historici.

Historiam multi scripsere praeclare, sed nemo dubitat, duos longe ceteris praeferendos, quorum diuersa virtus laudem paene est parem consecuta. Densus et breuis, et semper instans sibi Thucydides: dulcis et candidus, et fusus Herodotus: ille concitatis, hic remissis affectibus melior: ille con-

rum: in tribus prioribus induxit personas, quae veras caussas agerent: in reliquis, quae meditando ad caussas se pararent. Argumentatio est ex absurdo: *Orator est Menander, nisi dicere velis, quod absurdum est, mala esse illa iudicia cet.* qua formula saepe vtitur Cicero.

Pauca de illo fragmenta supersunt, quae, vti et Philemonis, edidit Grotius.

f) Mira res: certarunt *Homerus* et *Hesiodus*, et praelatus est poste-

cionibus, hic ſermonibus: ille vi, hic voluptate. g) Theopompus his proximus, vt in hiſtoria praedictus minor, ita oratori magis ſimilis: vt qui, ante quam eſt ad hoc opus ſolicitatus, diu fuerit orator. h) Philiſtus quoque meretur, qui turbae, quamuis bonorum poſt hos auctorum, eximatur, imitator Thucydidis: et vt multo infirmior, ita aliquatenus

ſterior: *Pindarus* victus eſt a *Corinna*. *Euripides* ſcriptis 105. tragoediis, in omnibus, quinque ſi excipias, victus eſt ab ignauiſſimo quoque, vt ex *Varrone* prodidit *Agellius L. XVI. c.* 4. Menander 108. fabulas compoſuit, et octies ſolum vicit, a minoribus *arte*, ſed *gratia* et *factione* ſemper valentibus victus; inter quos et Philemon, cui obuiam factus aliquando Menander, *quaeſo*, inquiebat, *bona venia dic mihi, Philemo, cum me vincis, non erubeſcis?*

g) Ciceronis de vtroque iudicium vide L. II. de orat. c. 13. et 22. In orat. c. 9. de optimo genere orat. c. 5. quibus ſi Fabii adiungas verba, quod addi poſſit, vix erit. Dionyſii Halicarnaſſei comparatio Herodotum inter et Thucydidem teſte Voſſio acutiſſima eſt; inuenies in edit. Sylburgiana Tomo II. in epiſtola ad Cn. Pompeium. — *Herodotus* ſcripſit Hiſtoriam bellorum cum Cyro et Xerxe, nec aliarum gentium res inſerere omiſit, vt hiſtoria vniuerſalis dici poſſit: complexus eſt libris IX. qui a nouem Muſis inſcripti ſunt. Vſus eſt dialecto ionica: *Thucydides* particularem hiſtoriam agreſſus eſt, et res belli Peloponneſii narrauit in libris VIII. Dialecto vtens attica. Fides hiſtorica Thucydidis longe maior, quam illa Herodoti: qui cum poetarum more delectare animos vellet; multa a fide aliena adſperſit; Thucydides contra veritatis ſtudium primam ſibi curam fuiſſe paſſim oſtendit. Herodotus praeter ea compilator magis quam philoſophus, Saepius ab aliis deceptus eſt; Thucydides, quae ſcripſit, vidit.

Herodotus editus eſt G. et L. cum adnotationibus Thomae Galei *et* Iac. Gronovii *cura Weſſelingii Amſtelod.* 1763. *Fol.*

Thucydides G. et L. cum notis variorum et Wasse, *quibus acceſſerunt animaduerſiones* Dvckeri *Amſtelod.* 1731. —

h) De Theopompo vide Cic. in Bruto c. 17. et in orat. c. 44. continuator fuit Herodoti. Plura de eo Voſſius de Hiſtoricis Graecis L. I. c. 7.

Fragmentum inuenies apud Long. ſ. 43.

nus lucidior. i) Ephorus, vt Isocrati visum, calcaribus eget. l) Clitarchi probatur ingenium, fides infamatur. m) Longo post interuallo temporis natus Timagenes, vel hoc est ipso probabilis, quod intermissam historias scribendi industriam noua laude reparauit. n) Xenophon non excidit mihi, sed inter philosophos reddendus est.

§. III. Oratores.

Sequitur oratorum ingens manus, cum decem simul Athenis aetas vna tulerit: quorum longe princeps Demosthenes, ac paene lex orandi fuit: tanta vis in eo, tam densa omnia, ita quibusdam neruis intenta sunt, tam nihil otiosum, is dicendi

 mo-

i) Philistus Syracusanus res Siculorum descripsit L. XI. a Dionysio in exilium missus; item de Dionysio tyranno L. VI. Cicero ad Quintum fratrem L. II. ep. 13. *paene pusillum Thucydidem vocat.*

l) Ephorus Cumanus, Isocratis, vti et Theopompus, discipulus. Notatu digna; quae de vtroque Cicero de orat. L. III. c. 9. *Maxime insigne illud exemplum, quod dicebat Isocrates Doctor singularis,* SE CALCARIBVS IN EPHORO, CONTRA AVTEM IN THEOPOMPO FRAENIS VTI SOLERE. *Alterum enim exsultantem verborum audacia reprimebat, alterum cunctantem et quasi verecundantem incitabat. Neque eos similes effecit inter se, sed tantum alteri affinxit, de altero limauit, vt id conformaret in vtroque, quod vtriusque natura pateretur.* Idem de Aristotele et Xenocrate refert *Plato*, et post de Theophrasto et Callisthene *Aristoteles.*

m) Clitarchus Aeolius scripsit res gestas Alexandri M., cuius expeditionum comes fuit. De eius stilo Long. s. 3. Demetrius Phalareus eum de ape sicut de boue fero aut apro Erymanthio locutum ait.

n) Plures fuerunt eius nominis: fuerit sane Timagenes ille historicus,

modus, vt nec quod desit in eo, nec quod redundet, inuenias. o) Plenior Aeschines, et magis fusus, et grandiori similis, quo minus strictus est: carnis tamen plus habet, lacertorum minus. p) Dulcis in primis et acutus Hyperides: sed minoribus caussis, vt non dixerim vtilior, magis par. q) His aetate Lysias maior, subtilis atque elegans, et quo nihil, si oratori satis sit docere, quaeras perfectius. Nihil enim est inane, nihil arcessitum: puro

ricus, qui sub Augusti principatu vixit. De quo Seneca L. III. de ira c. 24. Plura vide apud Vossium de Hist. Graec. L. I. c. 24.

o) Iudicium Fabii de Demosthene instar omnium est. De eius vita multa retulit Bergsträsser *im Realwörterbuch. Art. Demosthenes.* Maxime, qui docent discuntque, ad ea, quae animum ad eloquentiam excitarint, et quo modo naturae vitia superarit, attendant. Praecipue commendo Demosthenis orationem pro Ctesiphonte et corona, item contrariam Aeschinis aduersarii. Cuius occasionem vti et animorum habitum, quem vterque attulissent, explicat Cicero de optimo genere orat. c. 7. et tandem addit, *Quid aut tam visendum, aut audiendum fuit, quam summorum oratorum, in grauissima caussa accurrata et inimicitiis accensa oratio?*

Inter editiones eminet collectio Reiskiana oratorum Graecorum, cuius titulus est:

Oratorum Graecorum, quorum Princeps est Demosthenes, quae supersunt, monumenta ingenii e bonis libris a se emendata, materia critica, commentariis integris Wolfii, Io. Taylori, Ierem. Marklandi, aliorum et suis indicibus denique instructa edidit I. IACOBVS REISKE. *Lipsiae Typis Sommeri* 1770. *8vo m. Vol.* 12.

p) Demosthenes vocauit Aeschinem μεγαλοφωνοτατον, cui si adiicias, quae Fabius de eo iudicauit, satis, quis fuerit, intelliges. Teste Philostrato multas ex tempore orationes habuit, et hanc facultatem si non primus exercuit, saltem promouit,

q) Hyperides a Dionysio Halic. censetur χαριτες μεστος, *Veneribus affluens, qui cum simplex videatur, vi et grauitate non caret.* Hermogenes non satis laudat; eo magis praedicatur a Longino, cuius comparationem, quam Demosthenem inter et Hyperidem instituit, vide sect. 34.

ro tamen fonti, quam magno flumini propior. r) Iſocrates in diuerſo genere dicendi nitidus et comtus, et Palaeſtrae, quam pugnae magis accommodatus, omnes dicendi veneres ſectatus eſt; nec immerito. Auditoriis enim ſe, non iudiciis comparauit: in inuentione facilis, honeſti ſtudioſus, in compoſitione adeo diligens, vt cura eius reprehendatur. s) Neque ego in his, de quibus ſum locutus, has ſolas virtutes, ſed has praecipuas puto: nec ceteros parum fuiſſe magnos. Quin etiam Phalareum illum Demetrium (quamquam is primus inclinaſſe eloquentiam dicitur) multum ingenii habuiſſe et facundiae fateor, vel ob hoc memoria dignum, quod vltimus eſt fere ex Atticis, qui dici poſ-

ſit

r) De Lyſia fuſe tractat Halicar. qui inter reliqua de eo ſcripſit propriis et vſitatis vſum verbis, quibus aſſecutus eſt, vt cum loqueretur more conſueto, noua tamen vteretur dicendi forma, primusque induceret recentiorem Atticiſmum. de quo Cicero in orat. c. 9. qui Lyſiam *venuſtiſſimum* ac *politiſſimum ſcriptorem* vocat. Non egit cauſſas forenſes, ſed aliis orationes ſcripſit, de quibus ſuperius.

s) De Iſocrate duo addo teſtimonia 1mo Dionyſii Hal. *Ac mea quidem ſententia, qui non partem aliquam ciuilis facultatis, ſed rationem gerendae reipublicae vniuerſam complecti animo volet, is hunc oratorem diurna nocturnaque manu verſare debebit. Quod ſi quis veram philoſophiam amplectitur ſolis ſpeculationibus haud contentus, ſed actione virtutis etiam occupatus nec ſuis* COMMODIS METITVR OMNIA, SED PRODESSE MVLTIS LABORAT; HVIC EGO AVCTOR ERO, VT ORATORIS HVIVS IMITETVR INSTITVTVM. 2do. Plinius L. VI. ep. 29. *Nec vero Iſocrati, quo minus haberetur ſummus orator, offecit, quod infirmitate vocis, mollitie frontis, ne in publico diceret, impediebatur. Proinde multum lege, ſcribe, meditare, vt poſſis, cum voles, dicere; dices, cum velle debebis.*

ſit orator: quem tamen in illo medio genere dicendi praefert omnibus Cicero. t)

§. IV. Philosophi.

Philoſophorum, ex quibus plurimum ſe traxiſſe eloquentiae M. Tullius confitetur, quis dubitet Pla onem eſſe praecipuum, ſiue acumine diſſerendi, ſiue eloquendi facultate diuina quadam et Homerica? multum enim ſupra proſam orationem, et quam pedeſtrem Graeci vocant, ſurgit: vt mihi non hominis ingenio, ſed quodam Delphico videatur oraculo inſtinctus. u) Quid ego commemorem Xenophontis iucunditatem illam inaffectatam, ſed

t) In orat. c. 27. et L. II. de orat. c. 23.

u) De Platonis dictione Cicero in orat. c. 20., *viſum eſt nonnullis, Platonis et Democriti locutionem, etſi abſit a verſu, tamen quod incitatius feratur, et clariſſimis verborum luminibus vtatur, potius poema putandum, quam comicorum poetarum; apud quos, niſi quod verſiculi ſint, nihil eſt aliud quotidiani diſſimile ſermonis. nec tamen id eſt poetae maximum; etſi eſt eo laudabilior, quod virtutes oratoris perſequitur, cum verſu ſit adſtrictior.* Media igitur Platonis dictio proſam inter et poeſin eſt. *Proſa* ſiue *pedeſtris oratio* poeticis caret formis et luminibus; *poetica dictio* praeter ea certis etiam pedum legibus adſtricta eſt. Ad philoſophandum aptam eſſe negat Voſſius de Phil. ſectis c. 12. §. 15. ſed Philoſophorum nimis propriam locutionem, quo minus ſe lingua efferat, impedire, quoque eſt in confeſſo. Sit igitur, vt ſupra monui, commune philoſophorum et poetarum in lingua perficienda ſtudium, vbi, quae ex Sulzero ad metaphoram attulerim, recole. Conuenit porro, in poeſi minimam eſſe virtutem, *verſus:* neque ſola dictio ſenſibili ſuauitate tincta poetam facit, ſed *Fictio* ex ſingulis ingenioſe vnum efficiens: ex quo patet, *oratorem* aut *hiſtoricum* in vno eodemque opere et *Philoſophum* et *Poetam; Poetam* contra *hiſtoricum* et *Philoſophum* non raro

ſed quam nulla poſſit affectatio conſequi? x) vt ipſae finxiſſe ſermonem gratiae videantur: et quod de Pericle veteris comoediae teſtimonium eſt, in hunc transferri iuſtiſſime poſſit, in labris eius ſediſſe quamdam perſuadendi Deam. Quid reliquorum

raro eſſe: quod in Cicerone, Liuio, Horatio ſatis deprehendere licet. Vide Auctorem *über die Sprache der Deutſchen Dichtkunſt p.* 243. Quid lectio Platonis profuerit Demostheni, Cic. in Bruto c. 31.

Inter Editiones eminent

1mo. PARISINA, EX NOVA SERRANI INTERPRETATIONE *cum perpetuis eiusdem notis: excudebat* HENRICVS STEPHANVS 1578. FOL. TOM. III. 2do. WECHELIANA EX INTERPRETATIONE FICINI, FRANCOFVRTI 1602. FOL.

Singula Platonis ſcripta edita ſunt a variis: praecipue laudanda eſt opera FISCHERI *Prof. Lipſienſis.*

MINO, CRITO et ALCIBIADES editus eſt 1780. a BISTERO SECRET. *Berolin.*

SOCIETAS BIPONTINA *praeclariſſimorum virorum Exteri, Emſeri, aliorumque ſtudiis edere coepit Auctores Graecos et a Platone inchoauit:* quod inſtitutum Humanitatis ſtudioſis vtiliſſimum ſatis laudari non poteſt. Applaudimus virorum eruditioni atque induſtriae, et felices progreſſus precamur.

x) Xenophon propter ἀφέλειαν, quam maxime coluit, *apis attica* dictus.

Eupolidis verſus refert Plinius L. I Ep. 20. n. 17. De quibus Cicero in Bruto c. 15. πειθὼ, *quam vocant Graeci, cuius effector eſt orator, hanc Suadam appellauit Ennius. Eius autem Cethegum medullam fuiſſe vult, vt quam Deam in Periclis labris ſcripſit Eupolis ſeſſitauiſſe, huius hic medullam noſtrum oratorem fuiſſe dixerit.* Sicut igitur Ennius Eupolidis verſum accommodauit Cethego; ita hic Fabius Xenophonti.

Ad formandos magnos duces, ciuilesque viros Xenophontis potiſſimum lectio apta: teſte enim Cicerone Scipio atque Lucullus inde duces ſummi facti.

De eius ſcriptis ſuperſunt 1mo *Cyropaediae L. VIII.* Narratio fabuloſa et ad inſtituendos principes et ſummos viros facta. 2do. *De expeditione Cyri L. VII. De rebus Graecis L. VII. De republica Athenienſium L. I. De republica Laced. L. I. Memorabilium Socratis L. IV. Socratis Apologia cet.*

Inter

rum Socraticorum elegantiam? y) Quid Ariſtotelem? quem dubito, ſcientia rerum, an ſcriptorum copia, an eloquendi ſuauitate, an inuentionum acumine, an varietate operum, clariorem putem. z) Nam in Theophraſto tam eſt eloquendi nitor ille diuinus,

Inter Editiones praecipuae WECHELIANA CVRA SYLLBVRGII FOL. 1594. 2do. E THEATRO SCHELDONIANO CVRA EDV. WELS. 1703. VOL. 5.

y) Socrates nihil ſcripſit ipſe, ſed virtutem et ſapientiam in familiari amicorum congreſſu docuit. Scriptis maiora monumenta ſunt duo inſignes viri PLATO et XENOPHON, qui ex eius ſchola prodiere, et, ſicut alii eius doctrinam profeſſi, Socraticorum nomine impertiti ſunt. Reliqui fuere *Aeſchines* (alius ab oratore) *Antiſthenes*, *Ariſtippus*, *Cebes Thebanus*: e quorum ſcriptis *Aeſchinis de virtute dialogus*, et *Cebetis Tabula* ad nos venere. Socratis character vti et mors maxime memorabilis; veteres Plato et Xenophon de iis ſcripſere: inter recentiores varie de morbus Socratis diſputatum: Aduerſariorum agmen ducit HOFSTEDE: MENDELSOHN (*Character des Socrates im Phaedon*) EBERHART *in der neuen Apologie des Socrates* digni tanto viro vindices ſunt. De Genio Socratis ſcripſit Meiners *Philoſ. Schriften III. Theiles 1te Abhandlung.* — Mendelſohn noſtrae aetatis Socraticus Philoſophus inter hos locum meretur.

z) Sectae Peripateticae Auctor. Pluribus ſcriptis inclaruit: Logicam, Rhetoricam, Poeticam, Phyſicam et Metaphyſicam, Ethicam atque Mathematicam excoluit, magna animi humani ſcientia et ingenii abundantia praeditus, quo nihil eſſe acutius nihil politius, teſtatur Cicero Quaeſt. Acad. L. I. Verborum maxime proprietate gaudet. Librorum alii ſunt, ἀκροαματικοι, alii ἐξωτερικοι: in his pro ciuili vita artes tradidit, pinguiori non raro Minerua rationes prodens: in illis veris ſuis diſcipulis, quaſi in arcana philoſophiae admiſſis, ſubtilius rerum naturas pandit. vide Gellium L. XX. c. 5. Infelici ſane fato Ariſtotelis philoſophia Arabum et ſcholaſticorum ſpinis adulterari et deprauari coepit, Auerroe duce, qui linguae graecae imperitus Philoſophi commentatorem egit. Nomen Peripateticorum vſurpabant barbari in medio aeuo, Ariſtotelem nec legentes, nec intelligentes. Plura *Ioannes Lannoius* in diatriba *de varia Ariſtotelis in academia pariſienſi fortuna.*

Opera Ariſtotelis edita ſunt LVGDVNI BATAVOR 1590, apud

minus, vt ex eo nomen quoque traxisse dicatur. a) Minus indulsere eloquentiae Stoici veteres: sed cum honesta suaserunt, tum in colligendo probandoque, quae instituerant, plurimum valuerunt; rebus tamen acuti magis, quam, id quod sane non affectant, oratione magnifici. b)

II. SCRIPTORES ROMANI.

§. I. Poetae.

Idem nobis per Romanos quoque auctores ordo ducendus est. Itaque vt apud illos Homerus, sic apud nos Virgilius auspicatissimum dederit exordium, omnium eius generis poetarum Graecorum nostrorumque illi haud dubie proximus. Vtar enim verbis iisdem, quae ex Afro Domitio iuuenis accepi; qui mihi interroganti, quem Homero crederet maxime accedere: Secundus, inquit, est Virgilius, propior tamen primo, quam tertio. Et hercle, vt

apud Guilielmum Laemarium. 2do. Parisiis *cura Guil.* Duvallii *cum eruditis disputatationibus et notis* 1654. *Fol.*

a) *De Theophrasto Strabo L. XIII. Theophrastus prius vocabatur Tyrtamus: sed Aristoteles hoc ei nomen fecit, simul vt prioris asperitatem fugeret, simul vt dictionis Theophrasteae praestantiam commendaret tamquam diuinae. Omnes enim discipulos facundos, hunc reddidit facundissimum Aristoteles.* Quo modo morti proximus successor ab Aristotele designatus fuerit, lepide narrat Gellius L. XIII. c. 5. Inter opera eius eminent *characteres ethici.*

Edidit Lvgd. Bat. Daniel Heinsivs 1613. Fol.

b) Stoicorum, quorum auctor Zeno, nota est Philosophia; sub-

vt illi naturae coelesti atque immortali cesserimus, ita curae et diligentiae vel ideo in hoc plus est, quod ei fuit magis laborandum: et quantum eminentioribus vincimur, fortasse aequalitate pensamus. Ceteri omnes longe sequentur. c) Nam Macer

subtiliter disputantes virtutem inculcabant. Magnum eorum Catalogum vide apud Fabricium Bibl. Graeca L. III. c. 5 Comparationem inter veterem academiam, peripateticos, et stoicorum doctrinam instituit Cicero de Fin. L. IV. c. 2 — 10. Cl. Tiedemannus in systemate Philosophiae stoicae saepius Ciceronem corrigit. Legi quoque meretur Meiners *Abhandlung über die Apathie der Stoiker. Phil. Schriften II. Theils 3te.* De genere orationis, de Orat. L. III. c. 18. ita: *Stoici orationis genus habent fortasse subtile, certe acutum: sed, vt in oratore, exile, inusitatum, abhorrens ab auribus vulgi, obscurum, inane, ieiunum, ac totum eiusmodi, quo vti ad vulgus nullo modo possis. cet.*

Plura de Philosophorum Sectis vide in Brukeri historia philosophica, cuius epitomen inuenies in Walchs *philosophischem Lexicon.*

c) Inuentione Homero minor, recte imitando maximam ingenii laudem est adeptus, quae deessent, cura et arte cum expleret. Sermo est elegantissimus, et pictura potius sermone praedita. *Aequalitatem* ita exponit Turnebus, *vt si multis in locis superetur ab Homero Virgilius, in multis eumdem aequet.* Burmannus et Gesnerus *aequalitatem* sumunt *pro aequabilitate*, quae in poematis oeconomia constet, fini, vt magnitudinem nominis Romani et gentis Iuliae claritatem orbi commendaret, vbique respondente. Aeneam nobis expressit non quidem ferocem, vt Homerus Achillem, sed bonitate maxime amabilem, in quo non minus mansuetudinem patris, mariti et filii; quam amici et ducis pietatem venerari licet.

Inter varias editiones eminent 1mo. LVDOVICI DE LA CERDA MADRITI 1608. FOL. TOM. III. *multa eruditione multoque labore adornata.*

2do. IN VSVM DELPHINI CVRA CAROLI RVAEI, quae doctis viris multis probatur. Parisiis 1675. 4.

3io. BVRMANNIANA splendida 1746. 4. *Tom. IV.*

4to. A CLARISSIMO HEYNIO ADORNATA, *quae reliquas omnes post se relinquit: sanam crisin, perpetuas adnotationes, disquisitiones de carmine Bucolico et epico, excursus tam eruditos quam iucundos continet plurimos, et continuo*

cer d) et Lucretius e) legendi quidem, ſed non vt phraſin, id eſt, corpus eloquentiae faciant: elegantes in ſua quisque materia, ſed alter humilis, alter difficilis. Attacinus Varro in iis, per quae nomen eſt aſſecutus, interpres operis alieni, non ſpernendus quidem, verum ad augendam facultatem dicendi parum locuples. f) Ennium, ſicut ſacros vetuſtate lucos adoremus, in quibus grandia et antiqua robora iam non tantam habent ſpeciem, quantam religionem. g) Propiores alii, atque ad

T hanc

tinuo ad Homerum, ex quo hauſit Virgilius, lectores reducit. PRODIIT LIPSIAE APVD FRITSCH 1767. ET 75. *In minorem contracta formam pro vſu tironum edita eſt* 1780.

De Virgilio ſcripſit KLOTZIVS *Libellum Gottingae* 1763. *de Verecundia Virgiliana*, cui ſe oppoſuit HERDERVS *in den kritiſchen Wäldern.* 2. *W. p.* [illegible]3. Holdsworth diſſertationes edidit Spence 1768. Vide quoque Sulzerum Art. *Aeneis.*

d) Macer ſcripſit de volucribus, ſerpentibus, et viribus herbarum: quaedam fragmenta ſi excipias, nihil hodie de illius ſcriptis ſupereſt. Aemilii Macri liber de herbarum virtutibus, qui hodie exſtat, alius ab illo eſt; Auctorem Neronis ac Veſpaſiani temporibus vixiſſe, critici euincunt.

e) *Lucretius Carus* ſcripſit de rerum natura libros VI. Epicuri ſectator. Schmid de hoc ita: *Ein Dichter, der eine Sprache bearbeitete, die weder zur Philoſophie noch Poeſie gebildet war; ein Dichter, der einen ſo trocknen Stoff und ſo ſeichtes Syſtem zu behandeln hatte, mußte in der That mit großen Schwierigkeiten kämpfen. Seine alte Sprache giebt ihm Würde und Energie; eine gedrängte Stärke macht ihn ſchwer.*

EDIDIT CREECH OXONII 1695. item SIGEBERTVS HAVERKAMP, LVGD. BAT. 1725. 4. VOL. II.

POLIGNIAC *purpuratus* Eccleſiae Rom. *Pater, ſcripſit Antilucretium.*

f) Interpretatus eſt argonautica Apollonii Rhodii.

g) De *Ennio* Horat. Arte poet. 56. *Lingua Catonis et Ennii ſermonem patrium ditauit, et no-*

hanc phrasin, de qua loquimur, magis vtiles. Lasciuus quidem in Heroicis quoque Ouidius, et nimium amator ingenii sui, laudandus tamen in partibus. h) Cornelius autem Seuerus, etiamsi versificator, quam poeta melior, si tamen, vt est dictum, ad exemplar primi libri bellum Siculum perscripsisset, vindicaret sibi iure secundum locum. Sed eum consummari mors immatura non passa est: puerilia tamen eius opera i) et maximam indolem ostendunt, et mirabilem, praecipue in aetate illa, recti generis voluntatem. Multum in Valerio Flacco nuper amisimus. l) Vehemens et poeticum inge-

nomina rerum protulit. Instauratores sermonis et criticos ad ipsa vsque incunabula linguae redire oportet; sed affectare in libris et sermone veterem dictionem ridiculum sane est, cum teste Horatio v. 60. *Verborum vetus interit aetas, vt folia syluarum pronos mutantur in annos.*

h) Ovidivs carmine epico complexus est Metamorphoseon L. V. De quibus ita Schmidius: *Eine Folge von Erzählungen, worinn er wundervolle Begebenheiten aus der dichterischen Religionshistorie von Erschaffung der Welt bis auf den Caesar verträgt. — Es war ein reiches Feld für seine malerische Phantasie, die sich vornehmlich in den Beschreibungen in ihrem völligen Glanze zeigt, aber auch zuweilen durch üppige Auswüchse und Künsteleien den sonst schnell fortströmenden Lauf der Erzählung zu lange hemmt. — Die Verwandlungen bleiben indeß ein Schatz von Mythologie, eine Schule der Dichter, ein Handbuch der Maler und für Liebhaber der Allegorie ein Inbegriff nützlicher Lehren.* Vide etiam, quae Seneca *Quaest. Nat. L. III. c. 27.* De Editt. inferius.

i) Ad haec refertur carmen de *Aetna*, quod extat adhuc.

Edidit Io. Clericvs Amstelod. 1703.

l) Scripsit Argonauticorum L. VIII. Apollonium in multis imitatus: Lucanum, Silium, Statium, post se relinquit.

Edidit splendide Bvrmannvs Lvgd. Bat. apvd Lvchtmans 1724. 4. Praefatio lectu digna.

genium Saleii Baſſi fuit, nec ipſum ſenectute maturum. Rabirius ac Pedo non indigni cognitione, ſi vacet. m) Lucanus ardens, et concitatus, et ſententiis clariſſimus, et, vt dicam, quod ſentio, magis oratoribus, quam poetis adnumerandus. n) Hos nominauimus, quia Germanicum Auguſtum o) ab inſtitutis ſtudiis deflexit cura terrarum, parumque diis viſum eſt, eſſe eum maximum poetarum. Quid tamen iis ipſis eius operibus, in quae donato im-

m) De his Ouidius L. IV. Epp. ex Ponto, elegia vlt. v. 5.

Cumque foret Marſus, magnique Rabirius oris,
Iliacusque Macer, Sydereuſque Pedo.

Quo ex loco patet, *Pedonem* de Aſtrologia ſcripſiſſe.

n) De Lucano Schmidius: *Er ſang den Bürgerkrieg des Pompeius und Caeſar unter dem Titel Pharſalia in 10 Büchern: doch fehlt der Schluß des Gedichtes. Pompeius iſt der Held, und Caeſar daher nicht von der vortheilhafteſten Seite geſchildert. Es iſt ein epiſch hiſtoriſches Gedicht. Epiſch in Fiktionen und Sprache; hiſtoriſch in dem Plane, und weil es keine Göttermaſchinen hat. Die vornehmſten Karaktere ſind mit ſtarken Farben gezeichnet. Alles, was die Poeſie des Stils beleben kann, Feuer, Energie, moraliſche Betrachtungen, Körnichte Sittenſprüche, ausgebreitete Reden findet man hier. Die Fehler, die der Dichter mit ſeinen Zeitgenoſſen gemein hatte ſind zu lange und zu gekünſtelte Haranguen, zu viel Prunk in Sentenzen, zu viel Deklamation, zu viel Begierde zu glänzen, zu wenig Harmonie des Verſes.*

Edidit Cortius Lipſiae 1726. 8. CVM NOTIS VARIORVM OVDENDORPIVS LVGDVN. BAT. 1728. 4. BVRMANNVS CVM COMMENTARIO, LEIDAE 1740. 4. *Meuſſel ſcripſit duas diſſertationes de Lucani Pharſalia Halae* 1767. *et* 68.

o) Domitianus intelligitur, a quo ſororis filiorum inſtitutioni praefectus eſt. vide Prooemium in L. IV. Appellatus eſt vero Germanicus, quoniam cum Patre in germanica fuiſſe expeditione dicitur; vel quod Batauos, Germaniae populos, cum Antonio et Muciano, vt Tacitus L. IV. Hiſt.

imperio iuuenis fecefferat, p) fublimius, doctius, omnibus denique numeris praeftantius? Quis enim caneret bella melius, quam qui fic egerit? Quem praefidentes ftudiis deae propius audirent? Cui magis fuas artes aperiret familiare Numen Mineruae? q) Dicent hoc plenius futura fecula. Nunc enim ceterarum fulgore virtutum laus ifta praeftringitur. Nos tamen facra litterarum colentes feras,

Cae-

Hift. c. 85. fcribit, in ditionem redegit. *Gyraldus Dial. 5. Poetarum.*

p) Tacitus L. IV. Hift. fub extr. ita: *Domitianus, fperni a fenioribus iuuentutem fuam cernens, modica quoque et vfurpata antea munia imperii omittebat: fimplicitatis ac modeftiae imagine, in altitudinem* (id eft latebram, fimulando, tacendo, patiendo, quam Cicero βαθυτητα ad Att. IV. 6. v. 10. vocat) *conditus, ftudiumque litterarum et amorem carminum fimulans, quo velaret animum, et fratris aemulationi fubduceretur, cuius difparem mitioremque naturam contra interpretabatur.* Huc congruit illud Suetonii in Domitiani vita c. 2. *Simulauit et ipfe mire modeftiam inprimisque poeticae ftudium, tam infuetum antea fibi quam poftea fpretum et abiectum.* Senfus igitur eft, relicto imperio militari ad opera poetica elaboranda a ftrepitu rerum gerendarum fecefferat.

q) Mineruam Domitianus praecipue coluit, eiusque fe filium appellauit. Sed quam turpis adulatio, fimulatio Domitiani ex citatis auctoribus tam liquido cum appareat? Prô temporum iniuriam, quae Fabium optimum (De Martiali et Silio minus miror) turpiter impio princip[i] adrepere fecerunt: In feliciorem fane aetatem incidimus, vbi tam manfuetudo Principum, quam fortium virorum fancta libertas Veritati litat. Documentum nouiffimum eft epiftola inclyti Retzeri ad Profefforem Gieffenfem Schmidium.

Inter epici carminis opera ingeniis originariis elaborata taceri non poffunt, OSSIAN, cuius *Fingal* Homericas multas virtutes continet (Denis vertit verfu Hexametro fonoro et omnibus poeticis figuris ornato) Noah Bodmeri vti Meffias Klopftokii: priorem Schmidius Ennium noftrum vocat: Klopftokii ingenium ex eo elucet, quod multi nequidquam imitari conati funt. Vide celebrem libellum, *Klopftock Er und über ihn.* 1780.

Caesar, si non tacitum hoc praeterimus, et Virgiliano certe versu testamur,

Inter victrices hederam tibi serpere lauros.

Elegia Graecos quoque prouocamus; cuius mihi tersus atque elegans maxime videtur auctor Tibullus. Sunt, qui Propertium malint. Ouidius vtroque lasciuior: sicut durior Gallus. r)

r) Poetarum elegiacorum Triumviri *Tibullus*, *Catullus*, *Propertius* passim editi sunt iunctim.

1mo. ex recensione Graevii Traiecti 1680. et cum notis Antonii Vulpii Pataui 1710. 4. Princeps est Tibullus cum suauitate et elegantia, tum naturali pulchritudine orationis. Vitam rusticam vrbanae praetulit; et ex tranquillo hoc otio aequabile et venustum suum carmen prouenit.

Editus est studio Broucкhvsii *Amstelod*. 1708. 4.

Item a Cl. Heynio *Lipsiae* 1777. 8.

Interpretationem adornauit, ac Diatribam de Tibulli Charactere edidit Cl. Degenivs *Onoldi* 1781. 8. — Comparationem Tibullum inter et Propertium instituit *Muretus* Praef in Prop.

Editus est a Brouckhusio Amstelod. 1702.

Item cura Friderici Gottl. Barthii, Lipsiae sumtibus Schwikerti 1777. 8.

Idem Barthius scripsit Vorlesungen über einige Elegien des Properz cet. Dresdae 1775.

Ouidium praeter poeticas virtutes, sermonis Latini puritas maxime commendat: Ingenii luxuriantis vbertate in loquacitatem saepe abreptus est.

Editus est 1mo *cura Dan. Heinsii Lugd. Bat. ex officina Elzeu* 1629. 12. *Vol.* 3.

Studio Petri Burmanni Amstelod. 1727. 4. *Vol.* 4.

Cum praefatione Io. Aug. Ernesti et cura Fischeri Lipsiae 1758. 8. *Vol.* 2.

Lectu quoque digna commentatio Fr. Aug. Wiedenbvrgi *de Poetis Romanorum elegiacis Helmstadii* 1772. In *Catullo* eminet Naenia in mortem passeris elegantissime a Ramlero versa. *Galli* eligiae,

Satira quidem tota noſtra eſt, in qua primus inſignem laudem adeptus eſt Lucilius, qui quosdam ita deditos ſibi adhuc habet amatores, vt eum non eiusdem modo operis auctoribus, ſed omnibus poetis praeferre non dubitent. Ego quantum ab illis, tantum ab Horatio diſſentio, qui Lucilium fluere lutulentum, et eſſe aliquid, quod tollere poſſis, putat. Nam et eruditio in eo mira, et libertas, atque inde acerbitas, et abunde ſalis. s)

Multo eſt terſior, ac purus magis Horatius, et ad notandos hominum mores praecipuus. Multum et verae gloriae, quamuis vno libro, Perſius meruit. t) Sunt clari hodieque, et qui olim nomina-

ſi eius ſunt, ſaepius reperiuntur editionibus Tibulli et Propertii adiectae.

s) Horatius vocat Graecis *intactum* carmen: ex quo patet de forma carminis, non de re ipſa eſſe intelligendum. Comoedia enim Graecorum et interludia perſonas perſtringebant, ac vitia inſectabantur: De Archilochi mordacibus iambis ſupra dictum. *Pacuuius* atque *Ennius* extra ſcenam ſatiras compoſuere, ſed varia miſcuerunt carminum genera; *Lucilius* magis limauit atque ad vnum genus reduxit. Hoc liquet ex Diomedis L. III. *Satira eſt apud Romanos (non quidem apud Graecos) maledicum et ad carpenda hominum vitia, archaeae comoediae charactere, compoſitum: quale ſcripſerunt Lucilius et Horatius et Perſius. Sed olim carmen, quod ex variis poematibus conſtabat, ſatira dicebatur, quale ſcripſerunt Pacuuius et Ennius.* RIEDEL *in den Briefen an das Publicum* dedit hiſtoriam Satirae: eſt epiſtola numero ſeptima.

Lucilium edidere 1mo *Franciſcus* DOVSA *Lugd. Bat.* 1597. 4.
Et VVLPIVS *Patauii* 1735. 8.

t) Horatius duos ſcripſit ſatirarum libros *Sermones* inſcriptos.

Perſium cum commentario edidit Iſaac CASAVBONVS. *Acutius*

nabuntur. u) Alterum illud eſt, et prius Satirae genus, x) quod non ſola carminum varietate mixtum condidit Terentius Varro, vir Romanorum eruditiſſimus. Plurimos hic libros et doctiſſimos compoſuit, peritiſſimus linguae latinae, et omnis antiquitatis, et rerum Graecarum, noſtrarumque: plus tamen ſcientiae collaturus, quam eloquentiae.

Iambus non ſane a Romanis celebratus eſt, vt proprium opus; a quibusdam interpoſitus: y) cuius acerbitas in Catullo, Bibaculo, Horatio: quamquam illi epodos interuenire non reperiatur. z)

T 4 At

Acutius edidit Mericus CASAVBONVS *Lugdun. Batau.* 1695. 4.

u) *Iuuenalis* intelligitur, cuius ſublimitas traegoediae, ſicut Horatii ſimplicitas comoediae comparatur.

Editus eſt cum vaſto commentario a Henrico chriſt. Henninio Vltraiecti 1685. 4.

De tribus hisce Satiricis Schmidius: *Horaz iſt Hoffmann, Iuuena Redner, Perſius ſtoiſcher Philoſoph.*

x) Intelligitur ſatirae genus proſa tum Latina tum Graeca interpoſita diſtinctum, quod condidit apud Romanos Varro. *Prius* explicat Geſnerus per *praeſtantius*; ne, quae ſupra de Lucilio dixit, iis hic contradicere Fabius videatur. Varronem vocat Cicero πολυγραφώτατον: vnde, qui multa eruditione inclareſcunt *Varrones* appellari ſolent.

Praeter libros deperditos ſuperſunt de re ruſtica L. III. quos octogenarius compoſuit. Et ex libris XXXIII. de lingua latina L. IV. V. VI. VII. VIII. et IX.

Editio pleniſſima eſt cum notis Scaligeri, Turnebi cet. Dordrechti ex officina BEREWOVT 1619.

Et apud IANSON *Amſtelod.* 1623. 8.

y) Nullus totum librum iamborum compoſuit, quamquam multi aliis verſibus immiſcuerint.

z) *Epodos* eſt, ſi eiusdem generis verſiculus breuior accinit lon-

At Lyricorum idem Horatius fere ſolus legi dignus. Nam et inſurgit aliquando, et plenus eſt iucunditatis et gratiae, et variis figuris et verbis feliciſſime audax. Si quem adiicere velis, is erit Caeſius Baſſus, quem nuper vidimus: ſed eum longe praecedunt ingenia viuentium.

Tragoediae ſcriptores, Accius atque Pacuuius, clariſſimi, grauitate ſententiarum, verborumque pondere, et auctoritate perſonarum. Ceterum nitor, et ſumma in excolendis operibus manus, magis videri poteſt temporibus, quam ipſis defuiſſe. Virium tamen Accio plus tribuitur: Pacuuium videri doctiorem, qui eſſe docti affectant, volunt. Iam Varii Thyeſtes cuilibet Graecorum comparari poteſt. Ouidii Medea videtur mihi oſten-

longiori e. g. *Dimeter trimetro*, cuius inuentor eſt *Archilochus*. In hoc ſenſu L. V. Horatii eſt epodos, ſaltem quoad XI. priores odas. Particula igitur ad Catullum referatur, cum pronomen *ille* more ſibi proprio ad remotius ſaepe referat Fabius.

Editiones nouiſſimae ſunt ex recenſione et cum notis Richardi Bentlei *Cantabrigiae* 1711. 8. Thomas Bentleivs *notas contraxit et textum a Rich. conſtitutum reddidit Cantabrig.* 1713. 12.

ado. *Ex recenſione et cum notis M. Chriſt. David Iani Tom. I. Lipſiae* 1778. 8.

Horatius philoſophiam popularem calluit maxime, ſuisque in verſibus feliciſſime expreſſit: Vrbanitatem, quae in eo mira eſt, ex familiaritate Auguſti et Mecaenatis hauſit. Inter plurima, quae Horatium illuſtrarunt, ſcripta, tironibus commendo Brieglebum; *Vorleſungen über den Horaz Vol. I. et II. Altenburgi ex officina Richteriana.* Ramlerus non ſolum nitidiſſime odas plures vertit in Germanicum, ſed in proprio etiam opere ingenium plane oſtendit Horatiano analogon. Epiſtolae recentiſſimme et felici Mineruua verſae prodiere Deſſauii.

ostendere, quantum vir ille praestare potuerit, si ingenio suo temperare, quam indulgere, maluisset. Eorum quos viderim, longe princeps Pomponius Secundus, quem senes parum tragicum putabant, eruditione ac nitore praestare confitebantur. a)

In comoedia maxime claudicamus: licet Varro dicat, Musas, Aelii Stilonis sententia, Plautino sermone locuturas fuisse, si latine loqui vellent; b) licet Caecilium veteres laudibus ferant; licet Terentii Scripta ad Scipionem Africanum referantur: quae tamen sunt in hoc genere elegantissima, et plus adhuc habiturae gratiae, si intra versus trimetros stetissent. c) Vix leuem consequimur vmbram,

a) De his praeter fragmenta ex Cicerone, Gellio, aliisque collecta nihil ad nos venit.

b) Aetatis et spectatorum, quibus se accommodauit, ratio habenda: Augusti enim aetate, si Plautino, certe plebeio more, Musae locuturae fuissent; vt recte ex Mureto ad hunc locum notat Burmannus.

c) Vsus est Terentius iambo octonario. De *Plauto* atque *Terentio* sic iudicat Schmidius: *Plautus der Zeit und Genie nach der erste komische Dichter der Römer, hat eine unerschöpfliche und starke Laune, einen beredten und natürlichen Dialog, lebhafte Karaktere, viel Erfindung. Seine Plane sind einfach und einförmig, sein Witz ist unächt, oft mit Possen, Wortspielen, Zweydeutigkeiten untermengt, die Sprache voll Archaismen und unkorrekt. Seine Muster sind die Griechen, von denen er Plane, Ideen und Scene entlehnet. — Terenz bildete sich nach Menander und den neuern Griechen. Seine Plane sind regelmäßiger, seine Karaktere feiner ausgebildet, sein Scherz gesitteter, seine Stücke reicher an ernsthaften Stellen und Sittensprüchen, als die des Plautus. Seine Sprache die eleganteste.*

Editus est Plautus 1mo *cura* TAUBMANNI *Wittenbergae apud Schurerum* 1612. 4. Prioris

bram, adeo vt mihi ſermo ipſe Romanus non recipere videatur illam ſolis conceſſam Atticis venerem, quando eam ne Graeci quidem in alio genere linguae obtinuerint. Togatis d) excellit Afranius: vtinamque non inquinaſſet argumenta foedis amoribus, mores ſuos faſſus.

§. II. Historici.

At hiſtoria non ceſſerit Graecis, nec opponere Thucydidi Salluſtium e) verear: nec indignetur ſibi Herodotus aequari T. Liuium, cum in nar-

oris Francofurtenſis 1605. Taubmannum ipſum puduit.

2do. ex recenſione Frid. Gronovii *Lugd. Bat.* 1669. 8. *Vol. II. repetita eſt Lipſiae cura* Othonis *cum praefatione* Ernesti 1760.

3tio. Studio Societatis Bipontinae, Editio, quod fronte promittit, ſane accurata et plauſu, quo excepta eſt, digna. —

Terentius editus eſt ab Arn. Andr. Westerhovio *Hagae comitum* 1726. 4. *Tom. II.* Weſterhouius melior grammaticus, quam criticus habetur. *Redacta eſt in breuiorem formam in vſum iuuentutis* 1732.

2do. a Zevnio *Lipſiae* 1774. 8. *Tom. II.* Squalida exterior forma multas interiores virtutes obſcurat.

3tio. ſtudio ſocietatis bipontinae.

Brieglebvs doctas de lectione Terentiana commentationes ſcripſit.

d) Apud Romanos fabularum aliae erant *palliatae*, aliae *togatae*: illae erant ſecundum argumenta et ritus *Graecos*; hae *Romanos*, a gentium veſte nomine ducto. Togatarum rurſus duo genera erant: *praetextatae*, quae virorum principum actiones inducebant, et proprie *togatae*, quae de hominibus priuatis erant, quas ſcripſit Afranius.

e) Salluſtius hiſtoricus vere philoſophicus bellum Catilinarium et Iugurthinum ita deſcripſit, vt deperditorum librorum, quibus Principis hiſtoricorum nomen apud veteres obtinuit, ſumma nobis iactura ſit. Breuitas, quam ſatis

narrando mirae iucunditatis, clarissimique candoris, tum in concionibus, supra quam enarrari potest, eloquentem: f) ita dicuntur omnia, cum rebus, tum personis accommodata: sed affectus quidem, praecipue eos, qui sunt dulciores, vt parcissime dicam, nemo historicorum commendauit magis. Ideoque immortalem illam Sallustii velocitatem, diuersis virtutibus consecutus est. Nam mihi egregie dixisse videtur Seruilius Nonianus, pares eos ma-

satis mirari non possum, summi ingenii signum est. Res feliciter eligit, verbisque, queis res exprimat, tam aptis vtitur, vt principe idea adsignata, quae natura illi nexa sint, sponte se offerant: quo subacti iudicii viro nil podest esse iucundius. Ex quo patet, eruditas, vt Fabius alio loco monuit, aures afferre oportere, et tironibus, nisi fido praeeunte interprete, non esse suadendum. — Quam scite praeter ea et indagat et aperit caussas rerum? In Catilinaria coniuratione Romanam luxuriam, solutos mores, Catilinae disciplinam et corruptam iuuentutem, pessimas amicitias, praeuium Sullanum bellum, commune aes alienum, belli ex rapinarum spe cupiditatem, mala, quae diu sub cinere gliscebant, donec, Catilina faces admouente, in incendium erumperent, mala inquam temporibus et rebus distantia in vnum confluere vidit egregius scriptor, et, quibus summi viri proficiant, docuit.

Inter editiones praecipuas referuntur

1mo. ex recensione et cum notis Iosephi Wasse *Cantabrigiae* 1710. 4.

2do. ex recensione Cortii *Lipsiae* 1724. 4.

3tio. cura Sigeberti Haverkampi *Hagae comitum et Vltraiecti* 1742. *Tom. II.*

4to. Studio societatis bipontinae novis curis 1780.

f) De Liuiano dicendi genere verissimum est Fabii iudicium, quod alio loco breuius executus est, lacteam ei vbertatem cum tribueret. Historiam Romanam scripsit pragmaticam libris CXLII, quorum hodie supersunt XXXV. Sed ad historiae leges si Liuii scripta examines; vitiis non caret. Gloriae Romanae augendae, odioque in Gallos veritatem saepius postposuisse videtur. In bello punico secundo, quo in narrando ma-

magis quam ſimiles: qui et ipſe a nobis auditus eſt, clari vir ingenii, et ſententiis creber, ſed minus preſſus, quam hiſtoriae auctoritas poſtulat. g)

Quam, paullum aetate praecedens eum Baſſus Aufidius, egregie, vtique in libris belli Germanici praeſtitit, genere ipſo probabilis in omnibus, ſed in quibusdam ſuis ipſe viribus minor. Supereſt adhuc et exornat aetatis noſtrae gloriam, vir ſeculorum memoria dignus, qui olim nominabitur, nunc intelligitur. Habet amatores, nec imitatores; vt libertas, quamquam circumciſis quae dixiſſet, ei nocuerit. Sed elatum abunde ſpiritum, et audaces ſententias deprehendas etiam in iis, quae manent. h) Sunt et alii scriptores boni: ſed

nos

maximas ſuas virtutes exeruit, partium ſtudium diſſimulare non potuit. Ad haec ſuperſtitionibus, fabellisque nimium referta eſt hiſtoria: ſub dubio quidem narrauit plerumque; ſed hiſtoricum pragmaticum errores conuellere, et meliora poſteros docere decet. Varia de his diſputarunt eruditi. Cauſſam egit *Cl. Schwabe in vindiciis credulitatis Liuii Gottingae* 1773. 4.

Inter editiones abſolutiſſima eſt *cura Arn.* DRAKENBORGII *Lugd. Bat. apud Sam. Luchtmans* 1738. - 46. *Tom. VII.* 4.

In vſum ſcholarum edidit Cl. STROTH. *Gymnaſii Gothani Rector Lipſiae* 1780. 8.

g) De Seruilio Tacitus L. XIV. Ann. c. 19. *Sequuntur virorum illuſtrium mortes, Domitii Afri et M. Seruilii, qui ſummis honoribus et multa eloquentia viguerunt. Ille orando cauſſas, Seruilius diu foro, mox tradendis rebus Romanis celebris, et elegantia vterque eam clariorem fecit, vt par ingenio, ita morum diuerſus.* De Baſſo Aufidio vide Lipſium ad epiſtolam 30. Senecae.

h) Haec Tacito conuenire, iam extra dubium eſt. Difficultatem olim monuit Lipſius ex eo, quod

nos genera deguſtamus, non bibliothecas excutimus.

§. III. Oratores.

Oratores vero vel praecipue Latinam eloquentiam parem facere Graecae poſſunt. Nam Ciceronem cuicumque eorum fortiter oppoſuerim. Nec ignoro, quantam mihi concitem pugnam, cum praeſertim id non ſit propoſiti, vt eum Demoſtheni comparem hoc tempore: neque enim attinet, cum Demoſthenem in primis legendum, vel ediſcendum potius putem. i) Quorum ego virtutes pleraſ-

quod regnante Domitiano, ſub quo Fabius ſcripſit, nihil edidiſſe Tacitum conſtet. Ideo Plinium maiorem intelligi poſſe, dubitanter licet, aſſerit Geſnerus. Difficultatem omnem ſoluit doctiſſimus *Crollius* in praefatione ſua ad Tacitum §. 18. qui hic pro commentario eſt. *Nimirum Fabius in principio libri ſe poſt impetratam ſtudiis ſuis quietem, quae per viginti annos erudiendis iuuenibus impenderat, ad hos libros de ratione dicendi componendos acceſſiſſe dicit; atque eius vacationis initium incidit in annum* 881. *qui eſt* 8*uus a morte Plinii. Iis vero componendis biennium ſe impendiſſe, dein etiam ex praecepto Horatii diutius libros domi retinuiſſe, antequam ederentur, ad Tryphonem bibliopolam ſcribit: atque cum A. C.* 118*uum ſuperuixerit, haec nouiſſime edidiſſe putandus eſt, poſtquam Tacitus redeuntium cum Nerua et Traiano temporum felicitate ductus ſcribere primum hiſtorias, dein Annales aggreſſus eſſet: cuius libertas dicendi ac veritas amatores inuenerit, non imitatores. — Tum forſan factum, vt exemplaria edita a primo Taciti exemplo non perinde eſſent integra, ſed quae homines id temporis laeſerint, a plerisque reſecarentur. Ita ei libertatem obfuiſſe credimus.*

i) Demoſthenis eloquentia ſeculis erat probata, at Fabii tempore Cicero apud multos male audiebat, vt apparet ex Dialogo de cauſſis corruptae eloquentiae et ex comparatione a Plutarcho inſtituta. Pugnam optime componi poſſe putat Fabius, ſi Demoſtheni virtutes, imo praerogatiuam non neget; ex quo iure quoque poſtulare videtur, vt Ciceronianam eloquentiam laudibus extollens aequis auribus audiatur. Splendidum eſt

pleraſque arbitror ſimiles, conſilium, ordinem diuidendi, praeparandi, probandi rationem, omnia denique, quae ſunt inuentionis. In eloquendo eſt aliqua diuerſitas: denſior ille, hic copioſior: ille concludit adſtrictius, hic latius: pugnat ille acumine ſemper, hic frequenter et pondere: illi nihil detrahi poteſt, huic nihil adiici: curae plus in illo, in hoc naturae. Salibus certe et commiſeratione (qui duo plurimum affectus valent) vincimus. Et fortaſſe epilogos illi mos ciuitatis abſtulerit. Sed et nobis illa, quae Attici mirantur, diuerſa Latini ſermonis ratio minus permiſerit. In epiſtolis quidem, quamquam ſunt vtriusque, nulla contentio eſt. Cedendum vero in hoc quidem, quod ille et prior fuit, et ex magna parte Ciceronem, quantus eſt, fecit. Nam mihi videtur M. Tullius, cum ſe totum ad imitationem Graecorum contuliſſet, effinxiſſe vim Demoſthenis, copiam Platonis, iucunditatem Iſo-

eſt Fabii de Tullio iudicium, cui addere licet, quae Longinus ſ. 12.

Optime de Cicerone meritus eſt Io. Auguſtus ERNESTI ſermonis Ciceroniani peritiſſimus, cuius Manibus omnes elegantioris latinitatis ſtudioſi iuſte parentant.

Edidit primum Lipſiae A. 1737. et 38. Vol. VI. et Halis Sax. 1758. cum claue communi eruditorum calculo probata, quam iuuenes, imo viri qui ſtilo vacant latino, numquam deponant.

Repetita eſt editio Halis Saxonum 1774. 8. Tom. VII.

Editores bipontini ad decimum vſque volumen fauſtis ominibus iam progreſſi ſplendoris nihil deeſſe patiuntur. Notitiam literariam de Cicerone inuenies in editione bipontina et notitia literaturae Romanae Cl. HARLESII.

Iſocratis. Nec vero quod in quoque optimum fuit, ſtudio conſecutus eſt tantum, ſed plurimas, vel potius omnes ex ſe ipſo virtutes extulit immortalis ingenii beatiſſima vbertate. Non enim pluuias (vt ait Pindarus) aquas colligit, ſed viuo gurgite exundat, l) dono quodam prouidentiae genitus, in quo totas vires ſuas eloquentia experiretur. Nam quis docere diligentius, mouere vehementius poteſt? Cui tanta vmquam iucunditas affuit? vt ipſa illa, quae extorquet, impetrare eum credas, et, cum tranſuerſum vi ſua iudicem ferat, tamen ille non rapi videatur, ſed ſequi. Iam in omnibus, quae dicit, tanta auctoritas ineſt, vt diſſentire pudeat: nec aduocati ſtudium, ſed teſtis aut iudicis afferat fidem. Cum interim haec omnia, quae vix ſingula quiſquam intentiſſima cura conſequi poſſet, fluunt illaborata: et illa, qua nihil pulchrius auditu eſt, oratio prae ſe fert tamen facilitatem. Quare non immerito ab hominibus aetatis ſuae regnare in iudiciis dictus eſt: apud poſteros vero id conſecutus, vt Cicero iam non hominis nomen, ſed eloquentiae habeatur. Hunc igitur ſpectemus, hoc propoſitum ſit nobis exemplum, Ille ſe profeciſſe ſciat, cui Cicero valde placebit. m)

Multa

l) Metaphora ducta ab aqua viua, quae ab ipſa ſcaturigine oritur ac fluit.

m) Ne vero ſummi Oratoris ſe imitatores putent, qui verba et nuda ſynonima coacervantes mul-

Multa in Asinio Pollione inuentio, summa diligentia, adeo vt quibusdam etiam nimia videatur: et consilii et animi satis: a nitore et iucunditate Ciceronis ita longe abest, vt videri possit seculo prior. n) At Messala nitidus, et candidus, et quodam modo prae se ferens in dicendo nobilitatem suam; viribus minor. o) C. vero Caesar si foro tantum vacasset, non alius ex nostris contra Ciceronem nominaretur. Tanta in eo est vis, id acumen, ea concitatio, vt illum eodem animo dixisse, quo bellauit, appareat. Exornat tamen haec omnia mira sermonis, cuius proprie studiosus fuit, elegantia. p)

Mul-

multis periphrasibus extensas conglomerant periodos, quibus et sanguis et nerui desunt. Quid de illis dicam, qui plebem docent, et illud dicendi affectant genus, quo Cicero in rostris multitudinis indulsit voluptati et popularem auram captauit; aut qui tirones ad quotidianae vitae negotia praeparantes, quae coram senatu Romano dixit, in exemplum proponant? Circumspecte et sobrie est legendus, temporum, aetatis, status, in quo dixit, habenda ratio et tum in carnem ac sanguinem conuertendus.

Horatius L. II. od. I. et poetam tragicum et oratorem et historicum et heroem laudat. Publicas Recitationes item Bibliotecas Romae instituisse dicitur, in quibus virorum clarorum statuae collocabantur. Famae alienae inuidus et summorum ingeniorum iniquus censor.

o) Messala, oriundus e nobili Valeriorum familia, in senectute ita perdidisse memoriam dicitur, vt oblitus sit proprii nominis: alius occurrit Messala orator in dialogo de caussis corruptae eloquentiae.

p) De Caesare illustre est Cl. Harlesii testimonium: *In hoc natura, quod efficere, possit, videtur experta. Nihil illo fuit illustrius; equidem neminem noui Romanorum, qui pari, nedum maiori ingenio fuerit praeditus. Fuit ad omnes res aptus, consilii plenus, promtus in rebus gerendis non minus*

Multum ingenii in Caelio, et praecipue in accuſando multa vrbanitas, dignusque vir, cui et mens melior, et vita longior contigiſſet. q)

Inueni, qui Caluum praeferrent omnibus, inueni, qui Ciceroni crederent, r) eum nimia contra ſe calumnia verum ſanguinem perdidiſſe. Sed eſt et ſancta et grauis oratio, et caſtigata, et frequenter vehemens quoque. Imitator eſt autem Atticorum, fecitque illi properata mors iniuriam, ſi quid adiecturus, non ſiquid detracturus fuit. Et Seruius Sulpicius s) inſignem non immerito famam

U tribus

minus quam excogitandis; bonus hiſtoricus, perfectus ſcriptor, probabilis orator, poeta haud omnino contemnendus, quid? quod ſubtilis philoſophus et grammaticus: imperator ſummus et mari et terra. In omni hiſtoria praeter Carolum M. et Fridericum M. B. R. pauci erunt, qui claritate et vſu belli non minus quam literarum amore, ingeniique praeſtantia noſtrum aequent et cum eo poſſint comparari. De eius dicendi genere vide Cic. Brutum c. 74. 75. et 76.

Inter optimas editiones refertur OVDENDORPIANA *Lugd. Bat. apud Sam. Luchtmans* 1737. 4.

Nouiſſima eſt, quae multam quoque laudem tulit, quamque adornauit Sam. Frid. Nathan. Morus Prof. Lipſ. 1780. *apud Weidmann et Reich.*

q) Caelii mala mens ex iis colligitur, quae Velleius Paterculus L. II. Hiſt Rom. c. 68. refert. De eius iracundia teſtis Seneca L. III. de ira c. 8.

r) Ciceronis iudicium vide in Bruto c. 82.

s) De Sulpicio Cicero in Bruto c. 55. et 56. *Fuit Sulpicius vel maxime omnium, quos quidem ego audiuerim, grandis, et, vt ita dicam, tragicus orator. Vox cum magna, tum ſuauis et ſplendida: geſtus et motus corporis ita venuſtus, vt tamen ad forum, non ad ſcenam inſtitutus videretur: incitata et volubilis, nec ea redundans tamen, nec circumfluens oratio. Craſſum hic volebat imitari; Cotta malebat*

tribus orationibus meruit. Multa, ſi cum iudicio legatur, dabit imitatione digna Caſſius Seuerus, qui, ſi ceteris virtutibus colorem et grauitatem orationis adieciſſet, ponendus inter praecipuos foret. Nam et ingenii plurimum eſt in eo, et acerbitas mira, et vrbanitas, et vis ſumma: ſed plus ſtomacho, quam conſilio dedit: praeter ea vt amari ſales, ita frequenter amaritudo ipſa ridicula eſt. t) Sunt et alii multi diſerti, quos perſequi longum eſt. Eorum, quos viderim, Domitius Afer, et Iulius Africanus, longe praeſtantiſſimi. Verborum arte ille, et toto genere dicendi praeferendus, et quem in numero veterum locare non timeas: hic concitatior, ſed in cura verborum nimius, et compoſitione non numquam longior, et translationibus parum modicus. Erant clara et nuper ingenia. Nam et Trachallus plerumque ſublimis, et ſatis apertus fuit, et quem velle optima crederes: auditus tamen maior. Nam et vocis, quantam in nullo cognoui, feli-

lebat Antonium. Sed ab hoc vis aberat Antonii, Craſſi ab illo lepos. — Sulpicii orationes, quae feruntur, eas poſt mortem eius ſcripſiſſe P. Canutius putatur, aequalis meus, homo extra noſtrum ordinem, meo indicio diſſertiſſimus. Ipſius Sulpicii nulla oratio eſt: ſaepeque ex eo audiui, cum ſe ſcribere neque conſueſſe, neque poſſe diceret. Comparationem inter Cottam et Sulpicium vide de orat. III. c. 8.

t) Maxime propendebat in ſatiram et diffamationes, temperamenti vitio. Tacitus L. I. Annal. c. 72. *Primus Auguſtus cognitionem de famoſis libellis, ſpecie legis eius, tractauit, commotus Caſſii Seueri libidine, qua viros feminasque illuſtres procacibus ſcriptis diffamauerat.* L. IV. Annal. c. 21. vocat *ſordidae originis, maleficae vitae, ſed orandi validum.*

felicitas, et pronuntiatio vel ſcenis ſuffectura, et decor: omnia denique ei, quae ſunt extra, ſuperfuerunt. Et Vibius Criſpus, compoſitus, et iucundus, et delectationi natus: priuatis tamen cauſſis, quam publicis melior. Iulio ſecundo ſi longior contigiſſet aetas, clariſſimum profecto nomen oratoris apud poſteros foret. Adieciſſet enim, atque adiiciebat ceteris virtutibus ſuis, quod deſiderari poteſt. Id eſt autem, vt eſſet multo magis pugnax, et ſaepius ad curam rerum ab elocutione reſpiceret. Ceterum interceptus quoque magnum ſibi vindicat locum. Ea eſt facundia, tanta in explicando, quod velit, gratia: tam candidum, et lene, et ſpecioſum dicendi genus: tanta verborum, etiam quae aſſumta ſunt, proprietas: tanta in quibusdam ex periculo petitis ſignificantia.

Habebunt, qui poſt nos de oratoribus ſcribent, magnam eos, qui nunc vigent, materiam vere laudandi. Sunt enim ſumma hodie, quibus illuſtratur forum, ingenia. Namque et conſummati iam patroni veteribus æmulantur, et eos iuuenum ad optima tendentium imitatur ac ſequitur induſtria. u)

U 2 §. IV.

u) Vbi Demosthenes nostri, vbi Cicerones? quaerit Regius Auctor in ſuo opere ſur la Litterature Allemande. Ad haec apte reſpondet laudatus ſaepe Auctor *über die Sprache und Wiſſenſchaften der Deutſchen pag.* 235.

§. IV. Philosophi.

Supersunt, qui de philosophia scripserunt, quo in genere paucissimos adhuc eloquentes literae Romanae tulerunt. Idem igitur M. Tullius, x) qui, vt vbique, etiam in hoc opere Platonis aemulus extitit. Egregius vero, multoque, quam in orationibus, praestantior Brutus, y) suffecit ponderi rerum: scias eum sentire, quae dicit. Scripsit non parum multa

x) Maxime Cicero de Philosophia meruit, quod Graecorum philosophorum scripta partim in latinum vertit, partim doctrinam eorum patrio sermone pertractans ciuibus suis ipsam vitae magistram familiariorem fecit, patrium sermonem excoluit, et denique veteris philosophiae monumenta, quibus magnam partem alias careremus, nobis reliquit; vt nuperrime *antiquae philophiae historiam* ex Ciceronis scriptis collegit Cl. Gedike Gymnasii Berolinensis Director. An vero philosophiam, quam scribendo docuit, viuendo exercuerit quoque; multum disputant eruditi. Illustris sane veritas, quam toties in vita experimur, Ciceronis quoque exemplo confirmari videtur, *aliud esse docere aut suadere; aliud facere: et hominis animum a temporibus et fortuna maxime pendere.* Summo animo summisque virtutibus instructus ad rempublicam accessit; et quid gloriae cupido, si in rectum vertatur, in magnis viris efficiat, pulcherrimis factis comprobauit. Sed tristis reipublicae status, inuidorum odia, domesticae calamitates; exilium atque insidiae non potuerunt non deiicere viri summe popularis et suorum meritorum conscii animum, ita, vt infirmitatibus humanibus succumberet, et sua gloria indigna ageret. Ad quae si eius anxietatem, dubitationem, inconstantiam, quae ex literis elucet, et illam humilem sane in epistola ad Lucceium laudis cum veritatis impendio flagitationem referas; animi humani peritus mitius forte iudicabis, ac multi fecerunt. De eius iactantia et morte inferius.

y) M. Iunius Brutus inter praecipuos Caesaris interfectores nomen professus, Ciceronis familiarissimus erat; qui librum de *claris oratoribus* Bruti nomine inscripsit. Acad Quaest. L. I. c. 3. illustre de illo testimonium tulit: *Brutus quidem noster excellens omni genere laudis, sic philosophiam Latinis literis persequitur, nihil vt iisdem de rebus graeca desideres.* Multus quoque de eo est Velleius Paterculus L. II. c. 70, vbi eius animum signat.

multa Cornelius Celſus, z) Scepticos ſecutus, non ſine cultu ac nitore. Plancus in Stoicis rerum cognitioni vtilis. In Epicureis leuis quidem, ſed non iniucundus tamen auctor eſt Catius. a)

Ex induſtria Senecam in omni genere eloquentiae diſtuli, propter vulgatam falſo de me opinionem, qua damnare eum, et inuiſum quoque habere ſum creditus. Quod accidit mihi, dum corruptum et omnibus vitiis fractum dicendi genus reuocare ad ſeueriora iudicia contendo. Tum autem ſolus hic fere in manibus adoleſcentium fuit. Quem non equidem omnino conabar excutere, ſed potioribus praeferri non ſinebam, quos ille non deſtiterat inceſſere, cum diuerſi ſibi conſcius generis, placere ſe in dicendo poſſe iis, quibus illi placerent, diffideret. Amabant autem eum magis, quam imitabantur: tantumque ab eo defluebant, quantum ille ab antiquis deſcenderat. Foret enim optandum, pares, aut ſaltem proximos illi viro fieri. Sed placebat

z) Celſus de diſciplinis prope omnibus ſcripta reliquit: praeter opera grammatica et oratoria, rei militaris et ruſticae, de medicina quoque libros perſcripſit, quam vt philoſophiae partem Platonis exemplo pertractaſſe, non exercuiſſe, a nonnullis dicitur. Claſſicum eſt opus et medico et philoſopho dignum.

Editiones praecipuae ſunt ímo ſtudio Theop. Ianſ. AB ALMELOVEN *Lugd. Bat. apud Langerak.* 1746. 8.

Et ſtudio Car. Chriſt. KRAVSE *Lipſ.* 1766.

a) Hic ille Catius, cuius εἴδωλα, epicurea ridet Cicero L. XV. epiſt. fam. ep. 16. De quibus ſpectris vide Pauli Manutii commentarium in hanc epiſtolam.

bat propter sola vitia, et ad ea se quisque dirigebat effingenda, quae poterat. Deinde cum se iactaret eodem modo dicere, Senecam infamabat. Cuius et multae alioqui, et magnae virtutes fuerunt: ingenium facile et copiosum, plurimum studii, multarum rerum cognitio: in qua tamen aliquando ab iis, quibus inquirenda quaedam mandabat, deceptus est. Tractauit etiam omnem fere studiorum materiam. Nam et orationes eius, et poemata, et epistolae, et dialogi feruntur. In philosophia parum diligens, egregius tamen vitiorum insectator fuit. Multae in eo claraeque sententiae: multa etiam morum gratia legenda: sed in eloquendo corrupta pleraque, atque eo perniciosissima, quod abundant dulcibus vitiis. Velles eum suo ingenio dixisse, alieno iudicio. Nam si aliqua contemsisset, si parum concupisset, si non omnia sua amasset, si rerum pondera minutissimis sententiis non fregisset, consensu potius eruditorum, quam puerorum amore comprobaretur. Verum sic quoque iam robustis, et seueriore genere satis firmatis legendus, vel ideo, quod exercere potest vtrumque iudicium. Multa enim (vt dixi) probanda in eo, multa etiam admiranda sunt: eligere modo curae sit, quod vtinam ipse fecisset. Digna enim fuit illa natura, quae meliora vellet, quae, quod voluit, effecit. b)

CA-

b) Ad hoc Fabii de Seneca iudicium refer illud Iusti Lipsii super

CAPVT XI.

(L. X. C. II.)

De Imitatione.

Ex his ceterisque lectione dignis auctoribus et verborum sumenda copia est, et varietas figurarum, et componendi ratio: tum ad exemplum virtutum omnium mens dirigenda. Neque enim dubitari potest, quin artis pars magna contineatur imitatione. Nam vt inuenire primum fuit, estque praecipuum: sic ea, quae bene inuenta sunt, vtile sequi. Atque omnis vitae ratio sic constat, vt, quae probamns in aliis, facere ipsi velimus. c) Sic literarum ductus, vt scribendi fiat vsus, pueri sequun-

per Senecam et eius scripta, quod editionibus eius praefixum est. Saluberrima sane vitae praecepta dedit, quibus an vita respondeat, multum distant a se auctores, alii nimium laudis in eum congerendo, alii conuiciis iusto plus onerando. Ex quo manifestum sane est, quam multiplex ac varius sit hominis animus, et quantae sit artis, recte de illo iudicare,

Mortem narrat Tacitus L. XV. Annal. c. 60. et seqq.

Editio splendida est cum IVSTI LIPSII *et* FRID. GRONOVII NOTIS *Fol. Amst.* 1672. *Vol. III.*

c) Vt motus *sympathetici* ad persuadendum; ita *synergici*, qui sunt impetus ad similes actiones producendas, ad formandum imitatione animum plurimum valent. Nolumus minores aliis esse, ideoque aliorum bonis excitamur, eademque, quae illi, media adhibemus. Inde Aristoteles Poet. post. initium, *natura hominem ad imitationem ferri et hoc ipso distare ab animantibus, quod his omnibus perfectius, quidquid velit, imitetur, eorumque, quae discit, omnium initia arripiat*, tradit; et hominem ipsum μιμητικον vocat. Quibuscum viuimus, aut quos aliis praestare putamus, hos maxime in imitationem assumimus. Hinc vere dicimus, Regis ad exemplum totum orbem componi, hinc parentibus nati similes; hinc praeceptorum in discipulos bona malaue transeunt, hinc in religionibus factiones, hinc sectae philosophorum

tur: ſic muſici vocem docentium, pictores opera priorum, ruſtici probatam experimento culturam in exemplum intuentur. Omnis denique diſciplinae initia ad propoſitum ſibi praeſcriptum formari videmus. Et hercle neceſſe eſt, aut ſimiles aut diſſimiles bonis ſimus. Similem raro natura praeſtat, frequenter imitatio. Sed hoc ipſum, quod tanto faciliorem nobis rationem rerum omnium facit, quam fuit iis, qui nihil, quod ſequerentur, habuerunt, niſi caute et cum iudicio apprehenditur, nocet. Ante omnia igitur imitatio per ſe ipſa non ſufficit, vel quia pigri eſt ingenii, contentum eſſe iis, quae ſunt ab aliis inuenta. Quid enim futurum erat temporibus illis, quae ſine exemplo fuerunt, ſi homines nihil niſi quod iam cognouiſſent, faciendum ſibi aut cogitandum putaſſent? Nempe nihil fuiſſet inuentum. Cur igitur nefas eſt reperiri aliquid a nobis, quod ante non fuerit? An illi rudes ſola mentis natura ducti ſunt in hoc, vt tam multa generarent, nos ad quaerendum non eo ipſo concitemur, quod certe ſcimus inueniſſe eos, qui quaeſierunt? Et cum illi, qui nullum cuiuſquam rei habuerunt magiſtrum, plurima in poſteros tradiderint, nobis vſus aliarum rerum ad eruendas alias non proderit, ſed nihil habebimus, niſi beneficii alieni? Quem ad modum quidam pictores in id ſolum ſtudent, vt deſcribere tabulas menſuris ac lineis ſciant.

Turpe

Turpe etiam illud eſt, contentum eſſe id conſequi, quod imiteris. Nam rurſus quid erat futurum, ſi nemo plus effeciſſet eo, quem ſequebatur? Nihil in poetis ſupra Liuium Andronicum; nihil in hiſtoriis ſupra Ponficum annales haberemus: ratibus adhuc nauigaremus: non eſſet pictura, niſi quae lineas modo extremas vmbrae, quam corpora in ſole feciſſent, circumſcriberet. d) Ac ſi omnia percenſeas, nulla ſit ars, qualis inuenta eſt, nec intra initium ſtetit: niſi forte noſtra potiſſimum tempora damnamus huius infelicitatis, vt nunc demum nihil creſcat. Nihil enim creſcit ſola imitatione. Quod ſi prioribus adiicere fas non eſt, quo modo ſperare poſſumus illum oratorem perfectum? cum in iis, quos maximos adhuc nouimus, nemo ſit inuentus, in quo nihil aut deſideretur, aut reprehendatur. Sed etiam qui ſumma non appetunt, contendere potius, quam ſequi debent. Nam qui agit, vt prior ſit, forſitan etiam, ſi non tranſierit, aequabit. Eum vero nemo poteſt aequare, cuius veſtigiis ſibi vtique inſiſtendum putat. Neceſſe enim eſt, ſemper ſit poſterior, qui ſequitur. Adde quod plerumque facilius eſt plus facere, quam idem. Tantam enim difficultatem habet ſimilitudo, vt ne ipſa quidem natura in hoc ita eualuerit, vt non res, quae ſimillimae videantur, diſcrimine aliquo diſcernantur. Adde

d) De hac picturae genere Plinius L. XXXV. c. 3. ſ. 5.

quod quidquid alteri ſimile eſt, neceſſe eſt minus ſit eo, quod imitatur, vt vmbra corpore, et imago facie, et actus hiſtrionum veris affectibus. Quod in orationibus quoque euenit. Namque iis, quae in exemplum aſſumimus, ſubeſt natura, et vera vis: contra omnis imitatio ficta eſt, et ad alienum propoſitum accommodatur. Quo fit, vt minus ſanguinis ac virium declamationes habeant, quam orationes: quod in illis vera, in his aſſimulata materia eſt. Adde quod ea, quae in oratore maxima ſunt, imitabilia non ſunt, ingenium, inuentio, vis, facilitas, et quidquid arte non traditur. Ideoque plerique, cum verba quaedam ex orationibus excerpſerunt, aut aliquos compoſitionis certos pedes, mire a ſe, quae elegerunt, effingi arbitrantur: cum et verba intercidant inualeſcantque temporibus, vt quorum certiſſima ſit regula in conſuetudine, eaque non ſua natura ſint bona aut mala, (nam per ſe ſoni tantum ſunt) ſed prout opportune proprieque aut ſecus collocata ſunt: et compoſitio cum rebus accommodata ſit; tum ipſa varietate gratiſſima.

Quapropter exactiſſimo iudicio circa hanc partem ſtudiorum examinanda ſunt omnia. Primum, quos imitemur. Nam ſunt plurimi, qui ſimilitudinem peſſimi cuiusque et corruptiſſimi concupierint. Deinde in ipſis, quos elegerimus, quid ſit, ad quod efficiendum nos comparemus. Nam in ma-

gnis

gnis quoque auctoribus incidunt aliqua vitiosa, et a doctis inter ipsos etiam mutuo reprehensa. Atque vtinam tam bona imitantes dicerent melius, quam mala peius dicunt.

Nec vero saltem iis, quibus ad euitanda vitia iudicii satis fuit, sufficiat imaginem virtutis effingere, et solam, vt sic dixerim, cutem, vel potius illas Epicuri figuras, quas e summis corporibus dicit effluere. Hoc autem iis accidit, qui non introspectis penitus virtutibus, ad primum se velut aspectum orationis aptarunt: et cum iis felicissime cessit imitatio, qui verbis atque numeris sunt non multum differentes, vim dicendi atque inuentionis non assequuntur, sed plerumque declinant in peius, et proxima virtutibus vitia comprehendunt, fiuntque pro grandibus tumidi, pressis exiles, fortibus temerarii, laetis corrupti, compositis exsultantes, simplicibus negligentes. Ideoque qui horride atque incomposite quamlibet frigidum illud et inane extulerunt, antiquis se pares credunt: qui carent cultu atque sententiis, Atticis scilicet: qui praecisis conclusionibus obscuri, Sallustium atque Thucydidem superant: tristes ac ieiuni Pollionem aemulantur: otiosi et supini, si quid modo longius circumduxerunt, iurant ita Ciceronem loquuturum fuisse. Noueram quosdam, qui se pulchre expressisse genus illud coelestis huius in dicendo viri sibi viderentur,

si

ſi in clauſula poſuiſſent, Eſſe videatur. Ergo primum eſt, vt, quod imitaturus eſt quiſque, intelligat, et quare bonum ſit, ſciat.

Tum in ſuſcipiendo onere conſulat ſuas vires. Nam quaedam ſunt inimitabilia, quibus aut infirmitas naturae non ſufficiat, aut diuerſitas repugnet. Nec, cui tenue ingenium erit, ſola velit fortia et abrupta: cui forte quidem, ſed indomitum; amore ſubtilitatis et vim ſuam perdat, et elegantiam, quam cupit, non aſſequatur. Nihil eſt enim tam indecens, quam cum mollia dura fiunt.

Atque ego illi praeceptori, quem inſtitueram in libro ſecundo, tradidi non ea ſola docenda eſſe, ad quae quemque diſcipulorum natura compoſitum videret. Nam is et adiuuare debet, quae in quoque eorum inuenerit bona, et, quantum fieri poteſt, adiicere, quae deſunt, et emendare quaedam et mutare. Rector enim eſt alienorum ingeniorum atque formator. Difficilius eſt naturam ſuam fingere. Sed ne ille quidem doctor, quamquam omnia, quae recta ſunt, velit eſſe in ſuis auditoribus quam pleniſſima, in eo tamen, cui naturam obſtare viderit, laborabit. e)

Id

e) Ingenia proficient optime, ſi, quo natura feruntur, ducas. Propriam quamdam metam quaeuis natura habet; huc ſi dirigas, facile ſequetur; ab hac ſi retrahas recalcitrabit. In magno diſcentium numero pauci proficiunt, et intentis viribus literis

Id quoque vitandum, (in quo magna pars errat) ne in oratione poetas nobis et historicos, in illorum operibus oratores aut declamatores imitandos putemus. Sua cuique proposita lex, suus cuique decor est. Nec comoedia in cothurnos assurgit, nec contra tragoedia socco ingreditur. Habet tamen omnis eloquentia aliquid commune. Id imitemur, quod commune est.

Etiam hoc solet incommodi accidere iis, qui se vni alicui generi dediderunt, vt si asperitas his placuit alicuius, hanc etiam in leni ac remisso caussarum genere non exuant: si tenuitas, aut nuditas, in asperis grauibusque caussis ponderi rerum parum respondeant: cum sit diuersa non caussarum modo inter ipsas conditio, sed in singulis etiam caussis partium; sintque alia leniter, alia aspere, alia concitate, alia remisse, alia docendi, alia mouendi gratia dicenda: quorum omnium dissimilis atque diuersa inter se ratio est.

Itaque

ris vacant: sed pauci quoque volentes adsunt; plurimos aut parentum voluntas aut consuetudo ad hoc vitae genus trahit. Inter ipsa studia atque ingenuas artes alium linguarum studium, alium historia, alium poesis, musica alium iuuat. Varia igitur experiri, in iuuenum frequentia varia semina spargere oportet, et, vt apud quemque synergiae sensus se prodat, obseruandum. Noui iuuenem moribus incultum, et summe negligentem: Casu musicae negotia illi tradita a me sunt; et omnem excitari mentis agilitatem expertus sum; cereus post ad nutus et in omnem partem flexibilis iuuentus. Promoui hos naturales conatus, et non in arte solum sed et moribus profecit. Sic quotidie inter suos experiri licebit praeceptori bono, quod de Carragio legitur, qui conspecta insigni tabula exclamauit; Anch io sono Pittore.

Itaque ne hoc quidem ſuaſerim, vni ſe alicui proprie, quem per omnia ſequatur, addicere. Longe perfectiſſimus Graecorum Demoſthenes, aliquid tamen aliquo in loco melius alii. Plurima ille: ſed non qui maxime imitandus, etiam ſolus imitandus eſt. Quid ergo? non eſt ſatis omnia ſic dicere, quo modo M. Tullius dixit? Mihi quidem ſatis eſſet, ſi omnia conſequi poſſem. Quid tamen nocet, vim Caeſaris, aſperitatem Caelii, diligentiam Pollionis, iudicium Calui, quibusdam in locis aſſumere? Nam praeter id, quod prudentis eſt, quod in quoque optimum eſt, ſi poſſit, ſuum facere: tum in tanta rei difficultate vnum intuentes, vix aliqua pars ſequitur. Ideoque cum totum exprimere, quem elegeris, paene ſit homini inconceſſum: plurium bona ponamus ante oculos, vt aliud ex alio haereat, et, quo quidque loco conueniat, aptemus.

Imitatio autem (nam ſaepius idem dicam) non ſit tantum in verbis. Illuc intendenda mens, quantum fuerit illis viris decoris in rebus atque perſonis, quod conſilium, quae diſpoſitio, quam omnia etiam, quae delectationi videantur data, ad victoriam ſpectent: quid agatur prooemio, quae ratio et quam varia narrandi, quae vis probandi ac refellendi, quanta in affectibus omnis generis mouendis ſcientia, quantaque laus ipſa popularis vtilitatis gratia

aſ-

assumta, quae tum est pulcherrima; cum sequitur, non cum arcessitur. Haec si peruiderimus, tum vere imitabimur.

Qui vero etiam propria his bona adiecerit, vt suppleat, quae deerant, circumcidat, si quid redundabit, is erit (quem quaerimus) perfectus orator: quem nunc consummari potissimum oportebat, cum tanto plura exempla bene dicendi supersint, quam illis, qui adhuc summi sunt, contigerunt. Nam erit haec quoque laus eorum, vt priores superasse, posteros docuisse dicantur. f)

CAPVT XII.

(L. X. C. III.)

De Scribendo.

Et haec quidem auxilia extrinsecus adhibentur: in iis autem, quae nobis ipsis paranda sunt, vt laboris, sic vtilitatis etiam longe plurimum affert stilus. Nec immerito M. Tullius hunc optimum effectorem ac magistrum dicendi vocat. Cui sententiae per

f) Hic probe ingeniorum diuersitas distinguenda. 1mo Siquis ad aliorum exempla se ita componat, vt pone sequatur quidem, nil tamen generare audeat ipse, quem ad modum multi artifices nil describunt, nisi opera aliena, mediocris et quotidiani; 2do Siquis exempla vt incitamenta respiciat, ad quae se formet, sed excitetur simul, vt audeat ipse, et viribus feratur suis, magni ingenii est; vbi multa sane prudentia opus: facile enim declinant in peius, si male tractentur, nec coerceri se vmquam patiuntur, magna ingenia. Quosdam summos facit ipsa natura, qui omnem doctrinam respuunt, suam ipsi semitam inueniunt, et, si obstacula obieceris, rumpunt. Cartesius inter Philosophos, Shakespearius inter poetas, et William Crotche inter musicos exempla sunt.

personam L. Crassi in disputationibus, quae sunt de oratore, g) assignando, iudicium suum cum illius auctoritate coniunxit. Scribendum ergo quam diligentissime, et quam plurimum. Nam vt terra altius effossa generandis alendisque seminibus fecundior est: sic profectus non a summo petitus, studiorum fructus fundit vberius, et fidelius continet. Nam sine hac quidem conscientia, ipsa illa ex tempore dicendi facultas inanem modo loquacitatem dabit, et verba in labris nascentia. Illic radices, illic fundamenta sunt: illic opes velut sanctiore quodam aerario reconditae, vnde ad subitos quoque casus, cum res exiget, proferantur. Vires faciamus ante omnia, quae sufficiant labori certaminum, et vsu non exhauriantur. Nihil enim rerum ipsa natura voluit magnum effici cito, praeposuitque pulcherrimo cuique operi difficultatem, quae nascendi quoque hanc fecerit legem, vt maiora animalia diutius visceribus parentum continerentur.

Sed cum sit duplex quaestio, quo modo, et quae maxime scribi oporteat, iam hinc ordinem sequar. Sit primo vel tardus, dum diligens, stilus: quaeramus optima, nec protinus se offerentibus gaudeamus: adhibeatur iudicium inuentis, dispositio probatis. Delectus enim rerum verborumque habendus est, et pondera singulorum examinanda.

Post

g) L. I. c. 33.

Poſt ſubeat ratio collocandi, verſenturque omni modo numeri: non, vt quodque ſe proferet verbum, occupet locum. Quae quidem vt diligentius exſequamur, repetenda ſaepius erunt ſcriptorum proxima. Nam praeter id, quod ſic melius iunguntur prioribus ſequentia, calor quoque ille cogitationis, qui ſcribendi mora refrixit, recipit ex integro vires, et velut repetito ſpatio ſumit impetum, quod in certamine ſaliendi fieri videmus, vt conatum longius petant, et ad illud, quo contenditur, ſpatium curſu ferantur: vtque in iaculando brachia reducimus, et, expulſuri tela, neruos retro tendimus. Interim tamen, ſi feret flatus, danda ſunt vela, dum nos indulgentia illa non fallat. Omnia enim noſtra, dum naſcuntur, placent: alioqui nec ſcriberentur. Sed redeamus ad iudicium, et retractemus ſuſpectam facilitatem. Sic ſcripſiſſe Salluſtium accepimus: et ſane manifeſtus eſt etiam ex opere ipſo labor. Virgilium quoque pauciſſimos die compoſuiſſe verſus, auctor eſt Varus. Oratoris quidem alia conditio eſt. Itaque hanc moram et ſolicitudinem initiis impero. Nam primum hoc conſtituendum, hoc obtinendum eſt, vt quam optime ſcribamus: celeritatem dabit conſuetudo. Paullatim res facilius ſe oſtendent, verba reſpondebunt, compoſitio ſequetur: cuncta denique, vt in familia bene inſtituta, in officio erunt. Summa haec eſt rei,

cito ſcribendo non fit, vt bene ſcribatur: bene ſcribendo fit, vt cito. Sed tum maxime, cum facultas illa contigerit, reſiſtamus, vt prouideamus, et ferocientes equos fraenis quibusdam coerceamus: quod non tam moram faciet, quam nouos impetus dabit.

Nec enim rurſus eos, qui robur aliquod in ſtilo fecerint, ad infelicem calumniandi ſe poenam alligandos puto. Nam quo modo ſufficere ciuilibus officiis poſſit, qui ſingulis actionum partibus inſeneſcat? Sunt autem, quibus nihil ſit ſatis; omnia mutare, omnia aliter dicere, quam occurrit, velint: increduli quidam, et de ingenio ſuo peſſime meriti, qui diligentiam putant, facere ſibi ſcribendi difficultatem. Nec promtum eſt dicere, vtros peccare validius putem, quibus omnia ſua placent, an quibus nihil. Accidit enim etiam ingenioſis adoleſcentibus frequenter, vt labore conſumantur, et in ſilentium vsque deſcendant nimia bene dicendi cupiditate.

Qua de re memini narraſſe mihi Iulium ſecundum illum, aequalem meum, atque a me, vt notum eſt, familiariter amatum, mirae facundiae virum, infinitae tamen curae, quid eſſet ſibi a patruo ſuo dictum. Is fuit Iulius Florus, in eloquentia Galliarum (quoniam ibi demum exercuit eam) prin-

princeps, alioqui inter paucos disertus, et dignus illa propinquitate. Is cum Secundum, scholae adhuc operatum, tristem forte vidisset, interrogauit, quae caussa frontis tam obductae? nec dissimulauit adolescens, tertium iam diem esse, ex quo omni labore materiae ad scribendum destinatae non inueniret exordium, quo sibi non praesens tantum dolor, sed etiam desperatio in posterum fieret. Tum Florus arridens, Num quid tu, inquit, melius dicere vis, quam potes? Ita se res habet. Curandum est, vt quam optime dicamus: dicendum tamen pro facultate. Ad profectum enim opus est studio, non indignatione.

Vt possimus autem scribere etiam plura, et celerius, non exercitatio modo praestabit, in qua sine dubio multum est, sed etiam ratio, si humano quodam modo ad scribendum accesserimus. Sic nobis et initia, et quae sequuntur, natura ipsa praestabit. Certa sunt enim pleraque, et, nisi conniueamus, in oculos incurrunt: ideoque nec indocti nec rustici diu quaerunt, vnde incipiant: quo pudendum est magis, si difficultatem facit doctrina. Non ergo putemus semper optimum esse, quod latet; immutescamus alioqui, si nihil dicendum videatur, nisi quod non inuenimus.

Diuersum est huic eorum vitium, qui primo decurrere per materiam stilo quam velocissimo volunt,

lunt, et ſequentes calorem atque impetum ex tempore ſcribunt, hanc ſiluam vocant: repetunt deinde, et componunt, quae effuderant: ſed verba emendantur et numeri, manet in rebus temere congeſtis, quae fuit, leuitas. Protinus ergo adhibere curam rectius erit, atque ab initio ſic opus ducere, vt caelandum, non ex integro fabricandum ſit. Aliquando tamen affectus ſequemur, in quibus fere plus calor, quam diligentia, valet. h)

Satis apparet ex eo, quod hanc ſcribentium negligentiam damno, quid de illis dictandi deliciis ſentiam. Nam in ſtilo quidem quam libet properato dat aliquam cogitationi moram non conſequens celeritatem eius manus: ille, cui dictamus, vrget, atque interim pudet etiam dubitare, aut reſiſtere, aut mutare, quaſi conſcium infirmitatis noſtrae timentes. Quo fit, vt non rudia tantum, et fortuita, ſed impropria interim, dum ſola eſt connectendi ſermonis cupiditas, effluant: quae nec ſcribentium curam, nec dicentium impetum conſequantur.

At

h) Maxima hic ingeniorum ratio habenda: ingenium *velox* et *mobile*, quod absque magno conatu idearum etiam longas ſeries perſequitur, in ſcribendo feſtinat, quin rerum conſiderandarum copia oneretur: *volatile* non tam cogitat, quam res *transuolat*, huc illucue vagatur et cuiusque rei turbatur interuentu: hoc praecox genus raro quid perducit ad frugem; *tardum* contra et *ſegne* ad ferreum ſe damnat laborem, et infelici plerumque opera ſudat. Huc illud pertinet, alios fraeno, alios calcaribus indigere: maxime profuut in hoc matheſeos et linguarum ſtudia, queis et agitantur ingenia et coercentur, et vigor ille, quo inter ſcribendum opus eſt, conciliatur.

At idem ille, qui excipit, ſi tardior in ſcribendo, aut inertior in legendo, velut offenſator fuerit, inhibetur curſus, atque omnis, quae erat, conceptae mentis intentio mora et interdum iracundia excutitur. Tum illa, quae apertiorem animi motum ſequuntur, quaeque ipſa animum quodam modo concitant, quorum eſt iactare manum, torquere vultum, ſimul vertere latus, et interim obiurgare, quaeque Perſius notat, cum leuiter dicendi genus ſignificat,

Nec pluteum, inquit, nec demorſos ſapit vngues; i)

etiam ridicula ſunt, niſi cum ſoli ſumus. Denique vt ſemel, quod eſt potentiſſimum, dicam: ſecretum (quod dictando perit) atque liberum arbitris locum, et quam altiſſimum ſilentium ſcribentibus maxime conuenire nemo dubitauerit.

Non tamen protinus audiendi, qui credunt, aptiſſima in hoc nemora ſiluasque; l) quod illa coeli libertas, locorumque amoenitas, ſublimem animum, et beatiorem ſpiritum parent. Mihi certe iucundus hic magis, quam ſtudiorum hortator, videtur

i) Satira I. v. 106.

l) Plinium videtur intelligere, qui L. I ep. 6. ita: *Iam vndique ſiluae et ſolitudo ipſumque illud ſilentium, quod venationi datur, magna cogitationis incitamenta ſunt. Proinde cum venabere, licebit auctore me, vt panarium et lagunculam, ſic etiam pugillares feras. Experieris non Dianam magis montibus, quam Mineruam inerrare.*

detur eſſe ſeceſſus. Namque illa ipſa, quae delectant, neceſſe eſt auocent ab intentione operis deſtinati. Neque enim ſe bona fide in multa ſimul intendere animus totum poteſt: et, quocunque reſpexerit, deſinit intueri, quod propoſitum fuerat. Quare ſiluarum amoenitas, et praeterlabentia flumina, et inſpirantes ramis arborum aurae, volucrumque cantus, et ipſa late circumſpiciendi libertas, ad ſe trahunt: vt mihi remittere potius voluptas iſta videatur cogitationem, quam intendere. Demoſthenes melius, qui ſe in locum, ex quo nulla exaudiri vox, et ex quo nihil proſpici poſſet, recondebat, ne aliud agere mentem cogerent oculi. m)

Ideoque lucubrantes, ſilentium noctis, et clauſum cubiculum, et lumen vnum velut tectos maxime teneat. Sed cum in omni ſtudiorum genere, tum in hoc praecipue bona valetudo, quaeque eam maxime praeſtat, frugalitas, neceſſaria eſt: cum tempora ab ipſa rerum natura ad quietem refectionemque nobis data, in acerrimum laborem conuertimus. Cui tamen non plus irrogandum eſt, quam quod ſomno ſupererit, haud deerit. Obſtat enim diligentiae ſcribendi etiam fatigatio: et abunde, ſi vacet, lucis ſpatia ſufficiunt: occupatos in noctem neceſſi-

ſtas

m) Hoc eſt μελετητήριον illud Demoſthenis, de quo Plutarchus in vita.

tas agit. Eſt tamen lucubratio, quoties ad eam integri ac refecti venimus, optimum ſecreti genus.

Sed ſilentium et ſeceſſus, et vndique liber animus, vt ſunt maxime optanda, ita non ſemper poſſunt contingere: ideoque non ſtatim, ſi quid obſtrepet, abiiciendi codices erunt, et deplorandus dies: verum incommodis repugnandum, et hic faciendus vſus, vt omnia, quae impediunt, vincat intentio. Quam ſi tota mente in opus ipſum direxeris, nihil eorum, quae oculis vel auribus incurſant, ad animum perueniet. An vero frequenter etiam fortuita hoc cogitatio praeſtat, vt obuios non videamus, et itinere deerremus: non conſequemur idem, ſi et voluerimus? Non eſt indulgendum cauſſis deſidiae. Nam ſi non niſi refecti, non niſi hilares, non niſi omnibus aliis curis vacantes, ſtudendum exiſtimauerimus, ſemper erit, propter quod nobis ignoſcamus. Quare in turba, itinere, conuiuiis, vel concione etiam faciat ſibi cogitatio ipſa ſecretum. Quid alioqui fiet, cum in medio foro, tot circumſtantibus iudiciis, iurgiis, fortuitis etiam clamoribus, erit ſubito continua oratione dicendum, ſi particulas, quas ceris mandamus, niſi in ſolitudine reperire non poſſumus? Propter quae idem ille tantus amator ſecreti Demoſthenes, in littore, in quod ſe maximo cum ſono fluctus illideret, meditans, conſueſcebat concionum fremitus non expaueſcere.

CAPVT XIII.

(L. X. C. IV.)

De Emendatione.

Sequitur emendatio, pars ſtudiorum longe vtiliſſima. Neque enim ſine cauſſa creditum eſt, ſtilum non minus agere, cum delet. n) Huius autem operis eſt, adiicere, detrahere, mutare. Sed facilius in his ſimpliciusque iudicium, quae replenda vel deiicienda ſunt: premere vero tumentia, humilia extollere, luxuriantia adſtringere, inordinata digerere, ſoluta componere, exſultantia coercere, duplicis operae. Nam et damnanda ſunt, quae placuerant; et inuenienda, quae fugerant. Nec dubium eſt, optimum eſſe emendandi genus, ſi ſcripta in aliquod tempus reponantur, vt ad ea poſt interuallum, velut noua atque aliena, redeamus, ne nobis ſcripta noſtra, tamquam recentes foetus, blandiantur. Sed neque hoc contingere ſemper poteſt, praeſertim oratori, cui ſaepius ſcribere ad praeſentes vſus neceſſe eſt: et ipſa emendatio finem habet. Sunt enim, qui ad omnia ſcripta, tamquam vitioſa, redeant, et quaſi nihil fas ſit rectum eſſe, quod primum eſt, melius exiſtiment, quidquid eſt aliud; idque faciant, quoties librum in manus reſumſerint, ſimiles medicis etiam integra ſecantibus. Accidit itaque,

n) Stili pars alia erat *acuminata*, qua in ceris ſcribebatur; alia *obtuſa*, qua ſcripta deleri poterant.

que, vt cicatricosa sint, et exsanguia, et cura peiora. Sit igitur aliquando, quod placeat, aut certe quod sufficiat: vt opus poliat lima, non exterat. Temporis quoque esse debet modus. Nam quod Cinnae Smyrnam nouem annis accepimus scriptam, et Panegyricum Isocratis, qui parcissime, decem annis dicunt elaboratum, ad oratorem nihil pertinet: cuius nullum erit, si tam tardum fuerit, auxilium. o)

CAPVT XIV.

(L. X. C. V. VI.)

Quae praecipue scribenda sint, et de cogitatione.

Proximum est, vt dicamus, quae praecipue scribenda sint. Vertere Graeca in Latinum veteres nostri oratores optimum iudicabant. Id se L. Crassus in illis Ciceronis de Oratore libris dicit factitasse. p) Id Cicero sua ipse persona frequentissime praecipit: quin etiam libros Platonis atque Xenophon-

X 5 tis

o) Alia emendatio, dum stilum ad negotia vitae praeparamus, adhibetur; alia inter ipsa negotia; alia in magnis libris, qui et in publicum prosint, et immortalitatem Auctoribus praestent. Ad primam pertinent regulae Fabii, ad alteram, quae sub extremum adiecit; ad tertiam Horatianum illud: *nonum prematur in annum. Membranis intus positis delere licebit, quod non edideris: nescit vox missa reuerti.*

p) L. I. c. 34. *Postea mihi placuit, eoque sum vsus adolescens, vt summorum oratorum graecas orationes explicarem. quibus lectis hoc assequebar, vt, cum ea, quae legerem Graece, Latine redderem, non solum optimis verbis vterer, et tamen vsitatis, sed etiam exprimerem quaedam verba imitando, quae noua nostris essent, dummodo essent idonea.*

tis edidit hoc genere translatos. Id Meſſalae placuit: multaeque ſunt ab eo ſcriptae ad hunc modum orationes: adeo vt etiam cum illa Hyperidis pro Phryne difficillima Romanis ſubtilitate contenderet. Et manifeſta eſt exercitationis huiusce ratio. Nam et rerum copia Graeci auctores abundant, et plurimum artis in eloquentiam intulerunt: et hos transferentibus, verbis vti optimis licet: omnibus enim vtimur noſtris. Figuras vero, quibus maxime ornatur oratio, multas ac varias excogitandi etiam neceſſitas quaedam eſt: quia plerumque a Graecis Romana diſſentiunt. q)

Sed et illa ex Latinis conuerſio multum et ipſa contulerit. Ac de carminibus quidem neminem credo

q) Primus igitur ſtilum exercendi gradus eſt, ex aliena lingua vertere in vernaculam; quod ſi iudicio fiat, alienas virtutes transferimus in ſermonem noſtrum, et linguam, vt omnes ſequatur, cogimus, vnde et ditamus et flexibilem facimus. Ideo exacte interpretatio eſt inſtituenda: verba, collocatio, ac ipſa forma, donec fieri poteſt, verbis, collocationi et formis reſpondeant: ſi aliud exigat proprius linguae genius, vt ideam Auctoris, quem vertis, proprio linguae more exprimas, omni modo laborandum. Verſum Horatii ad Torquatum L. IV. *od. 7. Diffugere niues: redeunt iam gramina campis arboribusque comae: mutat terra vices, et decreſcentia ripas flumina praetereunt*, ita vertit Ramlerus: *Reif und Schnee ſind entflohn, ihr Gras gewinnen die Fluren wieder, die Wälder ihr Haar. Die Tellus wandelt die Scene: gedrängt in ihre Geſtadte rollen die Flüſſe dahin.* Vbi liquet maximam interpretis virtutem eſſe rite, quas Auctor in aliena lingua expreſſit, imagines concipere, et easdem in ſua exprimere. Vt igitur ad formandum ſtilum proderit vertere aliena; ita ex hac exercitatione intelliges quoque, numquam reſpondere verſionem exemplo et ſic ex ipſis fontibus hauriendum eſſe. *Schellers Einleitung* §. 7. *Von den Veberſetzungen der lateiniſchen klaſſiſchen Schriftſteller in die deutſche Sprache. p. 243.*

do dubitare, quo ſolo genere exercitationis dicitur vſus eſſe Sulpicius. Nam et ſublimis ſpiritus attollere orationem poteſt: et verba, poetica libertate audaciora, non praeſumunt eadem proprie dicendi facultatem. Sed et ipſis ſententiis adiicere licet oratorium robur, et omiſſa ſupplere, et effuſa ſubſtringere. r) Neque ego παραφρασιν eſſe interpretationem tantum volo, ſed circa eosdem ſenſus certamen atque aemulationem. Ideoque ab illis diſſentio, qui vertere orationes Latinas vetant, quia, optimis occupatis, quidquid aliter dixerimus, neceſſe ſit eſſe deterius. Nam neque ſemper eſt deſperandum, aliquid illis, quae dicta ſunt, melius poſſe reperiri: neque adeo ieiunam ac pauperem natura eloquentiam fecit, vt vna de re bene dici, niſi ſemel, non poſſit. Niſi forte hiſtrionum multa circa voces easdem variare geſtus poteſt, orandi minor vis, vt dicatur aliquid, poſt quod in eadem materia nihil dicendum ſit. Sed eſto, neque melius, quod inuenimus, ſit,

neque

r) Alteram exercitationis rationem affert in eo, ſi dictio poetica mutetur in proſam: nam verba poetica non *praeſumunt*, id eſt, praeripiunt aut intercipiunt *proprie loquendi facultatem*. Vtile quidem erit ſoluere non raro verſum, ex quo manifeſtum fiat, in eo poeſin ſitam non eſſe, ſed collocatione melodiam effici: poeticas vero locutiones transferre in *proſam ſiue pedeſtrem orationem* nullo modo ſuaſerim, cum natura rerum accendat imaginationem et ex mentis ardore verba ſuas formas recipiant: in eadem ergo materia alia atque alia adhibere dicendi genera idem eſſet, ac triſtia in iocos et contra conuertere. Melius, ni fallor, exerceri iuuentus poterit, ſi, vt poeta diuerſis modis iam narret, iam ratiocinetur, iam pingat, diſtinguatur: ex quo diuerſum pro rerum varietate dicendi genus diſcit.

neque par: eſt certe proximus locus. An vero ipſi non bis ac ſaepius de eadem re dicimus, et quidem continuas non numquam ſententias? Niſi forte contendere nobiſcum poſſumus, cum aliis non poſſumus. Nam ſi vno tantum genere bene diceretur, fas erat exiſtimari praecluſam nobis a prioribus viam. Nunc vero innumerabiles ſunt modi, plurimaeque eodem viae ducunt. Sua breuitati gratia, ſua copiae, alia translatis virtus, alia propriis. Hoc oratio recta, illud figura declinata commendat. Ipſa denique vtiliſſima eſt exercitationi difficultas. s)

Quid? quod auctores maximi ſic diligentius cognoſcuntur? Non enim ſcripta lectione ſecura tranſcurrimus: ſed tractamus ſingula, et neceſſario introſpicimus, et, quantum virtutis habeant, vel hoc ipſo cognoſcimus, quod imitari non poſſumus. Nec aliena tantum transferre, ſed etiam noſtra pluribus modis tractare proderit: vt ex induſtria ſumamus ſententias quasdam, eaſque verſemus quam numeroſiſſime, velut eadem cera aliae atque aliae formae duci ſolent.

Plu-

s) Hoc exercitationis genus eo valet, vt vires quisque experiatur ſuas et in proprios aulus aſſurgat: naturalis timor inter vmbras tenet multos, qui, ſi ſumerent animos, multorum, quos audacia dicam an impudentia in publicum propulit, gloriam obſcurarent. Conari potiſſimum iuuentutem decet: errando enim cum diſcimus, haec aetas minus periculorum prouida plus audet, et facilius errorum veniam impetrat.

Plurimum autem parari facultatis exiſtimo ex ſimpliciſſima quaque materia. t) Hiſtoriae non numquam vbertas in aliqua exercendi ſtili parte ponenda, et dialogorum libertate geſtiendum. Ne carmine quidem ludere contrarium fuerit: ſicut athletae, remiſſa quibusdam temporibus ciborum atque exercitationum certa neceſſitate, otio et iucundioribus epulis reficiuntur. Ideoque mihi videtur M. Tullius tantum intuliſſe eloquentiae lumen, quod in hos quoque ſtudiorum ſeceſſus excurrit. Nam ſi nobis ſola materia fuerit ex litibus, neceſſe eſt, deteratur fulgor, et dureſcat articulus, et ipſe ille mucro ingenii quotidiana pugna retundatur. u)

Pro-

t) Addere iuuat, quae tradit Cel. Auctor *über die Sprache* p. 241. *Ich mag die alten Klagen nicht wiederholen, daß wir auf Schulen und Vniuerſitäten zu viel lernen und hören müßen, und zu wenig ſelbſt thun, zu wenig unſern Kopf und Ausdruck durch eigne Vebung bilden: noch mehr muß man klagen, daß es meiſtens auf eine verkehrte Art geſchieht; der iunge Menſch ſoll über allgemeine Sätze ſchreiben, diſputiren und peroriren. Man laſſe ihn erzählen, wenn er ſchreiben ſoll. Seine Perorationen müſſen aus Erzählung oder dramatiſchen Scenen beſtehen, ſeine Diſputationen Vnterredungen über ein hiſtoriſches Factum ſeyn, das man ihm vorher bekannt machte: über ſinnliche Gegenſtände kann er räſoniren, weil er ſie überſieht: allgemeine Ideen umfaßt er nicht, und wird daher ein ſchiefer Räſonirer. — Der Schulunterricht muß keine Redner bilden wollen, ſondern bey allen Vebungen in der ſchriftlichen und mündlichen Beredſamkeit die Aufklärung des Kopfs und Fertigkeit im Denken und im Ausdruck, beſonders die Entwicklung, Bereicherung und Stärkung der Imagination zum Zwecke haben, von der all unſere Ideen Licht, Leben und Wärme empfangen.*

u) Quae optimus Fabius hic monuit, ne litium ſeueritate conſeneſcant ingenia, ſed Ciceronis exemplo manſuetioribus Muſis

Proxima ſtilo cogitatio eſt, quae et ipſa vires ab hoc accipit, et eſt inter ſcribendi laborem, extemporalemque fortunam media quaedam, et neſcio an vſus frequentiſſimi. Nam ſcribere nec vbique, nec ſemper poſſumus: cogitationi temporis ac loci plurimum eſt. Haec paucis admodum horis magnas etiam cauſſas complectitur. Haec, quoties intermiſſus eſt ſomnus, ipſis noctis tenebris adiuuatur. Haec inter medios rerum actus aliquid inuenit vacui, nec otium patitur. x)

CA-

ſis reficiantur; ad noſtra quoque tempora congruunt. Quidam ita quotidianis, quibus quaeſtus cauſſa vacant, adſueſcunt negotiis, vt omnem pulchri ſenſum obducto quodam quaſi callo perdant: alii contra ſoluti ac fluentes ſic ineſcantur laſciuientium ingeniorum cupediis, vt robuſtiorem quemcumque cibum reſpuant. Sed vt ſolas ſectari cupedias puerile eſt, et corpus non roborat, ſed eneruat; ſic quoque inter ſeuera ſtudia reformidare plane Muſas et Gratias idem eſt, ac poſt inuentas fruges glandibus veſci. Exemplo ſit magnus Hallerus, qui inter pallida cadauera, quotidianae mortalitatis documenta, poetico valuit ingenio, et a lyra fortior ad pallentes labores rediit.

x) Cogitatio iuxta Fabium hic eſt earum rerum, quas dicturi, non ſcripturi ſumus; haec eadem eſt, cui, ante quam opus aggrediamur, ſtilumque arripiamus, mentem applicemus. Totum rerum ambitum animo ni complectaris, aut haerebit calamus aut fluctuabit. Meditationi quoque, quae ex veritatibus iam cognitis nouas colligit, ſedulo ſe dare oportet: Huic vbiuis occaſio, haec ſuauiſſimum eruditorum otium, haec facit, vt, cum maxime ſoli ſumus, minime ſoli videamur. De quo erudite *Zimmermann* in libello *von der Einſamkeit. Der Beyfall von Rom und der tägliche Genuß eines theuer errungenen Lobes hatte für den ehrſüchtigen Cicero die Reize nicht, die er in ſeinem ſchattigten Tuſculum fand: und Horaz vertauſchte mit der innigſten Freude die Ergötzungen des erſten Hofs der Erde gegen das Landleben von Banduſien und des quellenreichen Tibur.*

CAPVT XV.

(L. X. C. VII.)

De facultate dicendi ex tempore.

Maximus vero studiorum fructus est, et velut praemium quoddam amplissimum longi laboris, ex tempore dicendi facultas: quam qui non erit consecutus, mea quidem sententia ciuilibus officiis renuntiabit, et solam scribendi facultatem potius ad alia opera conuertet. y) Vix enim bonae fidei viro conuenit auxilium in publicum polliceri, quod in praesentissimis quibusque periculis desit: vt indicare portum, ad quem nauis accedere, nisi lenibus ventis vecta, non possit. Siquidem innumerabiles accidunt subitae necessitates continuo agendi. Quarum si qua, non dico cuicumque innocentium ciuium, sed amicorum ac propinquorum alicui euenerit, stabitne mutus, et salutarem petentibus vocem, statim, si non succurratur, perituris, moras et secessum et silentium quaeret, dum illa verba fabricentur, et memoriae insidant, et vox ac latus praepare-

y) Haec eadem, qua orator in vsu forensi carere olim non potuit, facultas, in nullo ciuili viro desiderari potest. Siue recites in schola, siue pastor populum doceas, siue conciliis adsis, aut principum consuetudine vtaris; extemporalis deesse eloquentia non poterit. Quoties ne calamo quidem spatium permittunt negotia? Rari exempli ingenia, quae, vt nouae fiant scientiarum periodi et veritates diu latentes in lucem proferantur, natura destinauit, diu lateant, et diu, donec prodeant, in vmbra quasi maturescant: sed pauca haec sunt: multi ad quotidianos vsus facti, a praeceptoribus, vt agant in luce, non palleant ad lucernam, formentur: quibus sequentia plane praecepta inculcari satis non possunt.

paretur? Quae vero patitur hoc ratio, vt quisquam sit orator imparatus ad casus? Quid, cum aduersario respondendum erit, fiet? Nam saepe ea, quae opinati sumus, et contra quae scripsimus, fallunt, ac tota subito caussa mutatur. Atque vt gubernatori ad incursus tempestatum, sic agenti ad varietatem caussarum ratio mutanda est. Quid porro multus stilus, et assidua lectio, et longa studiorum aetas facit, si manet eadem, quae fuit incipientibus, difficultas? Periisse profecto confitendum est praeteritum laborem, cui semper idem laborandum est. Neque ego hoc ago, vt ex tempore dicere malit, sed vt possit.

Id autem maxime hoc modo consequemur. Nota sit primum dicendi via. Neque enim prius contingere cursus potest, quam scierimus, quo sit et qua perueniendum. Quisquis autem viam, qua sit ingrediendum, discet, ducetur ante omnia rerum ipsa serie, velut duce: propter quod homines etiam modice exercitati, facillime tenorem in narrationibus seruant. Deinde, quid quoque loco quaerant, sciant. Postremo habebunt modum et finem, qui esse citra diuisionem nullus potest. Et haec quidem ex arte, illa vero ex studio: Vt copiam sermonis optimi, quem ad modum praeceptum est, comparemus; multo ac fideli stilo sic formetur oratio, vt scriptorum colorem, etiam quae subito effusa sunt, reddant; vt cum multa scripserimus, etiam multa dicamus. Nam

con-

consuetudo et exercitatio facilitatem maxime parit, quae si paullulum intermissa fuerit, non velocitas illa modo tardatur, sed et ναρκημα ipsum coit atque concurrit. z)

Quamquam enim opus est naturali quadam mobilitate animi, vt, dum proxima dicimus, struere vlteriora possimus, semperque nostram vocem prouisa et formata cogitatio excipiat: vix tamen aut natura, aut ratio in tam multiplex officium diducere animum queat, vt inuentioni, dispositioni, elocutioni, ordini rerum verborumque, tum iis, quae dicit, quae subiuncturus est, quae vltra spectanda sunt, adhibita vocis, pronuntiationis, gestus obseruatione, vna sufficiat. Longe enim praecedat oportet intentio, ac prae se res agat: quantumque dicendo consumitur, tantum ex vltimo prorogetur: vt donec perueniamus ad finem, non minus prospectu procedamus, quam gradu, si non intersistentes offensantesque breuia illa atque concisa singultantium modo eiecturi simus. Est igitur vsus quidam irrationalis, quem Graeci ἀλογον τϱιβην vocant, a)

 quo

z) Ναϱκημα est stupor ille siue torpor, in quem non agendo quaeuis adquisita facultas recidit, quod optime in musico licet obseruare. Vox, *concurrere*, quo modo explicetur, multum sudat Gesnerus: mendum sine dubio latet: si cum Gallaeo legas *concrescat*, sensus erit planus, donec meliora inuenerint critici.

a) De hoc Cicero de orat. II. c. 30. *Neque enim, quoties verbum aliquod est scribendum nobis, toties eius verbi literae sunt*

quo manus in ſcribendo decurrit, quo oculi totos ſimul in lectione verſus, flexusque eorum et tranſitus intuentur, et ante ſequentia vident, quam priora dixerunt. Quo conſtant miracula illa in ſcenis pilariorum ac ventilatorum, vt ea, quae emiſerint, vltro venire in manus credas, et qua iubentur decurrere. b)

Sed hic vſus ita proderit ſi ea, de qua locuti ſumus, ars anteceſſerit, vt ipſum illud, quod in ſe rationem non habet, in ratione verſetur. Nam mihi ne dicere quidem videtur, niſi qui diſpoſite, ornate, copioſe dicit. Sed nec tumultuarii nec fortuiti ſermonis contextum mirabor vmquam, quem iurgantibus etiam mulierculis ſuperfluere video: quem ſi calor ac ſpiritus tulit, (frequenter enim accidit, vt ſucceſſum extemporalem conſequi cura non poſſit) Deum tunc adfuiſſe, cum id eueniſſet, veteres oratores (vt Cicero dicit) aiebant. c) Sed ratio manifeſta eſt. Nam bene concepti affectus et recentes rerum imagines continuo impetu feruntur, quae non numquam mora ſtili refrigeſcunt, et dilatae non reuer-

ſunt cogitatione conquirendae: nec quoties cauſſa dicenda eſt, toties ad eius cauſſae ſepoſita argumenta reuolui nos oportet; ſed habere certos locos, qui, vt literae ad verbum ſcribendum, ſic illi ad cauſſam explicandam ſtatim occurrant.

b) Pilarii ſunt illi θαυματοποιοι, qui manuum agilitate illudunt ſpectatoribus, vt emittere videantur manu, vel ſub pocillo reponere pilulam, quam manu retinent. *Ventilatores* vocantur iidem, quod ventilantium inſtar applicare manum ſolent ac retrahere, variaque geſticulatione ſpectatoribus fucum faciunt.

c) De orat. I. c. 46. Deus eſt Mercurius.

uertuntur. Vtique vero cum infelix illa verborum cauillatio acceffit, et curfus ad fingula veftigia reftitit, non poteft ferri contorta vis, fed, vt optime vocum fingularum cedat electio, non continua, fed compofita eft. Quare capiendae funt illae, de quibus dixi, rerum imagines, quas vocari φαντασιας indicauimus, omniaque, de quibus dicturi erimus, perfonae, quaeftiones, fpes, metus, habenda in oculis, in affectus recipienda. Pectus eft enim, quod difertos facit, et vis mentis. Ideoque imperitis quoque, fi modo funt aliquo affectu concitati, verba non defunt. Tum intendendus animus, non in aliquam rem vnam, fed in plures fimul continuas: vt, fi per aliquam rectam viam mittamus oculos, fimul omnia, quae funt in ea circaque, intuemur, non vltimum tantum videmus, fed vfque ad vltimum. Addit ad dicendum etiam pudor ftimulos; addit et dicendorum exfpectata laus: mirumque videri poteft, quod, cum ftilus fecreto gaudeat, atque omnes arbitros reformidet, extemporalis actio auditorum frequentia, vt miles congeftu fignorum, excitatur. Namque et difficiliorem cogitationem exprimit et expellit dicendi neceffitas, et fecundos impetus auget placendi cupido. Adeo praemium omnia fpectant, vt eloquentia quoque, quamquam plurimum habeat in fe voluptatis, maxime tamen praefenti fructu laudis opinionisque ducatur.

Nec quiſquam tantum fidat ingenio, vt id ſibi ſperet incipienti ſtatim poſſe contingere; ſed, ſicut in cogitatione praecepimus, ita facilitatem quoque extemporalem a paruis initiis paullatim perducemus ad ſummam: quae neque perfici neque contineri, niſi vſu, poteſt. Ceterum peruenire eo debet, vt cogitatio non vtique melior ſit ea, ſed tutior; cum hanc felicitatem non in proſa modo multi ſint conſecuti, ſed etiam in carmine, vt Antipater Sidonius, et Licinius Archias: d) credendum enim Ciceroni eſt: non quia noſtris quoque temporibus non et fecerint quidam hoc, et faciant. Quod tamen ipſum non tam probabile puto, (neque enim habet aut vſum res, aut neceſſitatem) quam exhortandis in hanc ſpem, qui foro praeparantur, vtile exemplum. Neque vero tantam eſſe vmquam fiduciam facilitatis velim, vt non breue ſaltem tempus, quod nuſquam fere deerit, ad ea, quae dicturi ſumus, diſpicienda ſumamus. Declamatores quosdam peruerſa ducit ambitio, vt expoſita controuerſia protinus dicere velint: quin etiam, quod eſt in primis friuolum ac ſcenicum, verbum petant, quo incipiant. Sed tam contumelioſos in ſe ridet inuicem eloquentia: et qui ſtultis videri eruditi volunt, ſtulti eruditis videntur. Si qua tamen fortuna tam ſubitam fecerit agendi neceſſi-

d) De Antipatro de orat. III, c 50. De Archia in oratione pro eodem c. 8.

ceſſitatem, mobiliore quodam opus erit ingenio, et vis omnis intendenda rebus, et in praeſentia remittendum aliquid ex cura verborum, ſi ſequi vtrumque non dabitur. Tum et tardior pronuntiatio moras habet, et ſuſpenſa ac velut dubitans oratio: vt tamen deliberare, non haeſitare, videamur. Hoc, dum egredimur e portu, ſi nos nondum aptatis ſatis armamentis aget ventus: deinde paullatim ſimul euntes aptabimus vela, et diſponemus rudentes, et impleri ſinus optabimus. Id potius, quam ſe inani verborum torrenti dare, quaſi tempeſtatibus, quo volent, auferendum.

Sed non minore ſtudio continetur haec facultas, quam paratur. Ars enim ſemel percepta, non labitur: ſtilus quoque intermiſſione paullo admodum de celeritate deperdit: promtum hoc, et in expedito poſitum, exercitatione ſola continetur.

Studendum vero ſemper, et vbique. Neque enim fere tam eſt vllus dies occupatus, vt nihil lucri, vel vt Cicero Brutum facere tradit, e) operae ad ſcribendum, aut ad legendum, aut dicendum rapi aliquo momento temporis poſſit. Siquidem C. Carbo etiam in tabernaculo ſolebat hac vti exercitatione

e) In orat. c 10. ita. *Iam quantum illud eſt, quod in maximis occupationibus numquam intermittis ſtudia doctrinae? ſemper aut ipſe ſcribis aliquid aut me vocas ad ſcribendum.* Alius locus inueniri non potuit.

tione dicendi. Ne id quidem tacendum eſt, quod eidem Ciceroni placet, nullum noſtrum vſquam negligentem eſſe ſermonem: quidquid loquemur, vbicumque, ſit pro ſua ſcilicet portione perfectum. Scribendum certe numquam eſt magis, quam cum multa dicemus ex tempore. Ita enim ſeruabitur pondus, innatans f) illa verborum facilitas in altum reducetur, ſicut ruſtici proximas vitis radices amputant, quae illam in ſummum ſolum ducant, vt inferiores penitus deſcendendo firmentur. g) Ac neſcio an, vtrumque cum cura et ſtudio fecerimus, inuicem proſit, vt ſcribendo dicamus diligentius, dicendo ſcribamus facilius. Scribendum ergo, quoties licebit; ſi id non dabitur, cogitandum. Plerumque autem multa agentibus accidit, vt maxime neceſſaria, et vtique initia ſcribant, cetera, quae domo afferunt, cogitatione complectantur, ſubitis ex tempore occurrant. Quod feciſſe M. Tullium commentariis h) ipſius apparet. Sed feruntur aliorum quoque, et inuenti forte, vt eos dicturus quiſque compoſuerat, et in libros digeſti: vt cauſſarum quae

ſunt

f) Innatantia dicuntur ea, quae frequentia ſunt ac obuia, quaſi in ipſa ſuperficie eminentia, a graeco verbo ἐπιπολάζειν: vt Columella de re ruſtica L. IV. c. 1. *velut innatantes radices vitium ſummo ſolo*, dicit, de quo Colum L. IV. c. 8. *proximae vitis radices* idem ac ſuperficiei proximae.

g) Illud eſt ruſticorum opus, quod *ablaqueationem* dicunt,

h) Commentarii erant libri, qui ſummas rerum complectebantur, confecti ab oratoribus, poſtquam ſuam cauſſam diſpoſuiſſent.

ſunt actae a Seruio Sulpicio, cuius tres orationes extant. Sed hi, de quibus loquor, commentarii ita ſunt exacti, vt ab ipſo mihi in memoriam poſteritatis eſſe videantur compoſiti. Nam Ciceronis ad praeſens modo tempus aptatos libertus Tyro contraxit: quos non ideo excuſo, quia non probem, ſed vt ſint magis admirabiles. In hoc genere prorſus recipio hanc breuem annotationem, libellosque, i) qui vel manu teneantur, et ad quos interim reſpicere fas ſit. Illud, quod Laenas praecipit, diſplicet mihi, quae ſcripſerimus, in ſummas, ſiue commentarios et capita, conferre. Facit enim et diſcendi negligentiam haec ipſa fiducia, et lacerat ac deformat orationem. Ego autem ne ſcribendum quidem puto, quod ſimus memoria proſecuturi. Nam hic quoque accidit, vt reuocet nos cogitatio ad illa elaborata, nec ſinat praeſentem fortunam experiri. Sic anceps inter vtrumque animus aeſtuat, cum et ſcripta perdidit, et non quaerit noua. Sed de memoria deſtinatus eſt ſectione proxima locus, nec huic parti ſubiungendus, quia ſunt alia prius nobis dicenda.

C A P V T XVII.

(L. XI. C. I.)

De apte dicendo.

Parata, ſicut ſuperiori ſectione continetur, facultate ſcribendi, cogitandique, et ex tempore etiam,

 cum

i) Libelli capita tantum continebant, quos orantes tenerent manibus, et ad quos memoriae cauſſa reſpicerent, vnde ἐγχειρίδια dicti.

cum res poſcet, orandi, proxima eſt cura, vt dicamus apte: quam virtutem quartam elocutionis Cicero demonſtrat, quaeque meo quidem iudicio maxime neceſſaria eſt. Nam cum ſit ornatus orationis varius et multiplex, conueniatque alius alii: niſi fuerit accommodatus rebus atque perſonis, non modo non illuſtrabit eam, ſed etiam deſtruet, et vim rerum in contrarium vertet. Quid enim prodeſt, eſſe verba et Latina, et ſignificantia, et nitida, figuris etiam numerisque elaborata, niſi cum iis, in quae auditorem duci formarique volumus, conſentiant? Si genus ſublime dicendi paruis in cauſſis, paruum limatumque grandibus, laetum triſtibus, lene aſperis, minax ſupplicibus, ſubmiſſum concitatis, trux atque violentum iucundis adhibeamus? vt monilibus, et margaritis, ac veſte longa, quae ſunt ornamenta feminarum, deformentur viri, nec habitus triumphalis, quo nihil excogitari poteſt auguſtius, feminas deceat. Hunc locum Cicero breuiter in tertio de Oratore libro perſtringit: l) neque tamen quidquam videri poteſt omiſiſſe, dicendo, non omni cauſſae, nec auditori, nec perſonae, nec tempori congruere orationis vnum genus. Nec fere pluribus in Oratore eadem. m) Sed illic L. Craſſus, cum apud ſummos oratores, hominesque eruditiſſimos dicat, ſatis habet, partem hanc velut notare inter agnoſ-

l) C. 55. m) C. 21.

agnoſcentes. Et hic Cicero alloquens Brutum teſtatur eſſe haec ei nota, ideoque breuius a ſe dici, quamquam ſit fuſus locus, tracteturque a philoſophis latius. Nos inſtitutionem profeſſi, non ſolum ſcientibus iſta, ſed etiam diſcentibus tradimus: ideoque paullo pluribus verbis debet haberi venia.

Quare notum ſit nobis ante omnia, quid conciliando, docendo, mouendo auditori conueniat: quid quaque parte orationis petamus. Ita neque vetera, aut translata, aut ficta verba in incipiendo, narrando, argumentando tractabimus, neque decurrentes contexto nitore circuitus, vbi diuidenda erit cauſſa, et in partes ſuas digerenda, neque humile atque quotidianum ſermonis genus, et compoſitione ipſa diſſolutum, epilogis dabimus, nec iocis lacrimas, vbi opus erit miſeratione, ſiccabimus. Nam ornatus omnis non tam ſua, quam rei, cui adhibetur, conditione conſtat: nec plus refert, quid dicas, quam quo loco. Sed totum hoc, apte dicere, non elocutionis tantum genere conſtat, ſed eſt cum inuentione commune. Nam ſi tantum habent etiam verba momentum, quanto res ipſae maius? Quarum quae eſſet obſeruatio, ſuis locis ſubinde ſubiecimus.

Illud eſt diligentius docendum, eum demum dicere apte, qui, non ſolum quid expediat, ſed eti-

am quid deceat, inſpexerit. Nec me fugit, plerumque haec eſſe coniuncta. Nam quod decet, fere prodeſt: neque alio magis animi auditorum conciliari, aut, ſi res in contrarium tulit, alienari ſolent. Aliquando tamen et haec diſſentiunt. Quoties autem pugnabunt, ipſam vtilitatem vincet quod decet. Nam quis neſcit, nihil magis profuturum ad abſolutionem Socrati fuiſſe, quam ſi eſſet vſus illo iudiciali genere defenſionis, et oratione ſubmiſſa conciliaſſet iudicum animos ſibi, crimenque ipſum ſolicite redarguiſſet? Verum id eum minime decebat: ideoque ſic egit, vt qui poenam ſuam honoribus ſummis eſſet aeſtimaturus. Maluit enim vir ſapientiſſimus, quod ſupereſſet ex vita, ſibi perire, quam quod praeteriſſet. Et quando ab hominibus ſui temporis parum intelligebatur, poſterorum ſe iudiciis reſeruauit, breui detrimento iam vltimae ſenectutis aeuum ſaeculorum omnium conſecutus. Itaque quamuis Lyſias, qui tum in dicendo praeſtantiſſimus habebatur, defenſionem illi ſcriptam attuliſſet, vti ea noluit: cum bonam quidem, ſed parum ſibi conuenientem, iudicaſſet. Quo vel ſolo patet, non perſuadendi, ſed bene dicendi finem in oratore ſeruandum, cum interim perſuadere deforme ſit. Non fuit hoc vtile abſolutioni: ſed (quod eſt maius) homini fuit. n)

Et

n) Tractat hunc locum inprimis Xenophon, et rationis, quam ſecutus ſit Socrates, cauſſas reddit in apologiae principio. Quid de hoc recentiores, ſuperius citauimus. vide quoque Cic. de orat. l. c. 54.

Et nos ſecundum communem potius loquendi conſuetudinem, quam ipſam veritatis regulam, diuiſione hac vtimur, vt ab eo, quod deceat, vtilitatem ſeparemus. Niſi forte prior ille Africanus, qui patria cedere, quam cum tribuno plebis humillimo contendere de innocentia ſua maluit, inutiliter ſibi videtur conſuluiſſe: o) aut P. Rutilius, vel cum illo paene Socratico genere defenſionis eſt vſus, vel cum, reuocante eum P. Sylla, manere in exilio maluit, quid ſibi maxime conduceret, neſciebat. Hi vero parua illa, quae abiectiſſimus quiſque animus vtilia credit, ſi cum virtute conferantur, deſpicienda iudicauerunt: ideoque perpetua ſaeculorum admiratione celebrantur. Neque nos ſimus tam humiles, vt quae laudamus, inutilia credamus. Sed hoc qualecumque diſcrimen raro admodum euenit. Ceterum idem fere (vt dixi) in omni genere cauſſarum et proderit, et decebit. Eſt autem, quod omnes et ſemper et vbique, ſuadere ac dicere honeſte: contraque neminem vllo vmquam in loco, turpiter. Minora vero, quaeque ſunt ex mediis, plerumque ſunt talia, vt aliis ſint concedenda, aliis non ſint, aut pro perſona, tempore, loco, cauſſa,

o) Liu. L. XXXVIII. c. 51. De Rutilio Cicero de orat. I. c. 53. *Cum eſſet ille vir exemplum innocentiae, cumque illo nemo neque integrior eſſet in ciuitate, neque ſanctior, non modo ſupplex iudicibus eſſe noluit, ſed ne ornatius quidem aut liberius cauſſam dici ſuam, quam ſimplex ratio veritatis ſinebat.* Adde Val. Max. L. VI. c. 4. n. 4.

caussa, magis ac minus vel excusanda debeant videri, vel reprehendenda.

In primis igitur omnis sui vitiosa iactatio est, eloquentiae tamen in oratore praecipue: affertque audientibus non fastidium modo, sed plerumque etiam odium. p) Habet enim mens nostra natura sublime quiddam et erectum, et impatiens superioris. Ideoque abiectos, aut submittentes se, libenter alleuamus, quia hoc facere tamquam maiores videmur: et, quoties discessit aemulatio, succedit humanitas. At qui se supra modum extollit, premere ac despicere creditur, nec tam se maiorem, quam minores ceteros facere. Inde inuident humiliores. Hoc vitium est eorum, qui nec cedere volunt, nec possunt contendere. q) Rident superiores, improbant boni.

p) Insignis obseruatio, cuius superius de exordiis iam mentionem fecimus, et ad totam vitam extendi potest. Quisquis praestare hominibus quid vtile voluerit, ne vllo modo id facere velle videatur: minores enim magna agere cum desperant; eorum maxime interest, ne alii quid agant; nihilque omittunt, quo vtilissima quaeque impediant. In hoc caussa latet, cur praeclarissimis conatibus ingens continuo numerus se opponat, cur summa merita exilium et persecutiones plerumque maneant. Agere in occulto et quasi per cuniculos sapiens mauult: et plus saepe prosunt, qui latent, quam qui impetu aggrediuntur, et tumultus excitant. Quotidie confirmatur veritas a Pericle in sermone epitaphio proposita, quam refert Thucyd. L. II. c. 40. et vertit Aem. Portus, *Imperitia quidem audaciam: consideratio vero difficultatum ac periculorum cunctationem et metum facit.*

q) Semidocti in republica literaria perniciosissimum genus; vanitate inflati cum bonorum gloriam non assequuntur, extinquere tentant; et rectis studiis suam arrogantiam deprimi sentientes, bellum iis indicunt. Inde calumniae, inde simultates, inde factiones.

boni. Plerumque vero deprehendas arrogantium fallacem de se opinionem: sed in veris quoque sufficit conscientia.

Reprehensus est in hac parte non mediocriter Cicero, quamquam is quidem rerum a se gestarum maior, quam eloquentiae, fuit in orationibus vtique iactator. At plerumque illud quoque non sine aliqua ratione fecit. Aut enim tuebatur eos, quibus erat vsus adiutoribus in opprimenda coniuratione, aut respondebat inuidiae: cui tamen non fuit par, seruatae patriae poenam passus exilium: vt illorum, quae egerat in Consulatu, frequens commemoratio possit videri non gloriae magis, quam defensioni, data. r) Eloquentiam quidem cum plenissimam diuersae partis aduocatis concederet, sibi numquam in agendo immodice arrogauit. Illius sunt enim, Si quid est in me ingenii, iudices, quod sentio, quam sit exiguum. Et, Nam quo minus ingenio possum, subsidium mihi diligentia comparaui. Quin etiam contra Q. Caecilium de accusatore in Verrem constitu-

r) Quemadmodum pudor et modestia nostris temporibus est accommodata, ita rerum publicarum tum Graecarum tum Romanarum rationes videntur exegisse, vti viri summi sua merita extollerent publice; cum a mobili plerumque turba honores peterent, et multitudinem dictis regere, vel ad miserationem flectere, vel in malos odio accendere oporteret. Ideo in commentatione quadam Ciceronem seuerius a se vanitatis insimulatum in recentissimo suo opere profitetur Cl. *Meiners*, *in der Geschichte des Ursprungs; Fortgangs und Verfalls der Wissenschaften etc.* Tom. I p. 122 et 23. Cicero diluit ipse in oratione pro domo c. 35.

ſtituendo, quamuis multum eſſet in hoc quoque momenti, vter ad agendum magis idoneus veniret, dicendi tamen facultatem magis illi detraxit, quam arrogauit ſibi: ſeque non conſecutum, ſed omnia feciſſe, vt poſſet eam conſequi, dixit. In epiſtolis aliquando familiariter apud amicos, non numquam in dialogis, aliena tamen perſona, verum de eloquentia ſua dicit. Et aperte tamen gloriari, neſcio an ſit magis tolerabile vel ipſa vitii huius ſimplicitate; quam illa iactatione peruerſa, ſi abundans opibus pauperem ſe, nobilis obſcurum, et potens infirmum, et diſertus imperitum plane et infantem vocet. s) Ambitioſiſſimum gloriandi genus eſt, etiam deridere. Ab aliis ergo laudemur. Nam ipſos, vt Demoſthenes ait, erubeſcere, etiam cum ab aliis laudamur, decet. Neque hoc dico, non aliquando de rebus a ſe geſtis oratori eſſe dicendum, ſicut eidem Demoſtheni pro Cteſiphonte: t) quod tamen ita emendauit, vt neceſſitatem id faciendi oſtenderet, inuidiamque omnem in eum regereret, qui hoc ſe coegiſſet. Et M. Tullius ſaepe dicit de oppreſſa coniuratione Catilinae, ſed modo id virtuti Senatus, modo prouidentiae Deorum immortalium aſſignat.

Ple-

s) Qui aperte gloriatur, id de magnitudine ſua perſuaſus facere videri poteſt: qui vero humilis ſe ipſe deprimit, et inde laudem captat, infirmitatis ſuae conſcius vanitatis publicam quaſi confeſſionem edit.

t) Aeſchinem, qui accuſator Cteſiphontis fuit, quod Demoſthenem aurea corona dignum cenſeret, cum ipſe refutaret Demoſthenes, non potuit non de rebus a ſe geſtis dicere, queis coronam meruiſſet.

Plerumque contra inimicos atque obtrectatores plus vindicat ſibi. Erant enim tuenda, cum obiicerentur. In carminibus vtinam peperciſſet, quae non deſierunt carpere maligni, u)

Cedant arma togae, concedat laurea linguae.

Et,

O fortunatam natam me conſule Romam.

Et, Iouem illum, a quo in concilium deorum aduocatur. Et, Mineruam, quae omnes eum artes edocuit: quae ſibi ille, ſecutus quaedam Graecorum exempla, permiſerat. x)

Verum eloquentiae vt indecora iactatio, ſic non numquam concedenda fiducia eſt. y) Sed iſtud magis minusue vitioſum eſt pro perſonis dicentium. Defenditur enim aliqua tenus aetate, dignitate, auctoritate: quae tamen vix in illo tanta fuerint, vt non hoc affirmationis genus temperandum ſit aliqua mode-

u) Scripſit Cicero de conſulatu ſuo tres libros verſu heroico, in quibus diem oppreſſae coniurationis, vrbis natalem vocat. Ille verſus *cedant arma togae, concedat laurea linguae*, maximas illi cum Piſone contentiones excitauit: quae reſpondeat, vide in oratione in Piſonem c. 29. et 30.

x) Erat poetica fictio libris de conſulatu inſerta, quam arripientes inimici, Clodius praecipue, cauillari non intermittebant. In oratione pro domo c. 35. reſpondet, *Non tam inſolens ſum, quod Iouem eſſe me dico, quam ineruditus, quod Mineruam ſororem Iouis eſſe exiſtimem.*

y) Sic Tacitus in prooemio ad vitam Agricolae: *Celeberrimus quiſque ingenio, ad prodendam virtutis memoriam, ſine gratia aut ambitione, bonae tantum conſcientiae pretio ducebatur. Ac pler que ſuam ipſi vitam narrare, fiduciam potius morum, quam arrogantiam arbitrati ſunt.*

moderatione. Impudens, tumultuosa, iracunda actio, omnibus indecora: sed vt quisque aetate, dignitate, vsu praecedit, magis in ea reprehendendus. Videas autem rixatores quosdam neque auditorum reuerentia, neque agendi more ac modo contineri. z) Ex quo ipso mentis habitu manifestum sit, tam in suscipiendis, quam in agendis caussis nihil pensi habere. Profert enim mores plerumque oratio, et animi secreta detegit. Nec sine caussa Graeci prodiderunt, vt viuat, quemque etiam dicere. a)

Humiliora illa vitia, submissa adulatio, affectata scurrilitas, in rebus ac verbis parum modestis ac pudicis vilis pudor, in omni negotio neglecta auctoritas: quae fere accidunt iis, qui nimium aut blandi esse, aut ridiculi volunt.

Ipsum etiam eloquentiae genus alios aliud decet. Nam neque tam plenum, et erectum, et audax, et praecultum senibus conuenerit, quam pressum, et mite, et limatum, et quale intelligi vult Ci-

z) Haec imbecillorum hominum praesidia sunt, quod alia, ad quae confugiant, non habent. Iucundam in hunc locum historiolam Gesnerus narrat: solebat aliquis literarum omnium expers ad academicas disputationes ventitare: interrogatus, cur id ageret, respondit, se videre velle, vter vinceret. Cum obiiceretur, qui id posset latinae linguae rudis At ego, inquit, vter irascatur, obseruo: cum enim liquido mihi constat caussa esse, vel eruditione, inferiorem.

a) Solonis dictum vetus λογον ειδωλον ειναι των εργων, *orationem factorum esse simulacrum.* Ad haec Erasmus in adagio, QVALIS VIR, TALIS ORATIO, ita: *Est tumidi stilus turgidus; abiecti humilis, exanguis; asperi scaber; amarulenti tristis ac maledicus, deliciis affluentis picturatus ac dissolutus.*

Cicero, b) cum dicit, orationem ſuam coepiſſe caneſcere; ſicut veſtibus quoque non purpura coccoque fulgentibus illa aetas ſatis apta ſit. In iuuenibus etiam vberiora paullo, et paene periclitantia feruntur. At in iisdem ſiccum, et ſolicitum, et contractum dicendi propoſitum, plerumque affectatione ipſa ſeueritatis inuiſum eſt: quando etiam morum ſenilis auctoritas immatura in adoleſcentibus creditur. Simpliciora militares decent. Philoſophiam ex profeſſo (vt quidam faciunt) oſtentantibus, parum decori ſunt plerique orationis ornatus, maximeque ex affectibus, quos illi vitia dicunt. Verba quoque exquiſitiora, et compoſitio numeroſa tali propoſito diuerſa. Non enim ſolum illa laetiora, qualia a Cicerone dicuntur, ſaxa atque ſolitudines voci reſpondent; ſed etiam illa, quamquam plena ſanguinis, Vos enim iam Albani tumuli atque luci, vos, inquam, imploro atque teſtor, vosque, Albanorum obrutae arae, ſacrorum populi Romani ſociae et aequales: non conueniant barbae illi atque triſtitiae. c) At vir ciuilis, vereque ſapiens, qui ſe non otioſis diſputationibus, ſed adminiſtrationi rei publicae dediderit, (a qua longiſſime iſti, qui philoſophi vocantur, receſſerunt,) omnia, quae ad effi-

 cien-

b) In Bruto c. 2.

c) Cum Adrianus et Antoninus philoſophiae ſtudioſos ſe profiterentur, quiſque philoſophi, ſi non ſcientiam, veſtes ſaltem, barbam, vultumque affectabat; vnde prouerbium, *barbae tenus philoſophus.* Vide Gellium Noct. attic. L. IX. c. 2.

ciendum oratione, quod propofuerit, valent, libenter adhibebit: cum prius, quod honeftum fit, efficere in animo fuo conftituerit. Eft quod principes deceat, aliis non concefferis. Imperatorum ac triumphalium feparata eft aliqua ex parte ratio eloquentiae: ficut Pompeius abunde difertus rerum fuarum narrator: et hic, qui bello ciuili fe interfecit, Cato eloquens fenator fuit. Idem dictum faepe in alio liberum, in alio furiofum, in alio fuperbum eft.

Eadem in iis, pro quibus agemus, obferuanda funt. Aliter enim pro alio faepe dicendum eft, vt quifque honeftus, humilis, inuidiofus, fauorabilis erit, adiecta propofitorum quoque et anteactae vitae differentia. Iucundiffima vero in oratore humanitas, facilitas, moderatio, beneuolentia. Sed illa quoque diuerfa bonum virum decent, malos odiffe, publica vice commoueri, vltum ire fcelera et iniurias: et omnia, vt initio dixi, honefta.

Nec tantum, quis et pro quo, fed etiam, apud quem dicas, intereft. Facit enim et fortuna difcrimen et poteftas: nec eadem apud principem, magiftratum, fenatorem, priuatum, tantum liberum, ratio eft. Quis vero nefciat, quin aliud dicendi genus pofcat grauitas fenatoria, aliud aura popularis? cum non idem apud graues viros, quod leuiores;

non

non idem apud eruditum, quod militarem, ac rusticum deceat: sitque non numquam submittenda et contrahenda oratio, ne auditor eam vel intelligere vel capere non possit.

Tempus quoque ac locus egent obseruatione propria. Nam et tempus tum laetum, tum triste, tum liberum, tum angustum est, atque ad haec omnia componendus orator: et loco publico, priuatone; celebri, an secreto; aliena ciuitate, an tua; in castris denique, an foro dicas, interest plurimum, ac suam quidque formam, et proprium quemdam modum eloquentiae poscit: cum etiam in ceteris actibus vitae non idem in foro, curia, campo, theatro, domi, facere conueniat; et pleraque, quae natura non sunt reprehendenda, atque adeo interim sunt necessaria, alibi quam mos permiserit, turpia habeantur.

Nescio tamen an huius (de quo loquimur,) decoris custodia maxime circa eos, contra quos dicimus, examinanda sit. Nam sine dubio in omnibus statim accusationibus hoc agendum est, ne ad eas libenter descendisse videamur. Vnum huic loco, quod est summae difficultatis, adiiciendum videtur, quibus modis ea, quae sunt natura parum speciosa, quaeque non dicere, si vtrum libet esset liberum, maluissemus, non tamen sint indecora dicentibus.

Quid asperiorem habere frontem potest, aut quid aures hominum magis respuunt, quam cum est filio filiiue aduocatis in matrem perorandum? Aliquando tamen necesse est, vt in caussa Cluentii Habiti: sed non semper illa via, qua contra Sassiam Cicero vsus est: non quia non ille optime, sed quia plurimum refert, qua in re et quo modo laedat. Itaque illa, cum filii caput palam impugnaret, fortiter fuit repellenda. Duo tamen, quae sola supererant, diuine Cicero seruauit. Primum, ne obliuisceretur reuerentiae, quae parentibus debetur: deinde vt, repetitis altius caussis, diligentissime ostenderet, quam id, quod erat in matrem dicturus, non oporteret modo fieri, sed etiam necesse esset. Primaque haec expositio fuit, quamquam ad praesentem quaestionem nihil pertinebat. Adeo in caussa difficili atque perplexa nihil prius intuendum credidit, quam quid deceret. Fecit itaque nomen parentis non filio inuidiosum, sed ipsi, in quam dicebatur. Potest tamen aliquando mater et in re leuiore aut minus infesta contra filium stare: tum lenior atque submissior decebit oratio. Nam et satis faciendo, aut nostram minuemus inuidiam, aut etiam in diuersum eam transferemus: et si grauiter dolere filium palam fuerit, credetur abesse ab eo culpa, fietque vltro miserabilis.

Illic

Illic plus difficultatis, vbi ipſos, contra quos dicimus, veremur offendere. Duae ſimul huiusmodi perſonae Ciceroni pro Muraena dicenti obſtiterunt, M Catonis, Seruiique Sulpicii: quam decenter tamen Sulpicio, cum omnes conceſſiſſet virtutes, ſcientiam petendi conſulatus ademit? Quid enim aliud eſſet, quo ſe victum homo nobilis et iuris antiſtes magis ferret? Vt vero rationem defenſionis ſuae reddidit, cum ſe ſtuduiſſe petitioni Sulpicii contra honorem Muraenae, non idem debere accuſationi contra caput, diceret? Quam molli autem articulo tractauit Catonem? d) cuius naturam ſumme admiratus, non ipſius vitio, ſed Stoicae ſectae, quibusdam in rebus factam duriorem videri volebat: vt inter eos non forenſem contentionem, ſed ſtudioſam diſputationem crederes incidiſſe. Haec eſt profecto ratio, et certiſſimum praeceptorum genus, illius viri obſeruatio, vt, cum aliquid detrahere ſalua gratia velis, concedas alia omnia: in hoc ſolo vel minus peritum, quam in ceteris, adiecta, ſi poterit fieri, etiam cauſſa, cur ita ſit, vel paullo pertinaciorem, vel credulum, vel iratum, vel impulſum ab aliis. Hoc illis commune remedium eſt, ſi in tota actione aequaliter appareat non honor modo, ſed etiam caritas: praeterea cauſſa ſi nobis iuſta ſit dicendi: neque id moderate tantum faciamus, ſed etiam neceſſario.

d) Pro Muraena c. 29, locus lectu digniſſimus.

Indecorum eſt ſuper haec omne nimium: ideoque etiam quod natura rei ſatis aptum eſt, niſi modo quoque temperetur, gratiam perdit. Cuius rei obſeruatio iudicio magis quodam ſentiri, quam praeceptis tradi poteſt, Quantum ſatis ſit, et quantum recipiant aures. Non habet haec res menſuram et quaſi pondus, quia vt in cibis, alia aliis magis complent. Adiiciendum etiam breuiter videtur, quod fere dicendi virtutes diuerſiſſimae non ſolum ſuos amatores habeant, ſed ab eisdem ſaepe laudentur. Nam Cicero quodam loco ſcribit, e) id eſſe optimum, quod cum te facile credideris conſequi imitatione, non poſſis. Alio vero, non ſe id egiſſe, vt ita diceret, quo modo ſe quilibet poſſe confideret, ſed quo modo nemo. Quod poteſt pugnare inter ſe videri. Verum vtrumque, ac merito, laudatur. Cauſſa enim modoque diſtat: quia ſimplicitas illa, et velut ſecuritas inaffectatae orationis, mire tenues cauſſas decet: maioribus illud admirabile dicendi genus magis conuenit. In vtroque eminet Cicero, ex quibus alterum imperiti ſe poſſe conſequi credent; neutrum, qui intelligunt.

SECTIO

e) Verba Ciceronis non potuerunt inueniri; fere idem dicit in Oratore. c. 23. et 27.

Sectio V.

Capvt vnicvm.

(L. XI. C. II.)

De Memoria.

Memoriam quidam naturae modo esse munus existimauerunt, estque in ea non dubie plurimum, sed ipsa excolendo, sicut alia omnia, augetur: et totus, de quo diximus adhuc, inanis est labor, nisi ceterae partes hoc velut spiritu continentur. Nam et omnis disciplina memoria constat, frustraque docemur, si, quidquid audimus, praeterfluat: et exemplorum, legum, responsorum, dictorum, beneque factorum velut quasdam copias, quibus abundare, quasque in promptu semper habere debet orator, eadem illa vis repraesentat. Neque immerito thesaurus hic eloquentiae dicitur. Sed non firme tantum continere, verum etiam cito percipere multa acturos oportet, nec quae scripseris modo iterata lectione complecti, sed in cogitatis quoque rerum ac verborum contextum sequi: et, quae sint ab aduersa parte dicta, meminisse: nec vtique eo quo dicta sunt, ordine refutare, sed opportunis locis ponere. Quid? extemporalis oratio non alio mihi videtur mentis vigore constare. Nam dum alia

dicimus, quae dicturi ſumus, intuenda ſunt. Ita cum ſemper cogitatio vltra id, quod eſt, longius quaerit: quidquid interim reperit, quodam modo apud memoriam deponit: quod illa, quaſi media quaedam manus, acceptum ab inuentione tradit elocutioni. Non arbitror autem mihi in hoc immorandum, quid ſit, quod memoriam faciat: quamquam plerique imprimi quaedam veſtigia noſtro animo, quae velut in ceris annulorum ſigna ſeruentur, exiſtimant. Neque ero tam credulus, vt quaſi corporis habitu tardiorem firmioremque memoriam fieri putem. Eius autem, quod ad animum pertinet, magis admirer naturam, f) ſubito res vetuſtas, tanto ex interuallo repetitas, reddere ſe et offerre: nec tantum requirentibus, ſed etiam ſponte interim: nec vigilantibus, ſed etiam quiete compoſitis magis. Eoque illa quoque animalia, quae carere intellectu videmus, meminerunt, et agnoſcunt, et, quam libet longo itinere diducta, ad aſſuetas ſibi ſedes reuertuntur. Quid? non haec varietas mira eſt, excidere proxima, vetera inhaerere? heſternorum immemores, acta pueritiae recordari? Quid? quod quaedam requiſita ſe occultant, et eadem forte ſuccur-

f) Locus eſt perobſcurus: animo hic plura, quam corpori tribuere videtur Fabius: ſed paullo inferius ipſis adeo brutis memoriam tribuit. Multa lux accedet, ſi cum interprete Helmſtadienſi legere malis: *Neque ero tam credulus, vt corporis habitu tardiorem firmioremque memoriam fieri dubitem; eius autem, quod ad animum pertinet, magis admirer naturam etc.*

succurrunt? nec manet semper memoria, sed aliquando etiam redit? Nesciretur tamen, quanta vis esset eius, quanta diuinitas illa, nisi hoc lumen orandi extulisset. Non enim rerum modo, sed etiam verborum ordinem praestat: nec ea pauca contexit, sed durat prope in infinitum, et in longissimis actionibus prius audiendi patientia, quam memoriae fides deficit. Quod et ipsum argumentum est, subesse artem aliquam, iuuarique ratione naturam: cum iidem docti facere illud, indocti et inexercitati non possimus: quamquam inuenio apud Platonem, g) obstare memoriae vsum literarum: videlicet quod illa, quae scriptis reposuimus, velut custodire desinimus, et ipsa securitate dimittimus. Nec dubium est, quin plurimum in hac parte valeat mentis intentio, et velut acies luminum a prospectu rerum, quas intuetur, non auersa. Vnde accidit, vt quae per plures dies scribimus ediscendi caussa, cogitatione ipsa contineat.

Artem autem memoriae primus ostendisse dicitur Simonides: h) cuius vulgata fabula est: cum pugili coronato carmen, quale componi victoribus solet, mercede pacta scripsisset, abnegata ei pecuniae pars est, quod more poetis frequentissimo digressus, in laudes Castoris et Pollucis exierat: quapropter

g) Apud Platonem in Phaedro, vbi Theut ille de literis a se inuentis gloriatus, μνημης τε και σοφιας φαρμακον appellat, et Thamus vera praedicari negat.

h) De oratore L. II. c. 86. Phaedrus fab. L. IV. 24.

partem ab iis petere, quorum facta celebraſſet, iubebatur. Et perſoluerunt, vt traditum eſt. Nam cum eſſet grande conuiuium in honorem eiusdem victoriae, atque adhibitus ei coenae Simonides, nuntio eſt excitus, quod eum duo iuuenes, equis aduecti, deſiderare maiorem in modum dicebantur. Et illos quidem non inuenit, fuiſſe tamen gratos erga ſe Deos exitu comperit. Nam vix eo limen egreſſo, triclinium illud ſupra conuiuas corruit, atque ita contudit, vt non ora modo oppreſſorum, ſed membra etiam omnia requirentes ad ſepulturam propinqui, nulla nota poſſent diſcernere. Tum Simonides dicitur memor ordinis, quo quiſque diſcubuerat, corpora ſuis reddidiſſe. Eſt autem magna inter auctores diſſenſio, Glaucone Caryſtio, an Leocrati, an Agatharcho, an Scopae ſcriptum ſit id carmen: et Pharſali fuerit haec domus, vt ipſe quodam loco ſignificare Simonides videtur, atque Apollodorus, et Eratoſthenes, et Euphorion, et Lariſſeus Eurypilus tradiderunt; an Cranone, vt Apollas Callimachus, quem ſecutus Cicero hanc famam latius fudit. Scopam nobilem Theſſalum periiſſe in eo conuiuio conſtat, adiicitur ſororis filius: putant et ortos plerosque ab illo Scopa, qui maior aetate fuerit. Quamquam mihi totum de Tyndaridis fabuloſum videtur: neque omnino huius rei meminit vſquam poeta ipſe, profecto non taciturus de tanta ſua gloria.

Ex

Ex hoc Simonidis facto notatum videtur, iuuari memoriam ſignatis animo ſedibus, idque credere ſuo quiſque experimento. Nam cum in loca aliqua poſt tempus reuerſi ſumus, non ipſa agnoſcimus tantum, ſed etiam, quae in his fecerimus, reminiſcimur, perſonaeque ſubeunt, non numquam tacitae quoque cogitationes in mentem reuertuntur. Nata eſt igitur, vt in pleriſque, ars ab experimento. Loca diſcunt quam maxime ſpatioſa, multa varietate ſignata, domum forte magnam et in multos diductam receſſus. In ea quidquid notabile eſt, animo diligenter affigitur, vt ſine cunctatione ac mora partes eius omnes cogitatio poſſit percurrere. Et primus hic labor eſt, non haerere in occurſu. Plus enim quam firma debet eſſe memoria, quae aliam memoriam adiuuet. Tum quae ſcripſerunt, vel cogitatione complectuntur, et alio ſigno, quo moneantur, notant: quod eſſe vel ex re tota poteſt, vt de nauigatione, militia, vel ex verbo aliquo. Nam etiam excidentes, vnius admonitione verbi in memoriam reponuntur. Sit autem ſignum nauigationis, vt ancora; militiae, vt aliquid ex armis. Haec ita digerunt. Primum ſenſum vel locum veſtibulo quaſi aſſignant, ſecundum atrio, tum impluuia circumeunt, nec cubiculis modo aut exedris, ſtratis etiam ſimilibusque per ordinem committunt.

Hoc

Hoc facto, cum eſt repetenda memoria, incipiunt ab initio loca haec recenſere, et, quod cuique crediderunt, repoſcunt, et eorum imagine admonentur: vt, quam libet multa ſint, quorum meminiſſe oporteat, ſint ſingula connexa quodam choro, ne errent coniungentes prioribus ſequentia ſolo ediſcendi labore. Quod de domo dixi, et in operibus publicis, et in itinere longo, et vrbium ambitu, et picturis, fieri poteſt. Equidem haec ad quaedam prodeſſe non negauerim, vt ſi rerum nomina multa, per ordinem audita, reddenda ſint. Minus idem proderit in ediſcendis, quae orationis perpetuae erunt. Quare et Charmadas, et Sceplius Metrodorus, quos Cicero dicit vſus hac exercitatione, ſibi habeant ſua: nos ſimpliciora tradamus.

Si longior complectenda memoria fuerit oratio, proderit per partes ediſcere, (laborat enim maxime onere) et hae partes non ſint perexiguae: alioqui nimis multae erunt, et eam diſtinguent atque concident. Nec vtique certum imperauerim modum, ſed maxime vt quiſque finietur locus: niſi forte tam ſit numeroſus, vt ipſe quoque diuidi debeat. Dandi ſunt certi quidam termini, vt contextum verborum (qui eſt difficillimus) continuet crebra meditatio, partes deinceps ipſas repetitus ordo coniungat. Non eſt inutile, quo facilius haereant, aliquas apponere notas, quarum recordatio commoneat et quaſi excitet

tet memoriam. Nemo enim fere tam infelix, vt, quod cuique loco ſignum deſtinauerit, neſciat: vt ſi erit tardus ad hoc, eo quoque adhuc remedio vtatur, vt ipſae excitent notae. Hinc eſt ex illa arte non inutile, attendere ſigna ad eos, qui exciderunt, ſenſus: ancoram, (vt ſupra poſui) ſi de naue dicendum eſſet: ſpiculum, ſi de praelio. Multum enim ſigna faciunt, et ex alia memoria venit alia, vt cum translatus annulus vel alligatus commoneat nos, cur id fecerimus. i)

Illud neminem non iuuabit, iisdem, quibus ſcripſerit, ceris ediſcere. Sequitur enim veſtigiis quibusdam memoriam, et velut oculis intuetur non paginas modo, ſed verſus prope ipſos, qui tum dicit, ſimilis legenti. Iam vero ſi litura aut adiectio aliqua aut mutatio interueniat, ſigna ſunt quaedam, quae intuentes deerrare non poſſumus.

Eſt ratio, vt illi, de qua primum locutus ſum arti non diſſimilis, ita (ſi quid me experimenta docuerunt) et expeditior et potentior. Ediſcere tacite, (nam id quoque eſt quaeſitum) erat optimum, ſi non ſubirent velut otioſum animum plerumque

aliae

i) Si oratio maior declamanda erit, et per partes didiceris, ne ſiſtas ſuadeo, vbi finitus eſt locus, ſed aliqua ſequentis verba ſtatim addas, ad quae poſtea rediens abruptum orationis filum proſequaris. Quod ſi neglexeris, accidet ſaepius, vt, ſi ad locum, in quo filum abrupiſti, veneris, in quodam quaſi vacuo ſpatio ſiſtat memoria, aut plane effluat.

aliae cogitationes, propter quas excitandus eſt voce, vt duplici motu iuuetur memoria, dicendi, et audiendi. Sed haec vox ſit modica, et magis murmur. Qui autem legente alio ediſcit, in parte tardatur, quod acrior eſt oculorum, quam aurium ſenſus: in parte iuuari poteſt, quod, cum ſemel aut bis audierit, continuo illi memoriam ſuam experiri licet, et cum legente contendere. Nam et alioqui id maxime faciendum eſt, vt nos ſubinde tentemus: quia continua lectio, et quae magis, et quae minus haerent, aequaliter tranſit. In experiendo, teneaſne? et maior intentio eſt, et nihil ſuperuacui temporis perit, quo etiam, quae tenemus, repeti ſolent: ita ſola, quae exciderunt, retractantur, vt crebra reiteratione firmentur: quamquam ſolent hoc ipſo maxime haerere, quod exciderunt. Illud ediſcendo ſcribendoque commune eſt, vtrique plurimum conferre bonam valetudinem, digeſtum cibum, animum cogitationibus aliis liberum.

Verum et in his, quae ſcripſimus, complectendis multum valent, et in iis, quae cogitamus, continendis prope ſolae (excepta, quae potentiſſima eſt, exercitatione) diuiſio et compoſitio. Nam qui recte diuiſerit, numquam poterit in rerum ordine errare. Certa ſunt enim non ſolum in digerendis quaeſtionibus, ſed etiam in exſequendis, ſi modo recte dicimus, prima ac ſecunda, et deinceps: cohaeret-

que

hue omnis rerum copulatio, vt ei nihil neque ſubtrahi ſine manifeſto intellectu, neque inſeri poſſit. Etiam quae bene compoſita erunt, memoriam ſerie ſua ducent. Nam ſicut facilius verſus ediſcimus, quam proſam orationem: ita proſam vinctam, quam diſſolutam. Sic contingit, vt etiam, quae ex tempore videbantur effuſa, ad verbum repetita reddantur: quod meae quoque memoriae mediocritatem ſequebatur, ſi quando interuentus aliquorum, qui hunc honorem mererentur, iterare declamationis partem coegiſſet: nec eſt mendacio locus, ſaluis qui interfuerunt.

Si quis tamen vnam maximamque a me artem memoriae quaerat, exercitatio eſt, et labor: multa ediſcere, multa cogitare, et (ſi fieri poteſt) quotidie, potentiſſimum eſt. Nihil aeque vel augetur cura, vel negligentia intercidit. Quare et pueri ſtatim quam plurima ediſcant, et, quaecumque aetas operam iuuandae ſtudio memoriae dabit, deuoret initio taedium illud et ſcripta et lecta ſaepius reuoluendi, et quaſi eumdem cibum remandendi. Quod ipſum hoc fieri poteſt leuius, ſi pauca primum, et quae taedium non afferant, coeperimus ediſcere: tum quotidie adiicere ſingulos verſus, quorum acceſſio labori ſenſum incrementi non afferat, in ſummam ad infinitum vſque perueniat: et poetica prius, tum oratorum, nouiſſime etiam

ſolu-

ſolutiora numeris, et magis ab vſu dicendi remota, qualia ſunt iuris conſultorum. Difficiliora enim debent eſſe, quae exercent, quo ſit leuius ipſum illud, in quod exercent: vt athletae ponderibus plumbeis aſſuefaciunt manus, quibus vacuis et nudis in certamine vtendum eſt.

Non omittam etiam, quod quotidianis experimentis deprehenditur, minime fidelem eſſe paullo tardioribus ingeniis recentem memoriam. Mirum dictu eſt, nec in promtu ratio, quantum nox interpoſita afferat firmitatis, ſiue quieſcit labor ille, cuius ſibi ipſa fatigatio obſtabat, ſiue maturatur, atque concoquitur, ſeu firmiſſima eius pars eſt recordatio: quae ſtatim referri non poterant, contexuntur poſtera die, confirmatque memoriam idem illud tempus, quod eſſe in cauſſa ſolet obliuionis. Etiam illa praeuelox fere cito effluit, et, velut praeſenti officio functa, nihil in poſterum debeat, tamquam dimiſſa diſcedit. Nec eſt mirum, magis haerere animo, quae diutius affixa ſint.

Ex hac ingeniorum diuerſitate nata dubitatio eſt, ad verbum ſit ediſcendum dicturis? an vim modo rerum atque ordinem complecti ſatis ſit? de quo ſine dubio non poteſt in vniuerſum pronuntiari. Nam ſi memoria ſuffragatur, tempus non deſit; nulla me velim ſyllaba effugiat: alioqui etiam

ſcribere ſit ſuperuacuum. Idque praecipue a pueris obtinendum, atque in hanc conſuetudinem memoria exercitatione redigenda, ne nobis diſcamus ignoſcere. Ideoque et admoneri et ad libellum reſpicere vitioſum, quod libertatem negligentiae facit, nec quisquam ſe parum tenere iudicat, quod, ne ſibi excidat, non timet. Inde interruptus actionis impetus, et reſiſtens ac ſalebroſa oratio, et qui dicit ediſcenti ſimilis, etiam omnem bene ſcriptorum gratiam perdit vel hoc ipſo, quod ſcripſiſſe ſe confitetur. Memoria autem facit etiam promti ingenii famam, vt illa, quae dicimus, non domo attuliſſe, ſed ibi protinus ſumſiſſe videamur: quod et oratori et ipſi cauſſae plurimum confert. Si vero aut memoria natura durior erit, aut non ſuffragabitur tempus, etiam inutile erit ad omnia ſe verba alligare, cum obliuio vnius eorum cuiuslibet, aut deformem haeſitationem, aut etiam ſilentium inducat. Tutiusque multo, comprehenſis animo rebus ipſis, libertatem ſibi eloquendi relinquere. Nam et inuitus perdit quiſque id, quod elegerat, verbum: nec facile reponit aliud, dum id, quod ſcripſerat, quaerit. Sed ne hoc quidem infirmae memoriae remedium eſt, niſi in iis, qui ſibi facultatem aliquam dicendi ex tempore parauerunt. Quod ſi cui vtrumque defuerit, huic omittere omnino totum actionum laborem, ac, ſi quid in literis valet, ad ſcri-

bendum potius suadebo conuertere. Sed haec rara infelicitas erit. l)

Ceterum quantum natura studioque valeat memoria, vel Themistocles testis, quem vnum intra annum optime locutum esse Persice constat: m) vel Mithridates, cui duas et viginti linguas, quot nationibus imperabat, traditur notas fuisse: n) vel Crassus ille diues, qui, cum Asiae praeesset, quinque Graeci sermonis differentias sic tenuit, vt, qua quisque apud eum lingua postulasset, eadem sibi ius redditum ferret: vel Cyrus, quem omnium militum tenuisse creditum est nomina. Quin semel auditos

quam

l) Lectu in haec digna est dissertatio Io. Theophili Burkardt de memoria, Lipsiae ex officina Hollii 1780.

m) Fabius secutus videtur Cornelium in Themistocle c. 10. qui eumdem multo commodius apud Regem verba fecisse tradit, quam hi poterant, qui in Perside erant nati. Circumspectius scripsit Thucydides, qui, teste ipso Cornelio, illorum temporum proximus, et eiusdem ciuitatis fuit: *eum* scribit *petiisse anni tempus, vt ipse, cur eiectus patria esset, Regi narrare posset.* cui subiungit, *per id tempus, quantum fieri poterat, linguam Persicam didicisse, et instituta moresque regionis percepisse.* Belli Pelop. L. I.

n) De Mithridate et Cyro Plinius Hist. nat. L. VII. c. 24. item Val. M. L. VIII. c. 7. sub extremum. *Vtriusque industriae laudem*, inquit, *duo Reges partiti sunt. Cyrus omnium militum suorum nomina, Mithridates duarum et viginti gentium, quae sub regno eius erant, linguas ediscendo. Ille, vt sine monitore exercitum salutaret, hic vt eos, quibus imperabat, sine interprete alloqui posset.* Parum credibile de Cyro, cum Xenophon Cyropaediae L. V. p. 132. Ed. Par. ait, των υφ αυτον ηγεμονων τα ονοματα, id est. praefectorum militiae, qui sub ipso ordines ducebant, nomina sciuisse. — De Crasso Val. M. L. VIII. c. 7. n. 6. *Tanta cura Graecae linguae notitiam animo comprehendit, vt eam in quinque diuisam genera per omnes partes ac numeros penitus cognosceret.*

quam libet multos verſus protinus dicitur reddidiſſe Theodectes. Dicebantur etiam nunc eſſe, qui facerent, ſed mihi numquam, vt ipſe intereſſem, contigit: habenda tamen fides eſt vel in hoc, vt, qui crediderit, et ſperet.

Sectio VI.

CAPVT VNICVM.

(L. XI. C. III.)

De Pronuntiatione.

Pronuntiatio a plerisque actio dicitur, ſed prius nomen a voce, ſequens a geſtu videtur accipere. Namque actionem Cicero alias quaſi ſermonem, alias eloquentiam quamdam corporis dicit. o) Idem tamen duas eius partes facit, quae ſunt eaedem pronuntiationis, *vocem* atque motum. Quapropter vtraque appellatione indifferenter vti licet. Habet autem res ipſa miram quamdam in orationibus vim ac poteſtatem. Neque enim tam refert, qualia ſint, quae intra nosmet ipſos compoſuimus; quam quo modo efferantur: nam ita quiſque, vt audit, mouetur. Quare neque probatio vlla, quae modo venit ab oratore, tam firma eſt, vt non perdat vires ſuas, niſi adiuuetur aſſeueratione dicentis. Affectus omnes lan-

o) De orat. L. III. c. 59. in orat. c. 17.

languefcant neceffe eft, nifi voce, vultu, totius prope habitu corporis, inardefcant. Nam cum haec omnia fecerimus, felices, fi tamen noftrum illum ignem auditor conceperit: nedum eum fupini fecurique moueamus, ac non et ipfe noftra ofcitatione foluatur. Documento funt vel fcenici actores, qui et optimis poetarum tantum adiiciunt gratiae, vt nos infinite magis eadem illa audita, quam lecta, delectent; et viliffimis etiam quibusdam impetrent aures, vt, quibus nullus eft in bibliothecis locus, fit etiam frequens in theatris. Quod fi in rebus, quas fictas effe fcimus et inanes, tantum pronuntiatio poteft, vt iram, lacrimas, folicitudinem afferat, quanto plus valeat neceffe eft, vbi et credimus? Equidem vel mediocrem orationem, commendatam viribus actionis, affirmauerim plus habituram effe momenti, quam optimam eadem illa deftitutam. p) Siquidem et Demofthenes, q) quid effet in toto dicendi opere primum? interrogatus, pronuntiationi palmam dedit, eidemque fecundum ac tertium locum, donec ab eo quaeri defineret: vt eam videri poffit non praecipuam, fed folam iudicaffe. Ideoque ipfe tam diligenter apud Andronicum Hypocritem ftuduit, vt admiran-

p) Confirmat haec Plinius L. II. ep. 3. n. 9. vbi nepotem fuum, vt Ifaeum Rhetorem audiat, hortatur, *Multo magis, vt vulgo dicitur, viua vox adficit. Nam licet acriora fint, quae legas, altius tamen in animo fedent, quae pronuntiatio, vultus habitus, geftus dicentis etiam adfigit.*

q) Cicero de oratore L. III. c. 56.

mirantibus eius orationem Rhodiis non immerito Aeschines dixisse videatur, quid si ipsum audissetis? r) et M. Cicero vnam in dicendo actionem dominari putat. Hac Cn. Lentulum s) plus opinionis consecutum, quam eloquentia, tradit: eadem C. Gracchum in deflenda fratris nece totius populi Romani lacrimas concitasse: Antonium et Crassum multum valuisse, plurimum vero Q. Hortensium. Cuius rei fides est, quod eius scripta tantum intra famam sunt, qui diu princeps oratorum, aliquando aemulus Ciceronis existimatus est, nouissime, quoad vixit, secundus: vt appareat, placuisse aliquid eo dicente, quod legentes non inuenimus. Et hercle cum valeant multum verba per se, et vox propriam vim adiiciat rebus, et gestus motusque significet aliquid, profecto perfectum quiddam fieri, cum omnia coierint, necesse est.

Sunt tamen qui rudem illam, et qualem impetus cuiusque animi tulit, actionem iudicent fortiorem, et solam viris dignam: sed non alii fere, quam qui etiam in dicendo curam, et artem, et nitorem, et quidquid studio paratur, vt affectata et parum naturalia solent improbare; vel qui verborum atque

 ipsius

r) De Aeschine eodem loco: ad quae Plinius epistola superius quoque citata: *Et erat Aeschines si Demostheni credimus, μεγαλοφωνότατος. Fatebatur tamen longe melius eadem illa pronuntiasse ipsum, qui pepererat.*

s) In Bruto c. 66. De L. Graccho de orat. L. III. c. 56.

ipſius etiam ſoni ruſticitate, vt L. Cottam dicit Cicero feciſſe, imitationem antiquitatis affectant. t) Verum illi perſuaſione ſua fruantur, qui hominibus, vt ſint oratores, ſatis putant naſci: noſtro labori dent veniam, qui nihil credimus eſſe perfectum, niſi vbi natura cura iuuetur. In hoc igitur non contumaciter conſentio, primas partes eſſe naturae. Nam certe bene pronuntiare non poterit, cui aut in ſcriptis memoria, aut in iis, quae ſubito dicenda erunt, facilitas promta defuerit: nec ſi inemendabilia oris incommoda obſtabunt. Corporis etiam poteſt eſſe aliqua tanta deformitas, vt nulla arte vincatur. Sed ne vox quidem, niſi liberalis, actionem habere optimam poteſt. Bona enim firmaque vt volumus vti licet: mala vel imbecilla et inhibet multa, vt inſurgere, exclamare; et aliqua cogit, vt ſubmittere, deflectere, et raucas fauces u) ac latus fatigatum deformi cantico reficere. Sed nos de eo nunc loquimur, cui non fruſtra praecipitur.

Cum ſit autem omnis actio, vt dixi, in duas diuiſa partes, vocem, geſtumque, x) quorum alter oculos, altera aures mouet, per quos duos ſen-

ſus

t) De oratore L. III. c. 11. et 12. quae legantur velim adoleſcentibus tota, ex quibus multa de pronuntiatione in vita communi vtilia proferre licebit.

u) Raucae fauces ſunt humore tenaci obſitae, qui cum vociferatione excutitur, deforme canticum eſt.

x) *Das Hörbare der Rede, und das Sichtbare an dem Redenden.*

ſus omnis ad animum penetrat affectus, prius eſt de voce dicere, cui etiam geſtus accommodatur. In ea prima obſeruatio eſt, qualem habeas: ſecunda, quo modo vtaris.

Natura vocis ſpectatur quantitate et qualitate. Quantitas ſimplicior eſt: in ſumma enim grandis aut exigua eſt: y) ſed inter has extremitates mediae ſunt ſpecies, et ab ima ad ſummum, ac retro, multi ſunt gradus. Qualitas magis varia eſt, nam eſt et candida, z) et fuſca, et plena, et exilis, et lenis, et aſpera, et contracta, et fuſa, et dura, et flexibilis, et clara, et obtuſa: ſpiritus etiam longior, breuiorque. Nec cauſſas, cur quidque eorum accidat, perſequi, propoſito operi neceſſarium eſt: eorumne ſit differentia, in quibus aura illa concipitur? an eorum, per quae velut organa meat? an ipſi propria natura? an prout mouetur lateris pectorisue firmitas, an capitis plus adiuuet? nam opus eſt omnibus, ſicut non oris modo ſuauitate, ſed narium quoque, per quas, quod ſupereſt vocis, egeritur. Dulcis tamen eſſe debet, non exprobrans ſonus. a)

Vtendi voce multiplex ratio. Nam praeter illam differentiam, quae eſt tripartita, acutae, gra-

 uis,

y) *Hoch oder tief.*

z) *Rein oder heiſcher, voll oder dünn, ſanft oder rauh, zuſammengezogen oder fließend, hart oder beugſam, hell oder ſtumpf.*

a) Exprobrans ſonus, quo diſploſis nimium naribus anhelatus oritur. *Schnaubend.*

uis, flexae: b) tum intentis, tum remissis, tum elatis, tum inferioribus modis, opus est, spatiis quoque lentioribus aut citatioribus. Sed iis ipsis media interiacent multa: et, vt facies, quamquam ex paucissimis constat, infinitam habet differentiam: ita vox, etsi paucas, quae nominari possint, continet species, propria cuique est: et non haec minus auribus, quam oculis illa dignoscitur.

Augentur autem sicut omnium, ita vocis quoque bona, cura: et negligentia minuuntur. Sed cura non eadem oratoribus, quae phonascis, c) conuenit: tamen multa sunt vtrisque communia, firmitas corporis, ne ad spadonum, et mulierum, et aegrorum exilitatem vox nostra tenuetur: quod ambulatio, vnctio, veneris abstinentia, facilis ciborum digestio, id est frugalitas, praestat. Praeterea vt sint fauces integrae, id est molles ac leues, quarum vitio et frangitur, et obscuratur, et exasperatur, et scinditur vox. Nam vt tibiae, eodem spiritu accepto, alium clausis, alium apertis foraminibus,

b) Discant, Tenor, Bass: quae differentiae solae veteribus notae erant.

c) Phonasci erant cantus magistri, qui praeeunte plerumque fistula, ab imo ad summum flectere sonum, et variare vocem iuuenes docebant. Cicero de orat. L. I. c. 59. *Quid est orationi tam necessarium, quam vox? tamen, me auctore, nemo dicendi studiosus Graecorum more et tragoedorum voci seruiet, qui et annos complures sedentes declamitant, et quotidie antequam pronuntient, vocem cubantes sensim excitant, eandemque, cum egerunt, sedentes ab acutissimo sono vsque ad grauissimum recipiunt, et quodam modo colligunt.*

bus, alium non satis purgatae, alium quassae sonum reddunt: ita fauces tumentes strangulant vocem, obtusae obscurant, rasae exasperant, conuulsae fractis sunt organis similes. Finditur etiam spiritus obiectu aliquo, sicut lapillo tenues aquae, quarum fluxus etiam si vltra paullum coit, aliquid tamen caui relinquit post id ipsum, quod offenderat. Humor quoque vocem vt nimius impedit, ita consumtus destituit. Nam et fatigatio corpora non ad praesens modo tempus, sed etiam in futurum afficit. Sed vt communiter et phonascis et oratoribus necessaria est exercitatio, qua omnia conualescunt, ita curae non idem genus est. Nam neque certa tempora ad spatiandum dari possunt tot ciuilibus officiis occupato, nec praeparare ab imis sonis vocem ad summos, nec semper a contentione concedere licet, cum pluribus iudiciis saepe dicendum sit. Ne ciborum quidem eadem est obseruatio. Non enim tam molli teneraque voce, quam forti ac durabili opus est: cum illi omnes, etiam altissimos sonos, leniant cantu oris, nobis pleraque aspere sint concitateque dicenda, et vigilandae noctes, et fuligo lucubrationum bibenda, et in sudata veste durandum. Quare vocem deliciis non molliamus, nec imbuatur ea consuetudine, quae duratura non sit: sed exercitatio eius talis sit, qualis vsus: nec silentio subsidat, sed firmetur consuetudine, qua difficultas omnis leuatur.

Ediſcere autem, quo exercearis, erit optimum: (nam ex tempore dicentem auocata cura vocis ille, qui ex rebus ipſis concipitur, affectus) et ediſcere quam maxime varia, quae et clamorem, et diſputationem, et ſermonem, et flexus habeant, vt ſimul in omnia paremur. Hoc ſatis eſt. Alioqui nitida illa et curata vox inſolitum laborem recuſabit, vt aſſueta gymnaſiis et oleo corpora, quam libet ſint in ſuis certaminibus ſpecioſa atque robuſta, ſi militare iter, faſcesque et vigilias imperes, deficiant, et quaerant vnctores ſuos, nudumque ſudorem. d) Jlla quiden in hoc opere praecipi quis ferat, vitandos ſoles atque ventos, et nubila etiam ac ſiccitates? Ita ſi dicendum in ſole, aut ventoſo, humido, calidoue die fuerit, reos deſeremus? Nam crudum quidem, aut ſaturum, aut ebrium, aut eiecto modo vomitu, quae cauenda quidam monent, declamare neminem, qui ſit mentis compos, puto. Illud non ſine cauſſa eſt ab omnibus praeceptum, vt parcatur maxime voci in illo a pueritia in adoleſcentiam tranſitu, quia naturaliter impeditur, non, vt arbitror, propter calorem, quod quidam putauerunt, (nam eſt maior in aliis) ſed propter humorem potius. Nam hoc aetas illa turgeſcit. Itaque nares etiam, ac pectus, eo tempore tument, atque omnia velut

d) Athletae ad ludos pugnasque gymnaſiorum exercitati, itinerum laboribus pares non erant, in quibus milites arma farcinasque ferre ipſi debebant.

velut germinant, tenera, et iniuriae obnoxia. Sed, vt ad propoſitum redeam, iam confirmatae conſtitutaeque vocis genus exercitationis optimum duco, quod eſt operi ſimillimum, dicere quotidie, ſicut agimus. Namque hoc modo non vox tantum confirmatur et latus, ſed etiam corporis decens et accommodatus orationi motus componitur.

Non alia eſt autem ratio pronuntiationis, quam ipſius orationis. Nam vt illa emendata, dilucida, ornata, apta eſſe debet: ita haec quoque emendata erit, id eſt, vitio carebit, ſi fuerit os facile, explanatum, iucundum, vrbanum, id eſt, in quo nulla neque ruſticitas neque peregrinitas reſonet. Non enim ſine cauſſa dicitur barbarum, Graecumue. e) Nam ſonis homines, vt aera tinnitu, dignoſcimus. Ita fiet illud, quod Ennius probat, cum dicit ſuauiloquenti ore Cethegum fuiſſe: non quod Cicero in iis reprehendit, quos ait latrare, non agere. Sunt enim multa vitia, de quibus dixi, cum in quadam primi libri parte puerorum ora formarem, opportunius ra us, in ea aetate facere illorum mentionem, in qua emendari poſſunt. Itaque ſit ipſa vox primum (vt ſic dicam) ſana, id eſt, nullum eorum, de quibus modo retuli, patiatur incommodum: deinde

e) Graecus barbarusue, (*ein Ausländer*:) quis fuerit, ex ſono vocis, ſi graece loqueretur, ruſtico aut peregrino diſcernebant: vt in Germania Saxones, Bauari, Francones aut Rheni accolae, etiam ſi bene loquantur, ſono ſe produnt.

inde non ſubſurda, rudis, immanis, dura, rigida, vana, praepinguis, aut tenuis, inanis, acerba, puſilla, mollis, effeminata: ſpiritus, nec breuis, nec parum durabilis, nec in receptu difficilis. f)

Dilucida vero erit pronuntiatio, primum, ſi verba tota exegerit, quorum pars deuorari, pars deſtitui ſolet, pleriſque extremas ſyllabas non proferentibus, dum priorum ſono indulgent. Vt eſt autem neceſſaria verborum explanatio, ita omnes imputare, et velut adnumerare literas, moleſtum, et odioſum. Nam et vocales frequentiſſime coeunt, et conſonantium quaedam inſequente vocali diſſimulantur. Vtriuſque exemplum poſuimus,

Multum ille et terris. - - -

Vitatur etiam duriorum inter ſe congreſſus, vnde pellexit, et collegit, et quae alio loco dicta ſunt. Ideoque laudatur in Catulo ſuauis appellatio literarum. Secundum eſt, vt ſit oratio diſtincta, id eſt, vt, qui dicit, et incipiat, vbi oportet, et deſinat. Obſeruandum etiam, quo loco ſuſtinendus, et quaſi ſuſpendendus ſermo ſit, (quam Graeci ὑποδιαϛολὴν, vel ὑποσυϛολὴν, vel ὑποϛιγμὴν vocant,) quo deponendus. Suſpenditur, „Arma, virumque, cano,„

quia

f) *Nicht halbhörig, nicht grob, nicht ſchreyend, nicht hart, nicht ſteif, nicht unvernehmlich, nicht zu feiſt, aber auch nicht zu dünn und ſchwach, nicht zu ſtark, aber auch nicht zu leiſe, nicht weichlich und weibiſch. Der Athem ſey nicht zu kurz, nicht zu wenig ausdaurend, nicht ſchwer aufzuſchöpfen.*

quia illud „virum„ ad ſequentia pertinet, vt ſit, „virum, Troiae qui primus ab oris„ et hic iterum. Nam etiam ſi aliud eſt, vnde venit, quam quo venit, non diſtinguendum tamen, quia vtrumque eodem verbo continetur, Venit. Tertio „Italiam„, quia interiectio eſt, „fato profuſus„ et continuum ſermonem qui faciebat, „Italiam, Lauinaque„ diuidit. Ob eamdemque cauſſam, quarto „profugus„, deinde, „Lauinaque venit littora.„ Vbi iam erit diſtinctio, quia inde alius incipit ſenſus. Sed in ipſis etiam diſtinctionibus tempus alias breuius, alias longius dabimus. Intereſt enim, ſermonem finiat, an ſenſum. Itaque illam diſtinctionem, „Littora„ protinus altero ſpiritus initio inſequar: cum illuc venero, „Atque altae moenia Romae„ deponam, et morabor, et nouum rurſus exordium faciam. Sunt aliquando et ſine reſpiratione quaedam morae etiam in periodis: vt in illa, „In coetu vero populi Romani, negotium publicum gerens, magiſter equitum„ etc. Multa habet membra; ſenſus enim ſunt alii atque alii: et ſicut vna circumductio eſt, ita paullum morandum in his interuallis, non interrumpendus eſt contextus: et e contrario ſpiritum interim recipere ſine intellectu morae neceſſe eſt: quo loco quaſi ſurripiendus eſt: alioqui ſi inſcite recipiatur, non minus afferat obſcuritatis, quam vitioſa diſtinctio. Virtus autem diſtinguendi fortaſſe

ſit

ſit parua, ſine qua tamen eſſe nulla alia in agendo poteſt.

Ornata eſt pronuntiatio, cui ſuffragatur vox facilis, magna, beata, flexibilis, firma, dulcis, durabilis, clara, pura, ſecans aera, auribus ſedens. g) Eſt enim quaedam ad auditum accommodata, non magnitudine, ſed proprietate, ad hoc velut tractabilis, vtique habens omnes in ſe, qui deſiderantur, ſonos intentionesque, et toto (vt aiunt,) organo inſtructa: cui aderit lateris firmitas, ſpiritus cum ſpatio pertinax, tum labori non facile ceſſurus. Neque grauiſſimus, vt in muſica, ſonus, nec acutiſſimus orationibus conuenit. Nam et hic parum clarus, nimiumque plenus, nullum afferre animis motum poteſt: et ille praetenuis, et immodicae claritatis, cum eſt vltra verum, tum neque pronuntiatione flecti, neque diutius ferre intentionem poteſt. Nam vox, vt nerui, quo remiſſior, hoc et grauior et plenior: quo tenſior, hoc tenuis et acuta magis eſt. Sic ima vim non habet, ſumma rumpi periclitatur. Mediis igitur vtendum ſonis, hique, cum augenda intentio eſt, excitandi: cum ſubmittenda, ſunt temperandi. Nam prima eſt obſeruatio recte pronuntiandi, aequalitas, ne ſermo ſubſultet imparibus

g) *Geſchmückt iſt die Pronunciation, wenn ihr eine leichte, ſtarke, glückliche, beugſame, geſetzte, angenehme, aushaltende, helle, reine, wie Erz klingende und in den Ohren ſitzen bleibende Stimme zu Hülfe kömmt.*

ribus ſpatiis ac ſonis, miſcens longa breuibus, grauia acutis, elata ſubmiſſis: et inaequalitate horum omnium, ſicut pedum, claudicet. Secunda varietas eſt, quae ſolum eſt pronuntiatio. Ac ne quis pugnare inter ſe putet aequalitatem et varietatem; cum illi virtuti contrarium ſit vitium inaequalitas, huic, qui dicitur μονοειδης, quaſi quidam vnus aſpectus. Ars porro variandi cum gratiam praebet, ac renouat aures, tum dicentem ipſa laboris mutatione reficit: vt ſtandi, ambulandi, ſedendi, iacendi vices ſunt, nihilque eorum pati vnum diu poſſumus. Illud vero maximum (ſed id paullo poſt tractabimus) quod ſecundum rationem rerum, de quibus dicimus, animorumque habitus, conformanda vox eſt, ne ab oratione diſcordet.

Vitemus igitur illam, quae Graece μονοτονια vocatur, vna quaedam ſpiritus ac ſoni intentio: non ſolum ne dicamus omnia clamoſe, quod inſanum eſt; aut intra loquendi modum, quod motu caret; aut ſubmiſſo murmure, quo etiam debilitatur omnis intentio: ſed vt in iisdem partibus iisdemque affectibus ſint tamen quaedam non ita magnae vocis declinationes, prout aut verborum dignitas, aut ſententiarum natura, aut depoſitio, aut inceptio, aut tranſitus poſtulabit: vt qui ſingulis pinxerunt coloribus, alia tamen eminentiora, alia reductiora fecerunt, ſine quo ne membris quidem ſuas lineas dediſſent.

Pro-

Proponamus enim nobis illud Ciceronis in oratione nobilissima pro Milone principium, nonne ad singulas paene distinctiones, quamuis in eadem facie, tamen quasi vultus mutandus est? „Etsi vereor, iudices, ne turpe sit, pro fortissimo viro dicere incipientem timere„ Etiam si est toto proposito contractum atque submissum, quia et exordium est, et soliciti exordium: tamen fuerit, necesse est, aliquid plenius et erectius, dum dicit, Pro fortissimo viro, quam cum, Etsi vereor, et, Turpe sit, et, Timere. Iam secunda respiratio increscat oportet, et naturali quodam conatu, quo minus pauide dicimus, quae sequuntur, et quo magnitudo animi Milonis ostenditur, „Minimeque deceat, cum T. Annius ipse magis de rei publicae salute, quam de sua perturbetur„ Deinde quasi obiurgatio sui est, „Me ad eius caussam parem animi magnitudinem afferre non posse„ Tum inuidiosiora, „Tamen haec noui iudicii noua forma terret oculos„ Illa vero iam paene apertis (vt aiunt,) tibiis, „Qui, quocumque inciderunt, veterem consuetudinem fori, et pristinum morem iudiciorum requirunt.„ Nam sequens latum etiam atque fusum est, „Non enim corona consessus vester cinctus est, vt solebat.„ Quod notaui, vt appareret, non solum in membris caussae, sed etiam in articulis esse aliquam pronuntiandi varietatem, sine qua nihil neque minus neque maius est. Vox autem vltra vires vrgenda non est. Nam et suffocata saepe,

et

et maiore niſu minus clara eſt, et interim eliſa in illum ſonum erumpit, cui Graeci κλωσμον nomen a Gallorum immaturo cantu dederunt. Nec volubilitate nimia confundenda, quae dicimus: qua et diſtinctio perit, et affectus; et non numquam etiam verba aliqua ſui parte fraudantur. Cui contrarium eſt vitium nimiae tarditatis. Nam et difficultatem inueniendi fatetur, et ſegnitia ſoluit animos, et, in quo eſt aliquid, temporibus praefinitis, aquam perdit. Promtum ſit os, non praeceps: moderatum, non lentum. Spiritus quoque nec crebro receptus concidat ſententiam: nec eo vſque trahatur, donec deficiat. Nam et deformis eſt conſumti illius ſonus, et reſpiratio ſub aqua diu preſſi ſimilis, et receptus longior, et non opportunus, vt qui fiat, non vbi volumus, ſed vbi neceſſe eſt. Quare longiorem dicturis periodum colligendus eſt ſpiritus: ita tamen, vt id neque diu, neque cum ſono faciamus, neque omnino vt manifeſtum ſit: reliquis partibus optime inter iuncturas ſermonis reuocabitur. Exercendus autem eſt, vt ſit quam longiſſimus: quod Demoſthenes vt efficeret, ſcandens in aduerſum continuabat quam poſſet plurimos verſus. Idem, quo facilius verba ore libero exprimeret, calculos lingua voluens dicere domi ſolebat. Eſt interim et longus, et plenus, et clarus ſatis ſpiritus, non tamen firmae intentionis, ideoque tremulus, vt corpora, quae

aſpectu integra, neruis parum ſuſtinentur. Id βραγχον Graeci vocant. Sunt qui ſpiritum cum ſtridore per raritatem dentium non recipiunt, ſed reſorbent. Sunt qui crebro anhelitu, et introrſum etiam clare ſonante, imitentur iumenta onere et iugo laborantia. Quod affectant quoque, tamquam inuentionis copia vrgeantur, maiorque vis eloquentiae ingruat, quam quae emitti faucibus poſſit. Eſt aliis concurſus oris, et cum verbis ſuis colluctatio. Iam tuſſire, et exſpuere crebro, et ab imo pulmone pituitam trochleis adducere, et oris humore proximos ſpargere, et maiorem partem ſpiritus in eloquendo per nares effundere, etiam ſi non vtique vocis ſunt vitia; quia tamen propter vocem accidunt, potiſſimum huic loco ſubiiciantur. Sed quodcumque ex his vitium magis tulerim, quam, quo nunc maxime laboratur in cauſſis omnibus, ſcholisque, cantandi: quod inutilius ſit, an foedius, neſcio. Quid enim minus oratori conuenit, quam modulatio ſcenica, et non numquam ebriorum aut comiſſantium licentiae ſimilis? Quid vero mouendis affectibus contrarium magis, quam cum dolendum, iraſcendum, indignandum, commiſerandum ſit, non ſolum ab iis affectibus, in quos inducendus eſt auditor, recedere, ſed ipſam fori ſanctitatem ludorum talarium h) licentia ſoluere? Nam Cicero illos

ex

h) Geſnerus coniicit ludos talares hic prouerbii loco poni, quo leui-

ex Lycia et Caria rhetores paene cantare in epilogis dixit. Nos etiam cantandi feueriorem paullo modum exceffimus. Quisquamne, non dico de homicidio, facrilegio, parricidio, fed de calculis certe atque rationibus, quifquam denique (vt femel finiam) in lite cantat? Quod fi omnino recipiendum eft, nihil cauffae eft, cur non illam vocis modulationem fidibus ac tibiis, imo mehercule, quod eft huic deformitati propius, cymbalis adiuuemus. Facimus tamen hoc libenter: nam nec cuiquam funt iniucunda, quae cantant ipfi, et laboris in hoc, quam in agendo, minus eft. Et funt quidam, qui fecundum alia vitae vitia, etiam hac vbique audiendi, quod aures mulceat, voluptate ducantur. Quid ergo? non et Cicero dicit effe aliquem in oratione cantum obfcuriorem? Et hoc quodam naturali initio venit. Oftendam non multo poft, vbi et qua tenus recipiendus fit hic flexus, et cantus quidem, fed (quod plerique intelligere nolunt) obfcurior.

Iam enim tempus eft dicendi, quae fit apta pronuntiatio: quae certe ea eft, quae iis, de quibus dicimus, accomodatur: quod quidem maxima ex parte praeftant ipfi motus animorum, fonatque vox, vt feritur. Sed cum fint alii veri affectus, alii ficti

 et

leuitas foro inconueniens fignaretur. Prouocat ad Philipp. II. c. 32. Cicero de officiis L. I, c. 42. refert inter fordidos quaeftus.

et imitati: veri naturaliter erumpunt, vt dolentium, irascentium, indignantium; sed carent arte, ideoque non sunt disciplinae traditione formandi. Contra qui effinguntur imitatione, artem habent: sed hi carent natura: ideoque in his primum est bene affici, et concipere imagines rerum, et tamquam veris moueri, sic velut media vox, quem habitum a nostris acceperit, hunc auditorum animis dabit. Est enim mentis index et velut exemplar, ac totidem quot illa, mutationes habet. Itaque laetis in rebus plena, simplex, et ipsa quodam modo hilaris fluit: at in certamine erecta totis viribus, et velut omnibus neruis intenditur. Atrox in ira, et aspera ac densa, et respiratione crebra. Neque enim potest esse longus spiritus, cum immoderate effunditur. Paullulum in inuidia facienda lentior, quia non fere ad hanc nisi inferiores confugiunt: at in blandiendo, fatendo, satisfaciendo, rogando, lenis et submissa. Suadentium, et monentium, et pollicentium, et consolantium grauis. In metu et verecundia contracta, adhortationibus fortis, disputationibus teres, miseratione flexa et flebilis, et consulto quasi obscurior: at in egressionibus fusa, et securae claritatis, in expositione ac sermonibus recta, et inter acutum sonum et grauem media. Attollitur autem concitatis affectibus, compositis descendit, pro vtriusque rei modo altius vel inferius. i) Quid

i) Ad haec nota, quae Sulzerus Art. *Vortrag*: *Der Ton bekömmt*

Quid autem quisque in dicendo poſtulet locus, paullum differam, vt de geſtu prius dicam: qui et ipſe voci conſentit, et animo cum ea ſimul paret. Is quantum habeat in oratore momenti, ſatis vel ex eo patet, quod pleraque, etiam citra verba, ſignificat. Quippe non manus ſolum, ſed nutus etiam declarant noſtram voluntatem, et in mutis pro ſermone ſunt, et ſaltatio frequenter ſine voce intelligitur atque afficit, l) et ex ingreſſu vultuque perſpicitur habitus animorum: m) et animalium quoque, ſermone carentium, ira, laetitia, adulatio, et oculis, et quibusdam aliis corporis ſignis depre-

kömmt ſeine aeſthetiſche Kraft theils von dem Grade der Stärke, von der Langſamheit und Schnelligkeit, von dem Nachdruck und Flüchtigkeit, womit er ausgeſprochen wird; theils von dem Ziehen oder Stoſſen, oder Anſchwellen oder andern Arten ſeiner Erzeugung. — Die Worte, WEHE, WEHE *können ſo ausgeſprochen werden, daß ſie blos zärtliche und gleichſam ſchmachtende Traurigkeit ausdrücken: dieß würde geſchehen, wenn man die Worte* WEHE WEHE *aus der Kehle ſanft und gelaſſen, langſam und mit einer allmählichen Wendung oder Inflexion des Tones auf der erſten Syllbe jedes Wortes ausſpräche. Tiefere Wehmuth würden ſie ausdrücken, wenn der Ton tief auf der erſten Syllbe, tief aus der Bruſt mit einem tumpſigen Ton, allmählig etwas verſtärkt, und ſich in der zweyten Syllbe verlierend ausgeſprochen würde. Schreckhaft würden ſie klingen, wenn ſie mit lautem, offenem Schreyen, einem hellen Ton, ſchnell hinter einander, als wenn man um Hülfe riefe, vorgebracht würden.*

l) Sic celeberrima fuit ars pantomimica veterum, de qua vide Luciani libellum περὶ ὀρχήσεως, item Du Bos *von den theatraliſchen Vorſtellungen der Alten* §. 16. *Theat. Bibl. 3tes Stück.*

m) Sic quibus eſt magna animi agilitas volubilitasque mentis, celeres ingrediuntur ſemper, ſecum loquuntur ipſi, manus huc illucue iactant; tardi contra et ſtupidi pigri lentique incedere videntur.

henditur. n) Nec mirum, ſi iſta, quae tamen in aliquo poſita ſunt motu, tantum in animis valent, cum pictura, tacens opus, et habitus ſemper eiusdem, ſic in intimos penetret affectus, vt ipſam vim dicendi non numquem ſuperare videatur. Contra ſi geſtus ac vultus ab oratione diſſentiant, triſtia dicamus hilares, affirmemus aliqua renuentes; non auctoritas modo verbis, ſed etiam fides deſit. Decor quoque a geſtu, atque a motu venit. Ideoque Demoſthenes grande quoddam intuens ſpeculum, componere actionem ſolebat. Adeo, quamuis fulgor ille ſiniſtras imagines reddat, ſuis demum oculis credidit, quod efficeret. Praecipuum vero in actione, ſicut in corpore ipſo, caput eſt, cum ad illum, de quo dixi, decorem, tum etiam ad ſignificationem decoris. Illa ſunt, vt ſit primo rectum, et ſecundum naturam. Nam et deiecto humilitas, et ſupino arrogantia, et in latus inclinato languor, et praeduro ac rigente barbaria quaedam mentis oſtenditur. Tum accipiat aptos ex ipſa actione motus, vt cum geſtu concordet, et manibus ac lateribus obſequatur. Aſpectus enim ſemper eodem vertitur, quo geſtus, exceptis, quae aut damnare, aut non concedere, aut a nobis remouere oportebit: vt idem illud vultu videamur auerſari, manu repellere:

Di

n) Cicero L. III. de orat. c. 59. *Oculos autem natura nobis, vt equo et leoni ſetas, caudam, aures ad motus animorum declarandos dedit.*

— — Dii talem terris auertite peſtem.

Et,

— — Haud equidem tali me dignor honore.

Significat vero plurimis modis. Nam praeter annuendi, renuendi, confirmandique motus, ſunt et verecundiae, et dubitationis, et admirationis, et indignationis noti et communes omnibus. Solo tamen eo facere geſtum ſcenici quoque doctores vitioſum putauerunt. Etiam frequens eius nutus non caret vitio: adeo iactare id, et comas excutientem rotare, fanaticum eſt. Dominatur autem maxime vultus. Hoc ſupplices, hoc minaces, hoc blandi, hoc triſtes, hoc hilares, hoc erecti, hoc ſubmiſſi ſumus. Hoc pendent homines, hunc intuentur, hunc ſpectant, etiam ante quam dicamus. Hoc quosdam amamus, hoc odimus, hoc plurima intelligimus. Hic eſt ſaepe pro omnibus verbis. o) Itaque in iis, quae ad ſcenam componuntur, fabu-

 lis,

o) Haec nituntur arte Phyſiognomica, qua ex vultu lineamentisque animi habitus diſcitur: ars haec, aetate noſtra laboribus et conatibus Lauaterianis exculta, multos amatores et patronos habuit: cui ſe dare, et in ea experimenta facere poetae ac philoſopho vtiliſſimum eſt; ſed ad hominum vſque adeo mores diſcernendos extendere, (cum Cicerone teſte, frons, oculi, vultus mentiantur ſaepius) pernicioſiſſimum eſſet in ſocietate humana ſtudium, in quod ſatira (*in den phyſiognomiſchen Reiſen*) merito flagellum ſtrinxerit. Vtiliora ſuggerit Sulzerus Art. eodem. *Die zeichnenden Künſte könnten den Redenden einen wichtigen Dienſt leiſten. Es iſt zu wünſchen, daß ein guter Zeichner eine Sammlung nachdrücklicher und redender Gebehr-*

lis, artifices pronuntiandi a perſonis quoque affectus mutuantur: vt ſit Niobe in tragoedia triſtis, atrox Medea, attonitus Aiax, truculentus Hercules. p) In comoediis vero praeter aliam obſeruationem, qua ſerui, lenones, paraſiti, ruſtici, milites, vetulae, meretriculae, ancillae; ſenes auſteri ac mites, iuuenes ſeueri ac luxurioſi, matronae, puellae, inter ſe diſcernuntur: pater ille, cuius praecipuae partes ſunt, quia interim concitatus, interim lenis eſt, altero erecto, altero compoſito eſt ſupercilio. Atque id oſtendere maxime latus actoribus moris eſt, quod cum iis, quas agunt, partibus congruat.

Sed in ipſo vultu plurimum valent oculi, per quos maxime animus emanat, vt citra motum quoque et hilaritate eniteſcant, et triſtitia quoddám nubilum ducant. Quin etiam lacrimas his natura mentis indices dedit: quae aut erumpunt dolore, aut laetitia manant. Motu vero intenti, remiſſi, ſuperbi, torui, mites, aſperi fiunt, quae, vt actus popoſ-

Gebehrden anfangen möchte. Wer ſich beſonders darauf legen wollte, blos die Gebehrden der Menſchen zu beobachten, jedes Redende und jeden genauen Ausdruck darinn richtig zu zeichnen, dem würde es nicht ſchwer fallen, einen beträchtlichen Beytrag zur Gebehrdenkunſt zu liefern ect.

p) Perſonae facies erant fictae et appoſititiae ex cauato plerumque ligno, vt latius actoris vox reſonaret: vnde illud Prudentii,

Vt tragicus ligno contra tegit ora cauato
Grande aliquid cuius per hiatum carmen anhelet.

Gell. L. V. c. 7. De perſonarum comicarum varietate vide Scaligeri Poet. L. I. c. 46. ſeqq. item du Bos *von den theatr. Vorſtellungen der Alten* §. 12. *theatral. Bibl.* 3 *St.* 180.

popoſcerit, fingentur. Rigidi vero et extenti, aut languidi et torpentes, aut ſtupentes, aut laſciui et mobiles, aut natantes, et quadam voluptate ſuffuſi, aut limi, et (vt ſic dicam) venerei, aut poſcentes aliquid, pollicentesue non numquam eſſe debebunt. Nam opertos compreſſosue eos in dicendo quis, niſi plane rudis aut ſtultus, habeat? Et ad haec omnia exprimenda in palpebris etiam et in genis eſt quoddam deſeruiens his miniſterium.

Multum et ſuperciliis agitur. Nam et oculos formant aliquatenus, et fronti imperant. His contrahitur, attollitur, demittitur: vt vna res in ea plus valeat, ſanguis ille, qui mentis habitu mouetur, et, cum infirmam verecundia cutem accipit, effunditur in ruborem: cum metu refugit, abit omnis, et pallore frigeſcit: temperatus medium quoddam ſerenum efficit. Vitium in ſuperciliis, ſi aut immota ſunt omnino, aut nimium mobilia, aut inaequalitate (vt modo de perſona comica dixeram) diſſident, aut contra id, quod dicimus, finguntur. Ira enim contractis, triſtitia deductis, hilaritas remiſſis oſtenditur. Annuendi quoque et renuendi ratione demittuntur, aut alleuantur.

Naribus labrisque non fere quidquam decenter oſtendimus, tametſi deriſus, contemtus, faſtidium ſignificari ſolet. Nam et corrugare nares,

 (vt

(vt Horatius ait) et inflare, et mouere, et digito inquietare, et impulſu ſubito ſpiritum excutere, et diducere ſaepius, et plana manu reſupinare, indecorum eſt: cum emunctio etiam frequentior non ſine cauſſa reprehendatur.

Labra et porriguntur male, et ſcinduntur, et adſtringuntur, et diducuntur, et dentes nudant, et in latus ac paene ad aurem trahuntur, et velut quodam faſtidio replicantur, et pendent, et vocem tantum altera parte dimittunt. Lambere quoque ea et mordere, deforme eſt: cum etiam in efficiendis verbis modicus eorum eſſe debeat motus. Ore enim magis, quam labris, loquendum eſt.

Ceruicem rectam oportet eſſe, non rigidam, aut ſupinam. Collum diuerſa quidem, ſed pari deformitate et contrahitur, et tenditur: ſed tenſo ſubeſt et labor, tenuaturque vox ac fatigatur. Affixum pectori mentum, minus claram, et quaſi latiorem preſſo gutture facit.

Humerorum raro decens alleuatio atque contractio eſt. Breuiatur enim ceruix, et geſtum quemdam humilem atque ſeruilem, et quaſi fraudulentum facit, cum ſe in habitum adulationis, admirationis, metus fingunt.

Brachii moderata proiectio remiſſis humeris, atque explicantibus ſe in proferenda manu digitis,

con-

continuos et decurrentes locos maxime decet. At cum ſpecioſius quid vberiusque dicendum eſt, vt illud, Saxa atque ſolitudines voci reſpondent, exſpatiatur in latus, et ipſa quodam modo ſe cum geſtu fundit oratio.

Manus vero, ſine quibus trunca eſſet actio ac debilis, vix dici poteſt, quot motus habeant, cum paene ipſam verborum copiam perſequantur. Nam ceterae partes loquentem adiuuant, hae (prope eſt vt dicam) ipſae loquuntur. An non his poſcimus? pollicemur? vocamus? dimittimus? minamur? ſupplicamus? abominamur? timemus? interrogamus? negamus? gaudium, triſtitiam, dubitationem, confeſſionem, poenitentiam, modum, copiam, numerum, tempus oſtendimus? Non eaedem concitant? ſupplicant? inhibent? probant? admirantur? verecundantur? Non in demonſtrandis locis atque perſonis aduerbiorum atque pronominum obtinent vicem? vt in tanta per omnes gentes nationesque linguae diuerſitate hic mihi omnium hominum communis ſermo videatur. Et ii quidem, de quibus ſum locutus, cum ipſis vocibus naturaliter exeunt geſtus, alii ſunt, qui res imitatione ſignificant: vt ſi aegrum, tentantis venas medici ſimilitudine, aut citharoedum, formatis ad modum percutientis neruos manibus, oſtendas, quod eſt genus quam ongiſſime in actione fugiendum. Abeſſe enim plurimum

rimum a ſaltatore debet orator, vt ſit geſtus ad ſenſus magis quam ad verba accommodatus: quod etiam hiſtrionibus paullo grauioribus facere moris fuit. Ergo vt ad ſe manum referre, cum de ſe ipſo loquatur, et in eum, quem demonſtret, intendere, et aliqua his ſimilia permiſerim: ita non, effingere ſtatus quosdam, et, quidquid dicet, oſtendere. Neque id in manibus ſolum, ſed in omni geſtu ac voce ſeruandum eſt. Non enim aut in illa periodo, Stetit ſoleatus Praetor populi Romani, inclinatio incumbentis in mulierculam Verris effingenda eſt: aut in illa, Caedebatur in medio foro Meſſanae, motus laterum, qualis eſſe ad verbera ſolet, torquendus: aut vox, qualis dolore exprimitur, eruenda. Cum mihi comoedi quoque peſſime facere videantur, qui etiam ſi iuuenem agant, cum tamen in expoſitione aut ſenis ſermo, vt in Hydriae prologo, aut mulieris, vt in Georgo, q) incidit, tremula vel effeminata voce pronuntiant. Adeo in illis quoque eſt aliqua vitioſa imitatio, quorum ars omnis conſtat imitatione.

Optime autem manus a ſiniſtra parte incipit, in dextra deponitur: ſed vt deponi, non vt ferire videatur: quamquam et in fine interim cadit, vt cito tamen redeat: et non numquam reſilit vel negantibus nobis, vel admirantibus. Hic veteres artifices

q) Menandri fabularum nomina.

tifices illud recte adiecerunt, vt manus cum ſenſu et inciperet, et deponeretur. Alioqui enim aut ante vocem erit geſtus, aut poſt vocem: quod eſt vtrumque deforme. In illo lapſi nimia ſubtilitate ſunt, quod interuallum motus tria verba eſſe voluerunt: quod nec obſeruatur, nec fieri poteſt, ſed illi quaſi menſuram tarditatis, celeritatisque aliquam eſſe voluerunt, nec immerito, ne aut diu otioſa eſſet manus, aut (quod multi faciunt) actionem continuo motu conciderent. Tolli manum artifices ſupra oculos, demitti infra pectus vetant: adeo a capite eam petere, aut ad imum ventrem deducere, vitioſum habetur.

Manus ſiniſtra numquam ſola geſtum recte facit: dextrae ſe frequenter accommodat, ſiue in digitos argumenta digerimus, ſiue auerſis in ſiniſtrum palmis abominamur, ſiue obiicimus aduerſas, ſiue in latus vtrumque diſtendimus, ſiue ſatis facientes, aut ſupplicantes.

Pectus ac venter ne proiiciantur, obſeruandum. Pandant enim poſteriora, et eſt odioſa omnis ſupinitas. Latera cum geſtu conſentiant. Facit enim aliquid et totius corporis motus: adeo vt Cicero plus illo agi, quam manibus ipſis putet. Ita enim dicit in Oratore, r) Nullae argutiae digitorum, non ad numerum articulus cadens, trunco magis toto ſe ipſe moderans, et virili laterum flexione.

Femur

r) C. 18. In quo breuiter de geſtu doctrinam inuenies, quae ſacris noſtris oratoribus applicari omni modo poteris.

Femur ferire, quod Athenis primus fecisse creditur Cleon, et vsitatum est, et indignantes decet, et excitat auditorem. Idque in Callidio Cicero desiderat, s) Non frons, inquit, percussa, non femur: pedum (quod minimum est) nulla supplosio. Quamquam (si licet) de fronte dissentio. Nam et complodere manus scenicum est, et pectus caedere.

Pedis supplosio, vt loco est opportuna, vt ait Cicero, in contentionibus aut incipiendis, aut finiendis: ita crebra et inepti est hominis, et desinit auditorem in se conuertere. Est et illa indecora in dextrum ac laeuum latus vacillatio alternis pedibus insistentium.

Iactantur et humeri: quod vitium Demosthenes ita dicitur emendasse, vt, cum in angusto quodam pulpito stans diceret, hasta humero dependens immineret: vt, si calore dicendi vitare id excidisset, offensatione illa commoneretur.

Cultus non est proprius oratoris aliquis, sed magis in oratore conspicitur. Quare sit, vt in omnibus honestis debet esse, splendidus et virilis. Nam et toga, et calceus, et capillus, tam nimia cura, quam negligentia, sunt reprehendenda.

Haec sunt vel illustramenta pronuntiationis, vel vitia: quibus propositis, multa cogitare debet ora-

s) In Bruto c. 80.

orator. Primum, quid, apud quos, quibus praesentibus ſit acturus? Nam vt dicere alia aliis, et apud alios magis conuenit: ſic etiam facere. Neque eadem in voce, geſtu, inceſſu, apud principem, ſenatum, populum, magiſtratum, priuato, publico iudicio, poſtulatione, actione ſimiliter decent. Quam differentiam ſubiicere ſibi quiſque, qui animum intenderit, poteſt, tum qua de re dicat, et efficere quid velit. t)

Igitur in laudationibus, (niſi ſi funebres erunt) gratiarum actione, exhortatione, ſimilibus, laeta

et

t) Addere licet aliqua ex Sulzero: *Wenn irgend ein Theil der Kunſt iſt, der eine lange und ſehr fleißige Uebung erfodert, ſo iſt es dieſer. Sie muß aber mit genauer Beobachtung der Natur verbunden ſeyn. Der Redner muß Gelegenheit ſuchen lebhafte und empfindſame Menſchen zu ſehen und ihre Gebehrden genau beobachten, und durch wiederholte Verſuche das, was er nachdrücklich gefunden, ſich zueignen. Zu ſeinen Uebungen muß er ſich eine Sammlung vorzüglicher Stellen aus den beſten Rednern machen, die er erſt wohl auswendig lernt, und hernach für ſich ſo lange deklamirt, bis er Stellung und Gebehrden, die jedem Stücke zukommen, gefunden hat. Wie ein Zeichner nicht leicht einen Tag vorbeygehen läßt, ohne etwas zu zeichnen, ſo muß auch der Redner täglich wenigſtens eine Stelle declamiren. Es iſt ein wirklicher Mangel auf unſern Univerſitäten: daß kein methodiſch eingerichteter Unterricht in der Schule gegeben wird. Daher kömmt es denn, daß man ſehr ſelten einen geiſtlichen Redner findet, der die Kunſt verſteht, ſeinen Worten durch die Gebehrden Nachdruck zu geben.*

Oratori ſacro licet minus conueniat geſtus affectare; tamen maxime inconueniens muneri tanto eſt, decorem non obſeruare, aut coram multitudine manifeſtare ruditatem. Maxima formandi in iuuenili aetate geſtus cura eſſe in eo debet, vt, dum olim in publica luce agendum eſt, etiam citra curam, ſe geſtus accomodent, nec vlla ruditatis

et magnifica et ſublimis eſt actio. Funebres conciones, conſolationes, plerumque cauſſae reorum, triſtes atque ſubmiſſae. In Senatu conſeruanda auctoritas, apud populum dignitas, in priuatis modus. u)

Tria autem praeſtare debet pronuntiatio: conciliet, perſuadeat, moueat: quibus natura cohaeret, vt etiam delectet. Conciliatio fere aut commendatione morum, (qui neſcio quo modo ex voce etiam atque actione pellucent) aut orationis ſuauitate conſtat: perſuadendi vis affirmatione, quae interim plus ipſis probationibus valet. An iſta (inquit Callidio Cicero) ſi vera eſſent, ſic a te dicerentur? et, Tantum abeſt, vt inflammares noſtros ani-

tatis ſigna appareant. Suaſerim praeter ea adoleſcenti cuique, vt aut ſolus aut aliis audientibus alta et rebus accomodata voce multa recitet: qua exercitatione vox potiſſimum formatur, cuius virtutibus in politorum hominum congreſſu carere non poſſumus.

u) Addenda rurſus ex Sulzero quaedam, *In einer Rede von ernſthaften Inhalt zeiget ſich der Anſtand in einer ernſthaften und ruhigen Stellung, in mäſſigen Bewegungen, einer männlichen und etwas langſamen Stimme, einer graden Kopfſteſlung und etwas nieder gezogenen Augenbraunen. Iſt der Inhalt vergnügt, aber von gemäſſigter Freude; ſo beſteht der Anſtand in einer mäſſig muntern Stellung, in angenehmen und ſanften Bewegungen des Körpers, in einem etwas mehraufgerichteten Kopfe, offenen und fröhlichen Blicken, und einer angenehmen hellen Stimme. Ueberhaupt ſind Beſcheidenheit Mäſſigung der Stimme und aller Bewegungen die weſentlichſten Stücke des Anſtandes. Hingegen hebt alles Weitgetriebene und Heftige den Anſtand auf. Eine ſtille Gröſſe, die uns beſtändig in einer ruhigen Faſſung läſſt, und alle Aufmerkſamkeit, ohne die geringſte Zerſtreuung, auf das Weſen der Sache, macht die Vollkommenheit des Anſtandes aus.*

animos, ſomnum iſto loco vix tenebamus. Fiducia igitur appareat, et conſtantia, vtique ſi auctoritas ſubeſt. Mouendi autem ratio aut in repraeſentandis eſt, aut imitandis affectibus.

Vnum iam his adiiciendum eſt, cum praecipue in actione ſpectetur decorum, ſaepe aliud alios decere. Eſt enim latens quaedam in hoc ratio, et inenarrabilis: et vt vere hoc dictum eſt, caput eſſe artis, decere quod facias; ita id neque ſine arte eſſe, neque totum arte tradi poteſt. In quibusdam virtutes non habent gratiam, in quibusdam vitia ipſa delectant. Maximos actores comoediarum Demetrium et Stratoclem, placere diuerſis virtutibus vidimus. Sed illud minus mirum, quod alter deos, et iuuenes, et bonos patres, ſeruosque et matronas, et graues anus optime: alter acres ſenes, callidos ſeruos, paraſitos, lenones, et omnia agitatiora melius. Fuit enim natura diuerſa. Nam vox quoque Demetrii iucundior, illius acrior erat. Annotandae magis proprietates, quae transferri non poterant, manus iactare, et dulces exclamationes theatri cauſſa producere, et ingrediendo ventum concipere veſte, et non numquam dextro latere facere geſtus: quod neminem alium praeter Demetrium decuit: namque in haec omnia ſtatura et mira ſpecie adiuuabatur. Illum curſus, et agilitas, et vel parum conueniens perſonae riſus, (quem non ignarus rationis po-

C c pulo

pulo dabat) et contracta etiam ceruicula. Quidquid horum alter fecisset, foedissimum videretur. Quare norit se quisque, nec tantum ex communibus praeceptis, sed etiam ex natura sua capiat consilium formandae actionis. Neque illud tamen est nefas, vt aliquem vel omnia vel plurima deceant. Huius quoque loci clausula sit eadem necesse est, quae ceterorum est, regnare maxime modum. x)

SECTIO VII.

Quae Oratorem perficiant.

CAPVT I.

(L. XII. C. I.)

Non posse oratorem esse, nisi virum bonum.

Sit nobis orator, quem instituimus, is, qui a M. Catone finitur, vir bonus, dicendi peritus. y) Verum id, quod ille posuit prius, etiam ipsa natura potius ac maius est, vtique vir bonus. Id non eo tantum

x) Vt stilus, vultus, temperamentum in quoque homine distant; ita gestus quoque, qui temperamento respondent, cuique homini proprii sunt: quos non euertere, sed polire decet. Commendari satis non possunt exercitationes corporis, quibus partim adimitur rigor, partim naturali agilitati decor additur, vt expolita natura, non affectatio appareat. Quid sanae mentis homini molestius accidere possit, quam cum viris, qui imaguncularum ad instar filo ferreo trahi, aut ad numeros et loqui et incedere videntur, vel agere, vel conuersari debere?

y) Catonis finitionem inuertebat Herennius Senecio in Regulum dicens, *Est vir malus dicendi imperitus*, apud Plinium L. IV. ep. 7. n. 5.

tantum, quod, ſi vis illa dicendi malitiam inſtruxerit, nihil ſit publicis priuatisque rebus perniciofius eloquentia; ſed nos quoque ipſi, qui pro virili parte conferre aliquid ad facultatem dicendi conati ſumus, peſſime mereamur de rebus humanis, ſi latroni comparemus haec arma, non militi. Quid de nobis loquor? Rerum ipſa natura in eo, quod praecipue indulſiſſe homini videtur, quoque nos a ceteris animalibus ſeparaſſe, non parens, ſed nouerca fuerit, ſi facultatem dicendi, ſociam ſcelerum, aduerſam innocentiae, hoſtem veritatis inuenit. Mutos enim naſci, et egere omni ratione, ſatius fuiſſet, quam prouidentiae munera in mutuam perniciem conuertere.

Longius tendit hoc iudicium meum. Neque enim tantum id dico, eum, qui ſit orator, virum bonum eſſe oportere: ſed ne futurum quidem oratorem, niſi virum bonum. Nam certe neque intelligentiam conceſſeris iis, qui, propoſita honeſtorum ac turpium via, peiorem ſequi malint; neque prudentiam iis, qui in grauiſſimas frequenter legum, ſemper vero malae conſcientiae, poenas a ſemet ipſis improuiſo rerum exitu induantur. Quod ſi neminem malum eſſe, niſi ſtultum eumdem, non modo a ſapientibus dicitur, ſed vulgo quoque ſemper eſt creditum: certe non fiet vmquam ſtultus orator. Adde quod ne ſtudio quidem operis pulcherrimi va-

care mens, nisi omnibus vitiis libera, potest: primum quod in eodem pectore nullum est honestorum turpiumque consortium: et cogitare optima simul ac deterrima non magis est vnius animi, quam eiusdem hominis bonum esse ac malum. Tum illa quoque ex caussa, quod mentem tantae rei intentam, vacare omnibus aliis, etiam culpa carentibus, curis oportet. Ita demum enim libera, ac tota, nulla distringente atque alio ducente caussa, spectabit id solum, ad quod accingitur. Quod si agrorum nimia cura, et solicitior rei familiaris diligentia, et venandi voluptas, et dati spectaculis dies, multum studiis auferunt: (huic enim rei perit tempus, quodcumque alteri datur) quid putamus facturas cupiditatem, auaritiam, inuidiam? quarum impotentissimae cogitationes somnos etiam ipsos, et illa per quietem visa perturbant. Nihil enim tam occupatum, tam multiforme, tot ac tam variis affectibus concisum atque laceratum, quam mala mens. Nam et cum insidiatur, spe, curis, labore distringitur: et iam, cum sceleris compos fuerit, solicitudine, poenitentia, poenarum omnium exspectatione torquetur. Quis inter haec literis, aut vlli bonae arti locus? Non hercle magis, quam frugibus in terra sentibus ac rubis occupata. Age, non ad perferendos studiorum labores necessaria frugalitas? Quid ergo ex libidine ac luxuria spei? Non praecipue acuit

ad

ad cupiditatem literarum amor laudis? Num igitur malis esse laudem curae putamus? Iam hoc quis non videt, maximam partem orationis in tractatu aequi bonique consistere? Dicetne de his secundum debitam rerum dignitatem malus atque iniquus? Denique, vt maximam partem quaestionis eximam, demus id, quod nullo modo fieri potest, idem ingenii, studii, doctrinae, pessimo atque optimo viro: vter melior dicetur orator? Nimirum qui homo quoque melior. Non igitur vmquam malus idem homo, et perfectus orator. Non enim perfectum est quidquam, quo melius est aliud.

Sed de iis dicendum est, quae mihi quasi conspiratione quadam vulgi reclamari videntur. Orator ergo Demosthenes non fuit? atqui malum virum accepimus: z) Non Cicero? atqui huius quoque mores multi reprehenderunt. Quid agam? magna responsi inuidia subeunda est, mitigandae sunt prius aures. Mihi enim nec Demosthenes tam graui morum dignus videtur inuidia, vt omnia, quae in eum ab inimicis a) congesta sunt, credam, cum et pulcherrima eius in re publica consilia, et finem vitae

z) Maxime pecuniae auidus culpatur, nec, licet Philippi, aliorum quoque munera repudiauit. Omnium tamen, quotquot sua aetate vixerunt, oratorum integerrimus est habitus: ex quo patet magnis viris, vt soli, suas maculas inesse.

a) Aeschine praecipue, in oratione contra Ctesiphontem.

tae b) clarum legam. Nec Marco Tullio defuiſſe video in vlla parte ciuis optimi voluntatem. Teſtimonio eſt actus nobiliſſime conſulatus; integerrime prouincia adminiſtrata; et repudiatus vigintiuiratus; c) et ciuilibus bellis, quae in aetatem eius grauiſſima inciderunt, neque ſpe neque metu declinatus animus, quo minus optimis ſe partibus, id eſt, rei publicae, iungeret. Parum fortis videtur quibusdam: quibus optime reſpondit ipſe, non ſe timidum in ſuſcipiendis, ſed in prouidendis periculis: quod probauit morte quoque ipſa, quam praeſtantiſſimo ſuſcepit animo. d) Quod ſi defuit his viris ſumma virtus: ſic, quaerentibus, An oratores fuerint? reſpondebo, quo modo Stoici, ſi interrogentur, an ſapiens Zeno, an Cleanthes, an Chryſippus? reſpon-

b) Finem vitae Plutarchus in vita longiore; ſpecioſiſſime vero, quaſi ex Macedonicis quibusdam Antipatri commentariis, enarrat Auctor encomii Demoſthenis, quod inter *Lucianea* habetur Totum illud encomium maximum et optimum virum deſcribit. Epigramma ſtatuae ſubiectum, vt fortitudinem negat, ita bonitatis ex communi perſuaſione teſtimonium praebet:

Hic ſi quam recta, tam forti mente fuiſſet
Non te Mars Macedo, Graecia, capta ferat!

c) De agro campano diuidundo vigintiuiratus inſtitutus eſt a Caeſare: rem inuenies in Fabricii hiſtoria Ciceronis ad A. V. C. 694.

d) Haec de iuuenili et media, non ſera Ciceronis aetate intellige: ſenex ſane ſubtimidus erat, aetatis et temporum forſan vitio. Vbi recole quae ſuperius de Philoſophia Ciceroniana dicta ſunt. Mors deſcripta eſt a Plutarcho: Irruentes parricidas oculo irretorto contemplatus, enſi ceruicem ſponte obtulit. Quod vtrum deſperati, an inuicti animi ſignum ſit; diſputatur inter hiſtoricos. Ne viro tot meritis florentiſſimo patriaeque ſuae amantiſſimo negemus hanc moriendi virtutem eo ipſo quidem, quod nihil certi in contrarium ab aduerſariis ſtatui poſſit.

ſpondeant, Magnos quidem illos ac venerabiles, non tamen id, quod natura hominis ſummum habet, conſecutos. Nam et Pythagoras, non ſapientem ſe, vt qui ante eum fuerunt, ſed ſtudioſum ſapientiae vocari voluit. Ego tamen ſecundum communem loquendi conſuetudinem ſaepe dixi, dicamque, perfectum oratorem eſſe Ciceronem, vt amicos et bonos viros, et prudentiſſimos dicimus vulgo, quorum nihil niſi perfecte ſapienti datur. e) Sed cum proprie, et ad legem ipſam veritatis loquendum erit, eum quaeram oratorem, quem et ille quaerebat. Quamquam enim ſtetiſſe ipſum in faſtigio eloquentiae fateor, ac vix, quid adiici potuerit, inuenio, fortaſſe inuenturus, quod adhuc abſciſſurum putem fuiſſe, (nam fere ſic docti iudicauerunt, plurimum in eo virtutum, non nihil fuiſſe vitiorum: et ſe ipſe multa ex illa iuuenili abundantia coercuiſſe teſtatur) tamen quando nec ſapientis ſibi nomen, minime ſui contemtor, aſſeruit; et melius dicere, certe data longiore vita, et aetate ad componendum ſecuriore, potuiſſet: non maligne crediderim, defuiſſe ei ſummam illam, ad quam nemo propius acceſſit. Et licebat, ſi aliter ſentirem, fortius id et libe-

e) Aequum ſane ac manſuetum ſe morum cenſorem exhibuit Fabius, viros ſummos ita praedicans, vt naeuis ipſis colorem prudenter inducat. Homo, non vt eſſe debeat, ſed vt ſit, ſemperque fuerit, ſpectetur, ſi virtutum et vitiorum comparatio inſtituitur. Vbi multae nitent virtutes, cur paucis offendar maculis? Peſſimi ſane animi ſignum, non niſi mala in aliis videre.

liberius defendere. An vero M. Antonius neminem a ſe viſum eloquentem, quod tanto minus erat, profeſſus eſt; ipſe etiam M. Tullius quaerit adhuc eum, et tantum imaginatur ac fingit: ego non audeam dicere, aliquid in hac, quae ſupereſt, aeternitate inueniri poſſe, eo, quod fuerit, perfectius? Tranſeo illos, qui Ciceroni ac Demoſtheni ne in eloquentia quidem ſatis tribuunt: quamquam neque ipſi Ciceroni Demoſthenes videatur ſatis eſſe perfectus, quem dormitare interim dicit; nec Cicero Bruto Caluoque, qui certe compoſitionem illius etiam apud ipſum reprehendunt; nec Aſinio vtrique, qui vitia orationis eius etiam inimice pluribus in locis inſequuntur.

Concedamus ſane, (quod minime natura patiatur) repertum eſſe aliquem malum virum, ſumme diſertum: nihilo tamen minus oratorem eum negabo. Nam nec omnibus, qui fuerint manu promti, viri fortis nomen conceſſerim, quia ſine virtute intelligi non poteſt fortitudo. Non enim forenſem quamdam inſtituimus operam, nec mercenariam vocem; ſed virum, cum ingenii natura praeſtantem, tum vero tot pulcherrimas artes penitus mente complexum, datum tandem rebus humanis, qualem nulla antea vetuſtas cognouerit, ſingularem, perfectumque vndique, optima ſentientem, optimeque dicentem, cum regenda ſenatus conſilia, et popularis error ad meliora ducendus. An non talem

quem-

quemdam videtur finxisse Virgilius, quem in seditione vulgi, iam faces et saxa iaculantis, moderatorem dedit? f)

Tum pietate grauem ac meritis si forte virum quem
Conspexere, silent, arrectisque auribus adstant.

Habemus igitur ante omnia virum bonum, post haec adiecit dicendi peritum,

Ille regit dictis animos, et pectora mulcet.

Quid? non in bellis quoque idem ille vir, quem instituimus, si sit ad praelium miles cohortandus, ex mediis sapientiae praeceptis orationem trahet? Nam quo modo pugnam ineuntibus, tot simul metus laboris, doloris, postremo mortis ipsius exciderint, nisi in eorum locum pietas, et fortitudo, et honesti praesens imago successerit? Quae certe melius persuadebit aliis, qui prius persuaserit sibi. Prodit enim se, quam libet custodiatur, simulatio: nec vmquam tanta fuerit eloquendi facultas, vt non titubet ac haereat, quoties ab animo verba dissentiunt. Vir autem malus aliud dicat necesse est, quam sentit. Bonos numquam honestus sermo deficiet, numquam rerum optimarum (nam iidem etiam prudentes erunt,) inuentio: quae etiam si

 leno-

f) Aen. I. v: 148.

lenociniis deſtituta ſit, ſatis tamen natura ſua ornatur: nec quidquam non diſerte, quod honeſte, dicitur.

Quare, iuuentus, imo omnis aetas (neque enim rectae voluntati ſerum eſt tempus vllum) totis mentibus huc tendamus, in hoc elaboremus: forſan et conſummare contingat. Nam ſi natura non prohibet, et eſſe virum bonum, et eſſe dicendi peritum: cur non aliquis etiam vnus vtrumque conſequi poſſit? cur autem non ſe quiſque ſperet fore illum aliquem? Ad quod ſi vires ingenii non ſuffecerint, tamen ad quem vſque modum proceſſerimus, meliores erimus ex vtroque. Hoc certe prorſus eximatur animo, rerum pulcherrimam eloquentiam cum vitiis mentis poſſe miſceri. Facultas dicendi, ſi in malos incidit, et ipſa iudicanda eſt malum: peiores enim illos facit, quibus contingit.

CAPVT II.

(L. XII. C. II.)

De Philoſophia.

Quando igitur orator eſt vir bonus, is autem citra virtutem intelligi non poteſt; virtus, etiam ſi quosdam impetus ex natura ſumit, tamen perficienda doctrina eſt: g) mores ante omnia oratori

ſtudiis

g) Huc pertinet aureus Plutarchi libellus ὅτι διδακτὸν ἡ ἀρετή.

ſtudiis erunt excolendi, atque omnis honeſti iuſtique diſciplina pertractanda, ſine qua nemo nec vir bonus eſſe, nec dicendi peritus poteſt. Niſi forte accedamus iis, qui natura conſtare mores, et nihil adiuuari diſciplina putant: ſcilicet, vt ea quidem, quae manu fiunt, atque eorum etiam contemtiſſima, confiteantur egere doctoribus: virtutem vero, qua nihil homini, quo ad deos immortales propius accederet, datum eſt, obuiam et illaboratam, tantum quia nati ſimus, habeamus. Abſtinens erit, qui id ipſum, quid ſit abſtinentia, ignorarit? Et fortis, qui metus dolor s, mortis, ſuperſtitionis, nulla ratione purgauerit? Et iuſtus, qui aequi bonique tractatum, qui leges, quae natura ſunt omnibus datae, quaeque propriae populis et gentibus conſtitutae, non eruditiore aliquo ſermone tractauerit? O quam iſtud parum putant, quibus tam facile videtur! Sed hoc tranſeo, de quo neminem, qui literas vel primis, vt aiunt, labris deguſtarit, dubitaturum puto. Ad illud ſequens reuertar, ne dicendi quidem ſatis peritum fore, qui non et naturae vim omnem penitus perſpexerit, et mores praeceptis ac ratione formarit. Ego enim illum, quem inſtituo, velim eſſe ſapientem, qui non ſecretis diſputationibus, ſed rerum experimentis atque operibus, vere ciuilem virum exhibeat.

Quae

Quae quidem cum ſit in tres diuiſa partes, naturalem, moralem, rationalem, quae tandem non eſt cum oratoris opere coniuncta?

Nam vt ordinem retro agamus, de vltima illa, quae tota verſatur in verbis, nemo dubitauerit, ſi et proprietates vocis cuiuſque noſſe, et ambigua aperire, et perplexa diſcernere, et de falſis iudicare, et colligere ac reſoluere, quae velis, oratoris eſt. Quamquam ea non tam eſt minute atque conciſe in actionibus vtendum, quam in diſputationibus: quia non docere modo, ſed mouere etiam ac delectare audientes debet orator: ad quod impetu quoque et viribus ac decore eſt opus: vt vis amnium maior eſt altis ripis, multoque gurgitis tractu fluentium, quam tenuis aquae, et obiectu lapillorum reſultantis. Et vt palaeſtrici doctores, illos, quos numeros h) vocant, non idcirco diſcentibus tradunt, vt his omnibus ii, qui didicerint, in ipſo luctandi certamine vtantur, (plus enim pondere et firmitate et ſpiritu agitur) ſed vt ſubſit copia illa, ex qua vnum aut alterum, cuius ſe occaſio dederit, efficiant: ita haec pars dialectica, ſiue illam dicere malimus diſputatricem, vt eſt vtilis ſaepe et finitionibus, et comprehenſionibus, et ſeparandis, quae ſunt differentia, et reſoluenda ambiguitate, et diſtinguendo, diui-

h) *Numeros* hic appellat optimam motus et geſtus conformationem, vt inquit L. IX. de compoſitione, *Metrum in verbis modo, rhythmus etiam in corporis motu eſt.*

diuidendo, illiciendo, implicando: ita si totum sibi vindicauerit in foro certamen, obstabit melioribus, et sectas ad tenuitatem suam vires ipsa subtilitate sua consumet. Itaque reperias quosdam in disputando mire callidos, cum ab illa cauillatione discesserint, non magis sufficere in aliquo grauiore actu, quam parua quaedam animalia, quae in angustiis mobilia, campo deprehenduntur.

Iam quidem pars illa moralis, quae dicitur Ethice, certe tota oratori est accommodata. An de iustitia, fortitudine, abstinentia, temperantia, pietate, non plurima dicet orator? sed ille vir bonus, qui haec non vocibus tantum sibi nota atque nominibus, aurium tenus in vsum linguae perceperit, sed qui virtutes ipsas mente complexus, ita sentiet, nec in cogitando ita laborabit, sed, quod sciet, vere dicet.

Pars vero naturalis, cum est ad exercitationem dicendi tanto ceteris vberior, quanto maiore spiritu de diuinis rebus, quam humanis loquendum est, tum illam etiam moralem, sine qua nulla esse (vt docuimus) oratio potest, totam complectitur. Nam si regitur prouidentia mundus, administranda certe bonis viris erit res publica. Si diuina nostris animis origo, tendendum ad virtutem: nec voluptatibus terreni corporis seruiendum. An haec non frequenter tractabit orator? Quae deni-

denique intelligi saltem potest eloquentia hominis optima nescientis?

Haec si ratione manifesta non essent, exemplis tamen crederemus. Siquidem et Periclem, i) cuius eloquentiae, etiam si nulla ad nos monumenta venerunt, vim tamen quamdam incredibilem cum historici, tum etiam, liberrimum genus hominum, comici veteres tradunt. Anaxagorae l) physici constat auditorem fuisse: et Demosthenem, principem omnium Graeciae oratorum, dedisse operam Platoni. Nam M. Tullius non tantum se debere scholis rhetorum, quantum Academiae spatiis, frequenter ipse testatus est. Neque se tanta in eo vmquam fudisset vbertas, si ingenium suum consepto fori, non ipsius rerum naturae finibus terminasset. m)

Verum ex hoc alia mihi quaestio exoritur, quae secta conferre plurimum eloquentiae possit: quamquam ea non inter multas potest esse contentio.

Nam

i) De Pericle vide superius de vtilitate Rhetorices.

l) Quem impietatis reum Pericles defendit: quo respexit Lucianus in Timone c. 10. *vbi Iupiter fractum sibi fulmen* ait, *cum peteret Anaxagoram.*

m) In hoc egregie Cicero ad Quintum fratrem *L. I. ep. I.* *Atque ille quidem princeps ingenii et doctrinae, tum denique fore beatas respublicas putauit, si aut docti aut sapientes homines eas regere coepissent, aut qui regerent omne suum studium in doctrina ac sapientia collocassent. Hanc coniunctionem videlicet potestatis et sapientiae saluti censuit ciuitatibus esse posse.*

Nam in primis nos Epicurus a ſe ipſe dimmittit, qui fugere omnem diſciplinam nauigatione quam velociſſima iubet. Neque vero Ariſtippus, ſummum in voluptate corporis bonum ponens, ad hunc nos laborem adhortetur. Pyrrho quidem quas in hoc opere partes habere poteſt, cui iudices eſſe, apud quos verba faciat, et reum, pro quo loquatur, et ſenatum, in quo ſit dicenda ſententia, non liquebit? n) Academiam quidam vtiliſſimam credunt, quod mos in vtramque partem diſſerendi ad exercitationem proxime accedat. o) Adiiciunt loco probationis, quod ea praeſtantiſſimos in eloquentia viros ediderit. Peripatetici ſtudio quoque ſe quodam oratorio iactant. Nam theſes dicere exercitationis gratia fere eſt ab his inſtitutum. Stoici, ſicut copiam nitoremque eloquentiae fere praeceptoribus ſuis defuiſſe concedant, neceſſe eſt, ita nullos aut probare acrius, aut concludere ſubtilius contendunt. Sed haec inter ipſos, qui velut ſacramento rogati, vel etiam ſuperſtitione conſtricti, nefas ducunt a ſuſcepta ſemel perſuaſione diſcedere. Oratori vero nihil eſt neceſſe in cuiuſquam iurare leges. Maius eſt enim opus atque praeſtantius, ad quod ipſe

tendit,

n) Scepticiſmum apte hic notat Fabius. Artem impudenter negandi et oppugnandi, quae manifeſta videntur aliis, nemo forte felicius, quam Pyrrho, docuerit. In vtramque vero partem diſputare amanti, multa ſuppeditabit praeſidia Sextus Empiricus.

o) De Academicis aliisque philoſophis vide quae Cicero L. III. de orat. c. 16. et ſeqq.

tendit, et cuius eſt velut candidatus, ſiquidem eſt futurus cum vitae, tum etiam eloquentiae laude perfectus. Quare in exemplum bene dicendi facundiſſimum quemque proponet ſibi ad imitandum: moribus vero formandis quam honeſtiſſima praecepta, rectiſſimamque ad virtutem viam deliget. Exercitatione quidem vtetur omni, ſed tamen erit plurimus in maximis quibusque ac natura pulcherrimis. Nam quae poteſt materia reperiri ad grauiter copioſeque dicendum magis abundans, quam de virtute, de re publica, de prouidentia, de origine animorum, de amicitia? Haec ſunt, quibus mens pariter atque oratio inſurgant: quae vere bona, quid mitiget metus, coerceat cupiditates, eximat nos opinionibus vulgi, animumque coeleſtem pariat.

Neque ea ſolum, quae talibus diſciplinis continentur, ſed magis etiam, quae ſunt tradita antiquitus, dicta, ac facta praeclare, et noſſe, et animo ſemper agitare conueniet. Quae profecto nuſquam plura maioraque, quam in noſtrae ciuitatis monumentis reperientur. An fortitudinem, iuſtitiam, fidem, continentiam, frugalitatem, contemtum doloris ac mortis, melius alii docebunt, quam Fabricii, Curii, Reguli, Decii, Mutii, aliique innumerabiles? Quantum enim Graeci praeceptis valent, tantum Romani (quod eſt maius) exemplis.

plis. p) Tantumque non cognatis id e rebus admoneri ſciet, qui non modo proximum tempus, locumque praeſentem intueri ſatis credat, ſed omnem poſteritatis memoriam, ſpatium vitae honeſtae, et curriculum laudis exiſtimet. q) Hinc mihi ille iuſtitiae hauſtus bibat, hinc ſumtam libertatem in cauſſis atque conſiliis praeſtet. Neque erit perfectus orator, niſi qui honeſte dicere et ſciet, et audebit.

CAPVT III.

(L. XII. C. III.)

De Iuris Ciuilis Scientia.

Iuris quoque ciuilis neceſſaria huic viro ſcientia eſt, et morum ac religionum eius rei publicae, quam capeſſet. Nam qualis eſſe ſuaſor in conſiliis publicis priuatisue poterit, tot rerum, quibus praecipue ciuitas continetur, ignarus?

Omne ius, quod eſt certum, aut ſcripto aut moribus conſtat: dubium aequitatis regula examinandum

p) Sic Liuius in praefat. operis, *Ceterum aut me amor ſuſcepti negotii fallit, aut nulla vmquam reſpublica nec maior, nec ſanctior nec bonis exemplis ditior fuit; nec in quam tam ſera auaritia luxuriaque immigrauerint; nec vbi tantus aut tamdiu paupertatis ac parſimoniae honos fuerit.*

q) Hunc locum paullo obſcurum ita ex lectione Gothana illuſtrat Geſnerus: *tantumque non,* (h. e. prope) *cognatis rebus,* geſtis maiorum ſuorum *idem* ſine ad eamdem rem *admoneri ſe ſciet* atque ſentiet, *qui non proximum* etc.

nandum eſt. Quae ſcripta ſunt, aut poſita in more ciuitatis, nullam habent difficultatem, cognitionis ſunt enim, non inuentionis. At quae conſultorum reſponſis explicantur, aut in verborum interpretatione ſunt poſita, aut in recti prauique diſcrimine. Vim cuiusque vocis intelligere, aut commune prudentium eſt, aut proprium oratoris: aequitas optimo cuique notiſſima. Nos porro et bonum virum, et prudentem in primis oratorem putamus: qui cum ſe ad id, quod eſt optimum natura, direxerit, non magnopere commouebitur, ſi quis ab eo conſultus diſſentiet, cum ipſis illis diuerſas inter ſe opiniones tueri conceſſum ſit. Sed etiam ſi noſſe, quid quiſque ſenſerit, volet, lectionis opus eſt, qua nihil eſt in ſtudiis minus laborioſum. Quod ſi plerique, deſperata facultate agendi, ad diſcendum ius declinauerunt, quam id ſcire facile eſt oratori, quod diſcunt, quia ſua quoque confeſſione oratores eſſe non poſſunt? r) Verum et M. Cato cum in dicendo praeſtantiſſimus, tum iuris idem fuit peritiſſimus: et Scaeuolae Seruioque Sulpicio conceſſa eſt etiam facundiae virtus. s) Et M. Tullius non modo

r) Multus in hoc Cicero eſt pro Muraena. alludit autem Fabius ad c. 13. vbi ita: *Videntur plerique* (Icti) *initio multo hoc maluiſſe:* (vt oratores fierent) *poſt, cum id aſſequi non potuiſſent, iſtuc potiſſimum ſunt delapſi. Vt aiunt in Graecis artificibus, eos auloedos eſſe, qui citharoedi fieri non potuerint; ſic non nullos videmus qui oratores euadere non potuerunt, eos ad iuris ſtudium deuenire.*

s) De hoc Cicero ipſe L. I. de orat. c. 58.

do inter agendum numquam eſt deſtitutus ſcientia iuris, ſed etiam componere aliqua de eo coeperat: vt appareat, poſſe oratorem non diſcendo tantum iuri vacare, ſed etiam docendo. Verum ea, quae de moribus excolendis ſtudioque iuris praecipimus, ne quis eo credat reprehendenda, quod multos cognouimus, qui taedio laboris, quem ferre tendentibus ad eloquentiam neceſſe eſt, confugerint ad haec deuerticula deſidiae: quorum alii ſe ad album ac rubricas t) tranſtulerunt, et formularii, vel, vt Cicero ait, leguleii quidam eſſe maluerunt, tamquam vtiliora eligentes ea, quorum ſolam facilitatem ſequebantur: u) alii pigritiae arrogantioris, qui ſubitò fronte conficta, immiſſaque barba, veluti deſpexiſſent oratoria praecepta, paullum aliquid ſederunt in ſcholis philoſophorum, vt deinde in publico triſtes, domi diſſoluti, captarent auctoritatem contemtu ceterorum. Philoſophia enim ſimulari poteſt, eloquentia non poteſt. x)

t) *Album* erat, in quo praetorum edicta ſcribebantur; *Rubricae* iuris tituli, qui rubrica et minio tingebantur.

u) Haec Cicero ad Craſſum L. I. de orat. c. 55. *Ita eſt tibi iuris conſultus per ſe nihil, niſi leguleius quidam cautus et acutus, praeco actionum, cantor formularum, auceps ſyllabarum.*

x) De affectatione philoſophiae, vide quae ſupra.

CAPVT IV.

(L. XII. c. IV.)

De Cognitione Hiſtoriarum.

In primis vero abundare debet orator exemplorum copia, cum veterum, tum etiam nouorum, adeo vt non ea modo, quae conſcripta ſunt hiſtoriis, aut ſermonibus velut per manus tradita, quaeque quotidie aguntur, debeat noſſe; verum ne ea quidem, quae ſunt a clarioribus poetis ficta, negligere. Nam illa quidem priora teſtimoniorum obtinent locum: ſed haec quoque aut vetuſtatis fide tuta ſunt, aut ab hominibus magnis praeceptorum loco ficta creduntur. Sciat ergo quam plurima: vnde etiam ſenibus auctoritas maior eſt, quod plura noſſe et vidiſſe creduntur: quod Homerus frequentiſſime teſtatur. Sed non eſt exſpectanda vltima aetas, cum ſtudia praeſtent, vt, quantum ad cognitionem pertinet rerum, etiam praeteritis ſeculis vixiſſe videamur.

SECTIO VIII.

(L. XII. c. X.)

De Genere dicendi.

Supereſt, vt dicam de genere orationis. Hic erat propoſitus a nobis in diuiſione prima locus tertius: nam ita promiſeram, me de arte, de artifice, de opere dicturum. Cum ſit autem rhetorices atque ora-

oratoris opus oratio, pluresque eius formae, ſicut oſtendam; in omnibus his et ars eſt et artifex: plurimum tamen inuicem differunt, nec ſolum ſpecie, vt ſignum ſigno, et tabula tabulae, et actioni actio; ſed genere ipſo, vt a Graecis Tuſcanicae ſtatuae, et Aſianus eloquens Attico. Suos autem haec operum genera, quae dico, vt auctores, ſic etiam amatores habent: atque ideo nondum eſt perfectus orator, ac neſcio an ars vlla, non ſolum quia aliud in alio magis eminet, ſed quod non vna omnibus forma placuit, partim conditione vel temporum vel locorum, partim iudicio cuiusque atque propoſito. y)

Primi, quorum quidem opera non vetuſtatis modo gratia viſenda ſint, clari pictores fuiſſe dicuntur Polygnotus atque Aglaophon, z) quorum ſimplex color a) tam ſui ſtudioſos adhuc habet, vt illa prope rudia, ac velut futurae mox artis primordia b) maximis, qui poſt eos exſtiterunt, auctoribus praeferantur,

y) Claſſica in hoc opera ſunt Plinii Hiſt. nat. L. XXXIV. et V. Franciſcus Iunius in catalogo artificum libris de Pictura ſubiecto, qui ſaepe Quintilianum aduocat. et illuſtrat. *Winkelmanns Geſchichte der Kunſt des Alterthums. Heynes Sammlung antiquariſcher Aufſätze. Leipzig.* 1778 — 79.

z) Polygnotus Thaſius fuit, porticum, quae eſt Poecile, Athenis pinxit. Simonides confecit epigramma in illum:

Sacra Polygnotus Thaſio ſatus Aglaophonte, Argiuum pinxit Pergama capta manu.

Vide Plinium L. XXXV. C. IX. S. 35.

Aglaophon alter fuit a Polygnoti patre, Polygnoti coaeuus.

a) *Simplici colore* intelliguntur *monochromata*, id eſt, quae vno colore ſunt picta.

b) Vide *Winkelmanns erſten Theils 4tes Cap.* a. p. 214. — 221.

ferantur, proprio quodam intelligendi (vt mea fert opinio) ambitu. c) Poſt Zeuxis atque Parrhaſius non multum aetate diſtantes (circa Peloponneſia ambo tempora: nam cum Parrhaſio ſermo Socratis apud Xenophontem d) inuenitur) plurimum arti addiderunt. Quorum prior luminum vmbrarumque inueniſſe rationem, ſecundus examinaſſe ſubtilius lineas traditur. Nam Zeuxis plus membris corporis dedit, id amplius atque auguſtius ratus, atque (vt exiſtimant) Homerum ſecutus, cui validiſſima quaeque forma etiam in feminis placet. Ille vero ita circumſcripſit omnia, vt eum legum latorem e) vocent, quia deorum atque heroum effigies, quales ab eo ſunt traditae, ceteri, tamquam ita neceſſe ſit, ſequuntur. f) Floruit autem circa Philippum, et vſque ad ſucceſſores Alexandri, pictura praecipue, ſed diuerſis virtutibus. Nam cura Protogenes, ratione Pamphilus ac Melanthius, facilitate Antiphilus, concipiendis viſionibus (quas φαντασιας vocant) Theon Samius, ingenio et gratia, quam

c) Hoc faciunt plerumque, qui eleganter docti et belli eſſe affectant, in quos Plinius L. XXXIV. c. 2. S. 3. de aere Corinthio, *circa id multorum affectatio fuit. At mihi maior pars eorum ſimulare eam ſcientiam videtur, ad ſegregandos ſe a ceteris magis, quam intelligere ibi aliquid ſubtilius.*

d) Memorab. Socratis L. III. poſt medium.

e) Sicut ſtatuam Polycleti *canona* dicebant. Plin. XXXIV. c. 8. S. 19. Inter Zeuxis opera celeberrima eſt HELENA.

f) Certamen horum pictorum lepide deſcribit Plinius L. XXXV. c. 10. S. 36.

quam in ſe ipſe maxime iactat, Apelles g) eſt praeſtantiſſimus. Euphranorem admirandum facit, quod et ceteris optimis ſtudiis inter praecipuos, et pingendi fingendique idem mirus artifex fuit.

Similis in ſtatuis differentia. Nam duriora, et Tuſcanicis proxima Calon atque Hegias, iam minus rigida Calamis, molliora adhuc ſupra dictis Myron h) fecit. Diligentia ac decor in Polycleto ſupra ceteros, cui quamquam a plerisque tribuitur palma, tamen, ne nihil detrahatur, deeſſe pondus putant. Nam vt humanae formae decorem addiderit ſupra verum, ita non expleuiſſe deorum auctoritatem videtur. Quin aetatem quoque grauiorem dicitur refugiſſe, nihil auſus vltra leues genas. At quae Polycleto defuerunt, Phidiae atque Alcameni dantur. i) Phidias tamen diis, quam hominibus, efficiendis melior artifex traditur, in ebore vero longe citra aemulum, vel ſi nihil, niſi Mineruam Athenis, aut Olympium in Elide Iouem, feciſſet: cuius pulchritudo adieciſſe aliquid etiam receptae religioni videtur, adeo maieſtas operis deum aequauit.

g) Vide *Winkelmann*, *1ten Theils 4tes Cap.* p. 229 — 233.

h) Inter Myronis opera eminuere DIOSCOBVLVS et *Bucula*. Vide *Winkelmanns IIten Theil* a. p. 327. et ſeqq.

i) Praecipua Polycleti opera ſunt: Statua coloſſalis IVNONIS ex ebore et auro; item DORYPHORVS et DIADVMENVS. Phidiae ſtatua IOVIS OLYMPII et MINERVA ATHENIS, *Alcamenis* VENVS *in horto Athenis*.

uit. Ad veritatem Lysippum et Praxitelem i) accessisse optime affirmant. Nam Demetrius tamquam nimius in ea reprehenditur, et fuit similitudinis, quam pulchritudinis, amantior.

In oratione vero si species intueri velis, totidem paene reperias ingeniorum, quot corporum, formas. Sed fuere quaedam genera dicendi conditione temporum horridiora, alioqui magnam iam ingenii vim prae se ferentia. Hinc sunt Laelii, Africani, Catones, Gracchique, quos tu licet Polygnotos vel Calonas appelles. Mediam illam formam teneant L. Crassus, Q. Hortensius. Tum deinde efflorescat non multum inter se distantium tempore oratorum ingens prouentus. Hinc vim Caesaris, indolem Caelii, subtilitatem Callidii, grauitatem Bruti, acumen Sulpicii, acerbitatem Cassii, diligentiam Pollionis, dignitatem Messalae, sanctitatem Calui reperiemus. In his etiam, quos ipsi vidimus, copiam Senecae, vires Africani, maturitatem Afri, iucunditatem Crispi, sonum Trachalli, elegantiam Secundi.

At M. Tullium, non illum habemus Euphranorem circa plurium artium species praestantem, sed in omnibus, quae in quoque laudantur, eminentif-

nentif-

i) Praxitelis celeberrimum opus VENVS CNIDIA. Vide *Winkelmanns II. Theil p.* 342 — 43.

nentissimum. Quem tamen et suorum homines temporum incessere audebant vt tumidiorem, et Asianum, et redundantem, et in repetitionibus nimium, et in salibus aliquando frigidum, et in compositione fractum, exsultantem, ac paene (quod procul absit) viro molliorem. Postea vero, quam triumuirali proscriptione consumtus est, passim qui oderant, qui inuidebant, qui aemulabantur, adulatores etiam praesentis potentiae, non responsurum inuaserunt. Ille tamen, qui ieiunus a quibusdam et aridus habetur, non aliter ab ipsis inimicis male audire, quam nimiis floribus et ingenii affluentia, potuit. Falsum vtrumque, sed tamen illa mentiendi propior occasio. Praecipue vero presserunt eum, qui videri Atticorum imitatores concupierant. Haec manus, quasi quibusdam sacris initiata, vt alienigenam, et parum superstitiosum, m) deuinctumqumque illis legibus insequebatur. Vnde nunc quoque aridi, et exsucci, et exsangues (hi sunt enim, qui suae imbecillitati sanitatis appellationem, quae est maxime contraria, obtendant) quia clariorem vim eloquentiae, velut solem, ferre non

 pos-

m) Culpabant videlicet luxuriem Ciceronis, quae se non alligaret illis legibus et sacris, quibus Attici (i. e. oratores tenues atque aridi, qui se Atticorum imitatores iactabant, et Ciceronis tempore factione valebant) se initiatos iactabant, vnde et *alienigenam*, id est, non atticum sed asianum potius et parum *superstitiosum*, id est, solutum illis dicendi legibus, queis se obstrinxerant, incusabant. Ita de Caluo Cicero ipse in Bruto c. 82. *qui se Atticum dici volebat, eius oratio nimia religione* (ea est superstitio) *attenuata.*

possunt, vmbra magni nominis delitescunt: quibus quia multa, et pluribus locis Cicero ipse respondit, n) tutior mihi de hoc disserendi breuitas erit.

Et antiqua quidem illa diuisio inter Asianos atque Atticos fuit, cum hi pressi et integri, contra inflati illi et inanes haberentur: et in his nihil superflueret, illis iudicium maxime ac modus deesset. Quod quidam, quorum et Santra est, hoc putant accidisse, quod, paullatim sermone Graeco in proximas Asiae ciuitates influente, non dum satis periti loquendi facundiam concupierint: ideoque ea, quae proprie signari poterant, circuitu coeperint enuntiare, ac deinde in eo perseuerarint. Mihi autem orationis differentiam fecisse et dicentium et audientium naturae videntur, quod Attici limati quidem et emuncti nihil inane aut redundans ferebant: Asiana gens tumidior alioqui atque iactantior, vaniore etiam dicendi gloria inflata est. Tertium mox, qui haec diuidebant, adiecerunt genus Rhodium: quod velut medium esse atque ex vtroque mixtum volunt. Neque enim Attice pressi, neque Asiane sunt abundantes, vt aliquid habere videantur gentis, aliquid auctoris. Aeschines enim, qui hunc exsilio delegerat locum, intulit eo studia Athenarum, quae velut sata quaedam coelo terraque degenerant,

n) In Bruto praecipue c. 82. Vbi rem totam euoluit.

nerant, saporem illum Atticum peregrino miscuerunt. Lenti ergo quidem ac remissi, non sine pondere tamen: neque fontibus puris, neque torrentibus turbidis, sed lenibus stagnis similes habentur.

Nemo igitur dubitauerit, longe esse optimum genus Atticorum. In quo vt est aliquid inter ipsos commune, id est, iudicium acre, tersumque: ita ingeniorum plurimae formae. Quapropter mihi falli multum videntur, qui solos esse Atticos credunt tenues, et lucidos, et significantes, sed quadam eloquentiae frugalitate contentos, ac semper manum intra pallium continentes. o) Nam quis erit hic Atticus? Sit Lysias, hunc enim amplectuntur amatores istius nominis modum. Non igitur iam vsque ad Coccum et Antocidem p) remittemur? Interrogare tamen velim, an Isocrates Attice dixerit? Nihil enim tam est Lysiae diuersum. Negabunt? At eius schola principes oratorum dedit. Quaeratur similius aliquid. Hyperides Atticus? Certe. At plus indulsit voluptati. Transeo plurimos, Lycurgum, Aristogitona, et his priores, Isaeum, Antiphontem: quos vt homines, inter se genere similes, differentes dixeris specie. Quid ille, cuius modo fecimus mentionem, Aeschines? nonne his latior

o) Fuit apud Athenienses antiquos pudoris et modestiae signum.

p) *Coccus* et *Antocides* oratores Athenienses, Lysia tenuiores.

latior et audentior, et excelſior? Quid denique Demoſthenes? non cunctos illos tenues et circumſpectos, vi, ſublimitate, impetu, cultu, compoſitione ſuperauit? non inſurgit locis? non figuris gaudet? non translationibus nitet? non oratione ficta dat carentibus vocem? non illud ius iurandum per caeſos in Marathone ac Salamine propugnatores rei publicae, ſatis manifeſto docet praeceptorem eius Platonem fuiſſe? Quem ipſum num Aſianum appellabimus, plerumque inſtinctis diuino ſpiritu vatibus comparandum? Quid Periclea? ſimilemne credimus Lyſiacae gracilitati, quem fulminibus et coeleſti fragori comparant Comici, dum illi conuiciantur? Quid eſt igitur, cur in iis demum, qui tenui venula per calculos fluunt, Atticum ſaporem putent? ibi demum thymum q) redolere dicant? Quos ego exiſtimo, ſi quod in his finibus vberius inuenerint ſolum, fertilioremue ſegetem, negaturos Atticam eſſe, quod plus, quam acceperit, ſeminis reddat, quia hanc eius terrae fidem Menander eludit. r) Itaque ſiquis nunc ad eas Demoſthenis virtutes, quas ille ſummus orator habuit, tamen quae defuiſſe ei, ſiue ipſius natura, ſiue lege ciuitatis viden-

q) In Hymetto Atticae monte copia eſt thymi, ideoque *mel Atticum* magnopere probabatur.

r) Attica terra erat ſterilis: ſic iocatus Menander videtur in fidem terrae, quae depoſitum ſemen cum fide, non cum foenore, redderet. Et a ſolo ad ingenia et oratores videtur metaphora ducta.

videntur, adiecerit, vt affectus concitatius moueat, audiam dicentem, Non fecit hoc Demosthenes? et si quid exierit numeris aptius; fortasse non possit; sed tamen si quid exierit, non erit Atticum? Melius de hoc nomine sentiant, credantque Attice dicere esse optime dicere.

Atque in hac tamen opinione perseuerantes Graecos magis tulerim. Latina mihi facundia, vt, inuentione, dispositione, consilio, ceterisque huius generis artibus similis Graecae, ac prorsus discipula eius, videtur: ita circa rationem eloquendi vix habere imitationis locum.

Quare qui a Latinis exiget illam gratiam sermonis Attici, det mihi in eloquendo eamdem iucunditatem, et parem copiam. Quod si negatum est, sententias aptabimus iis vocibus, quas habemus, nec rerum nimiam tenuitatem, vt non dicam pinguioribus, fortioribus certe verbis miscebimus, ne virtus vtraque pereat ipsa confusione. Nam quo minus adiuuat sermo, rerum inuentione pugnandum est. Sensus sublimes variique eruantur. Permouendi omnes affectus erunt, oratio translationum nitore illuminanda. Non possumus esse tam graciles? simus fortiores. Subtilitate vincimur? valeamus pondere. Proprietatis penes illos est certior copia? vincamus ingenio. Graecorum, etiam

mi-

minora, ſuos portus habent? nos plerumque maioribus velis moueamur: validior ſpiritus ſinus noſtros tendat. Non tamen alto ſemper feremur: nam et litora interim ſequenda ſunt. Illis facilis per quaelibet vada acceſſus, ego aliquid, non multo tamen, altius, in quo mea cymba non ſidat, inueniam. Neque enim, ſi tenuiora haec ac preſſiora Graeci melius, in eoque vincimur ſolo, et ideo in comoediis non contendimus. Prorſus tamen omittenda pars haec orationis, ſed exigenda, vt optime poſſumus: poſſumus autem rerum et modo et iudicio eſſe ſimiles: verborum gratia, quam in ipſis non habemus, extrinſecus condienda eſt. An non in priuatis et acutus, et non aſper, et non indiſtinctus, et non ſupra modum elatus M. Tullius? non in M. Callidio inſignis haec virtus? non Scipio, Laelius, Cato in eloquendo velut Attici Romanorum fuerunt? Cui porro non ſatis eſt, quo nihil eſſe melius poteſt?

Ad hoc quidam nullam eſſe naturalem putant eloquentiam, niſi quae ſit quotidiano ſermoni ſimillima, quo cum amicis, coniugibus, liberis, ſeruis loquamur, contenti promere animi voluntatem, nihilque arceſſiti, et elaborati requirentes: quidquid huc ſit adiectum, id eſſe affectationis, et ambitioſae in loquendo iactantiae, remotum a veritate, fictumque ipſorum gratia verborum, quibus ſolum a natura

tura

tura ſit officium attributum, ſeruire ſenſibus: ſicut athletarum corpora etiam ſi validiora fiant exercitatione, et lege quadam ciborum, non tamen eſſe naturalia, atque ab illa ſpecie, quae ſit conceſſa hominibus, abhorrere. Quid enim, inquiunt, attinet circuitu res oſtendere, et translationibus, id eſt, aut pluribus aut alienis verbis, cum ſua cuique ſint aſſignata nomina? Denique antiquiſſimum quemque maxime ſecundum naturam dixiſſe contendunt, mox poetis ſimiliores extitiſſe, etiam ſi parcius, ſimili tamen ratione falſa et impropria virtutes ducentes. Qua in diſputatione non nihil veri eſt, ideoque non tam procul, quam fit a quibusdam, recedendum a propriis atque communibus. Si quis tamen (vt in loco dixi compoſitionis) ad neceſſaria, quibus nihil minus eſt, aliquid melius adiecerit, non erit hac calumnia reprehendendus. Nam mihi aliam quamdam videtur habere naturam ſermo vulgaris, aliam viri eloquentis oratio: qui, ſi res indicare modo ſatis eſſet, nihil vltra verborum proprietatem elaboraret, ſed cum debeat delectare, mouere, in plurimas animum audientis ſpecies impellere, vtetur iis quoque adiutoriis, quae ab eadem ſunt nobis conceſſa natura. Nam et lacertos exercitatione conſtringere, et augere vires, et colorem trahere, naturale eſt; ideoque in omnibus gentibus alius alio facundior habetur, et elo-

quendo

quendo dulcis magis. Quod ſi non eueniret, omnes pares eſſent, et idem omnes deceret. At loquuntur, et ſeruant perſonarum diſcrimen: ita quo quisque plus efficit dicendo, hoc magis ſecundum naturae eloquentiam dicit.

Quapropter ne illis quidem nimium repugno, qui dandum putant non nihil eſſe temporibus atque auribus, nitidius aliquid atque affectatius poſtulantibus. Itaque non ſolum ad priores Catonem Gracchosque, ſed ne ad hos quidem oratorem alligandum puto. Atque id feciſſe M. Tullium video, vt cum omnia vtilitati, tum partem quamdam delectationi daret, cum et ipſam ſe rem agere diceret (agebat autem maxime) litigatoris. Nam hoc ipſo proderat, quod placebat. Ad cuius voluptates nihil equidem, quod addi poſſit, inuenio, niſi vt ſenſus nos quidem dicamus plures. Neque enim fieri poteſt ſalua tractatione cauſſae et dicendi auctoritate, ſi crebra haec lumina et continua fuerint, vt non inuicem offecerint. Sed me hac tenus cedentem nemo inſequatur vltra: do tempori, ne craſſa toga ſit; non ſerica: ne intonſum caput; non in gradus atque annulos totum comtum: cum in eo, qui ſe non ad luxuriam et libidinem referat, eadem ſpecioſiora quoque ſint, quae honeſtiora. Ceterum hoc, quod vulgo ſententias vocamus, veteribus, praecipueque Graecis in vſu non fuit, apud

Cice-

Ciceronem inuenio) dum rem contineant, et copia non redundent, et ad victoriam ſpectent, quis vtile neget? Feriunt animum, et vno ictu frequenter impellunt, et ipſa breuitate magis haerent, et dictione perſuadent.

Ac ſunt, qui haec excitatiora lumina, etiam ſi dicere permittant, a componendis tamen orationibus excludenda arbitrentur. Quocirca mihi ne hic quidem locus intactus eſt omittendus, quod plures eruditorum aliam eſſe dicendi rationem, aliam ſcribendi putauerunt: ideoque in agendo clariſſimos quosdam nihil poſteritati manſurisque literis reliquiſſe, vt Periclem et Demadem: rurſus alios ad componendum optimos, actionibus idoneos non fuiſſe, vt Iſocratem: praeter ea in agendo plus impetus poſſe plerumque, et petitas vel paullo licentius voluptates; commouendos enim eſſe, docendosque animos imperitorum: at quod libris dedicatur, et in exemplum editur, terſum ac limatum, et ad legem ac regulam compoſitum eſſe oportere; quia veniat in manus doctorum, et iudices artis habeat artifices. Mihi vnum atque idem videtur bene dicere, ac bene ſcribere: neque aliud eſſe oratio ſcripta, quam monumentum actionis habitae. Itaque nullas non (vt opinor) debet habere virtutes. Non dico, nulla vitia. Nam imperitis placere aliquando quae vitioſa ſunt ſcio. Quo different igi-

 tur?

tur? Quod si mihi des consilium iudicum sapientum, perquam multa recidam ex orationibus non Ciceronis modo, sed etiam eius, qui est strictior multo, Demosthenis. Neque enim affectus omnino mouendi erunt, nec aures delectatione mulcendae, cum etiam prooemia superuacua esse apud tales, Aristoteles existimet. non enim trahentur his illi sapientes. Proprie et significanter rem indicare, probatione colligere, satis est. Cum vero iudex detur aut populus, aut ex populo, laturique sententiam indocti saepius, atque interim rustici: omnia, quae ad obtinendum quod intendimus, prodesse credemus, adhibenda sunt, eaque etiam, cum dicemus, promenda, et cum scribemus, vt doceamus quo modo dici oporteat. An Demosthenes male sic egisset vt scripsit? aut Cicero? aut eos praestantissimos oratores alio quam scriptis cognoscimus? Melius egerunt igitur, an peius? nam si peius, sic potius oportuit dici, vt scripserunt: si melius, sic oportuit scribi, vt dixerunt. Quid ergo? Semper sic aget orator, vt scribit? Si licebit, semper: quod si impediant breuitate tempora, multum ex eo quod potuit dici, recidetur; editio habebit omnia.

Altera est diuisio, quae in tres partes et ipsa discedit, qua discerni posse etiam recte dicendi genera inter se videntur. Namque vnum subtile, quod ισχνον vocant. Alterum grande atque robustum,

ſtum, quod conſtituunt ἁδρόν. Tertium alii medium ex duobus, alii floridum (namque id ἀνθηρὸν appellant) addiderunt, quorum tamen ea fere ratio eſt, vt primum docendi, ſecundum mouendi, tertium illud vtrorumque nomine, delectandi, ſiue aliud interconciliandi praeſtare videatur officium: in docendo autem acumen, in interconciliando lenitas, in mouendo grauitas videatur. Itaque illo ſubtili praecipue ratio narrandi probandique conſiſtit: ſed quod etiam detractis ceteris virtutibus, ſuo genere plenum ſit. Medius hic modus, et translationibus crebrior, et figuris erit iucundior, egreſſionibus amoenus, compoſitione aptus, ſententiis dulcis, lenior tamen, vt amnis lucidus quidam, et virentibus vtrimque ſiluis inumbratus. At ille, qui ſaxa deuoluat, et pontem indignetur, et ripas ſibi faciat, multus et torrens iudicem, vel nitentem contra, feret, cogetque ire qua rapit. Hic et orator defunctos excitabit, vt Appium Caecum: apud hunc et patria ipſa exclamabit, aliquandoque Ciceronem, in oratione contra Catilinam in ſenatu, alloquetur. Hic et amplificationibus extollet orationem, et vi ſuperlationum quoque eriget: Quae charybdis tam vorax? et, Oceanus medius fidius ipſe. Nota ſunt enim iam ſtudioſis haec lumina. Hic deos ipſos in congreſſum prope ſuum ſermonemque deducet, Vos enim Albani tumuli atque luci: vos, inquam, Albanorum obrutae arae, ſacrorum populi Romani ſo-

 ciae

ciae et aequales. Hic iram, hic misericordiam inspirabit, hic dicet, Te vidit, et fleuit, et appellauit, et per omnes affectus tractatur. Hinc itaque illuc sequitur, nec doceri desiderabit. Quare si ex tribus his generibus necessario sit eligendum vnum, quis dubitet hoc praeferre omnibus, et validissimum alioqui, et maximis quibusque caussis accommodatissimum? Nam et Homerus breuem quidem cum animi iucunditate, et propriam, (id enim est non errare verbis) et carentem superuacuis eloquentiam Menelao s) dedit, quae sunt virtutes generis illius primi. Et ex ore Nestoris t) dixit dulciorem melle profluere sermonem: qua certe delectatione nihil fingi maius potest. Sed summam aggressus, vt in Vlysse, u) facundiam, magnitudinem illi iunxit: cui orationem niuibus hibernis, et copia verborum, atque impetu parem tribuit. Cum hoc ergo nemo mortalium contendet: hunc vt deum homines intuebuntur. Hanc vim et celeritatem in Pericle miratur Eupolis, hanc fulminibus Aristophanes comparat: haec est vera dicendi facultas.

Sed neque his tribus quasi formis inclusa eloquentia est. Nam vt inter gracile validumque tertium

s) Iliad L. III. v. 213.

t) Iliad L. I. v. 249.

u) Iliad L. III. v. 216.

tium aliquid constitutum est: ita horum interualla sunt: atque inter haec ipsa mixtum quiddam ex duobus medium est eorum. Nam et subtili plenius aliquid atque subtilius, et vehementi remissius atque vehementius inuenitur; vt illud bene aut ascendit ad fortiora, aut ad tenuiora submittitur: ac sic prope innumerabiles species reperiuntur, quae vtique aliquo momento inter se differant, sicut quatuor ventos generaliter a totidem mundi cardinibus accepimus flare, cum interim plurimi medii eorum, varietate regionum ac fluminum, proprii deprehendantur. Eademque musicis ratio est, qui cum in cithara quinque constituerunt sonos, plurima deinde varietate complent spatia illa neruorum, atque iis, quos interposuerunt, inserunt alios, vt pauci illi transitus multos gradus habeant.

Plures igitur etiam eloquentiae facies, sed stultissimum quaerere, ad quam recturus se sit orator: cum omnis species, quae modo recta est, habeat vsum, atque id ipsum omne sit oratoris, quod vulgo genus dicendi vocant. Vtetur enim, vt res exiget, omnibus, nec pro caussa modo, sed et pro partibus caussae.

Non vnus color prooemii, narrationis, argumentorum, egressionis, perorationis, seruabitur. Dicet idem grauiter, seuere, acriter, vehementer,

 conci-

concitate, copiose, amare, comiter, remiſſe, ſubtiliter, blande, leniter, dulciter, breuiter, vrbane, non vbique ſimilis, ſed vbique par ſibi. Sic fiet, cum id, propter quod maxime repertus eſt vſus orationis, vt dicat et vtiliter, et ad efficiendum, quod intendit, potenter: tum laudem quoque nec doctorum modo, ſed etiam vulgi conſequatur.

Falluntur enim plurimum, qui vitioſum et corruptum dicendi genus, quod aut verborum licentia reſultat, aut puerilibus ſententiolis laſciuit, aut immodico tumore turgeſcit, aut inanibus locis bacchatur, aut caſuris, ſi leuiter excutiantur, floſculis nitet, aut praecipitia prae ſublimibus habet, aut ſpecie libertatis inſanit: magis exiſtimant populare atque plauſibile. Quod quidem placere multis nec infitior, nec miror. Eſt enim iucundioris ac fauorabilis qualiscumque eloquentiae, et ducit animos naturali voluptate vox omnis, neque aliunde illi per fora atque aggerem circuli: quo minus mirum eſt, quod nulli non agentium parata vulgi corona eſt. Vbi vero quid exquiſitius dictum accidit auribus imperitorum, qualecumque id, quod modo ſe ipſi poſſe deſperent, habet admirationem, neque immerito: nam ne illud quidem facile eſt. Sed euaneſcunt haec atque emoriuntur comparatione

ne

ne meliorum: vt lana tincta fuco citra purpuram placet: at si contuleris etiam lacernae, conspectu melioris obruatur, vt Ouidius ait. Si vero iudicium his corruptis acrius adhibeas, vt buccinis x) purpuram, iam illud, quod fefellerat, exuat mentitum colorem, et quadam vix enarrabili foeditate pallescat. Luceat igitur haec citra solem, vt quaedam exigua animalia igniculi videntur in tenebris. Denique mala multi probant, nemo improbat bona.

Neque vero omnia ista, de quibus locuti sumus, orator optime tantum, sed etiam facillime faciet: Neque enim vis summa dicendi est admiratione digna, si infelix vsque ad vltimum solicitudo persequitur, ac oratorem macerat et coquit, aegre verba vertentem, et perpendendis coagmentandisque eis intabescentem. Nitidus ille, et sublimis, et locuples, circumfluentibus vndique eloquentiae copiis imperat. Desinit enim in aduersa niti, qui peruenit in summum. Scandenti circa ima labor est: ceterum quantum processeris, mollietur cliuus et laetius solum. Et si haec quoque iam lenius supina perseuerantibus studiis euaseris, inde fructus illa-

x) Buccinum concha et color purpura deterior est, teste Plinio Hist. Nat. L. IX. c. 38. S. 62. *Buccinum per se damnatur, quoniam fucum remittit.* Buccinum concha est minor, a similitudine buccini quo sonus editur. (*Ein gespitzte Meerschnecke:*) item Hyacinthus, planta cum flore, de qua Virg. Ecl III. v. 63. *Suaue rubens hyacinthus.*

illaborati offerunt ſeſe, et omnia ſponte proueniunt: quae tamen quotidie niſi decerpantur, areſcunt. Sed et copia habet modum, ſine quo nihil nec laudabile, nec ſalubre eſt: et nitor ille cultum virilem, et inuentio iudicium. Sic erunt magna, non nimia; ſublimia, non abrupta; fortia, non temeraria; ſeuera, non triſtia; grauia, non tarda; laeta, non luxurioſa; iucunda, non diſſoluta; plena, non tumida. Similis in ceteris ratio eſt. Tutiſſima fere per medium via, quia vtriusque vltimum vitium eſt.

F I N I S.

ERRATA.

In textu.

Pag. 7 linea 14 *fero* lege *fere*
18 - - 15 *virtutem* lege *virtutum*
44 - - 14 *toedium* scribe *taedium*
63 - - 14 *quisqus* lege *quisque*
139 - - 11 post *licet.* dele punctum
224 - - 18 *Proemiis* lege *prooemiis*
240 - - 9 *pane* lege *paene*
414 - - 8 post *tradunt* puncti loco pinge comma.

Scribendum semper coepit, coelestis, paene.

In notis.

Pag. 15 col. 2 lin. 8 circumforanea
40 - - 2 - - 9 ego
46 - - 2 - - 4 ἐναϱγεια
80 - - 2 - - 2 καλα
92 - - 1 - - ult. bonum
- - - - 2 - - 6 Polyaenus
96 - - 1 - - 4 loco *nedum* lege *etiam*
172 - - 2 - - 4 Democritus
176 - - 1 - - 3 Sulzerus
301 - - 1 - - 18 loco 881 lege 88
304 - - 2 - - 14 natura, quid efficere possit,
308 - - 2 - - 5 humanis
311 - - 2 - - 6 *post.* dele punctum.

1500,–
Mai 84